burg.

51.

<36627166630015
 

burg.

51.





PRINCIPIA THEOLOGIÆ LITURGICÆ

QUOAD

DIVINUM OFFICIUM, DEI CULTUM, ET SANCTORUM.

AUCTORE

P. MARTINO GERBERT,

Monacho O. S. B. e Congr. D. Blasii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S. Q. R. I. Princ. & Episcopi Constant. &c. &c.
Theologo.



PERMISSU SUPERIORUM.



TYPIS PRINC. MONAST. S. BLASII. 1759.



PRÆFATIO.



Quo tempore in ordinem, ac ſyſtema redigendis præcipuis theologiæ chriſtianæ partibus ad ſacram eruditionem pertinentibus incumberem, intellexi non ſine ingenti animi voluptate, in arce orbis catholici Roma, ſanctiſſimæ, & immortalis memoriæ pontificem optimum maximum Benedictum XIV. ad conſtituendam ſcholam liturgicam adjeciſſe animum, ac admoviſſe curam rei chriſtianæ ſaluberrimam, inſtituto autem meo apprime conſentaneam. Cum enim antea quidem pleraſque diſciplinas theologicas, quas ad vitandam confuſionem inter ſe diſtinctas, ordine nihilominus, & accurata methodo connexas jamjam in lucem edidi, in ſcholis publicis deprehenderem, de *liturgica* uſpiam florente nihil unquam reſcivi, donec al-

latæ ad nos editionis operum omnium PROSPERI *a Lambertinis*, ſeu BENEDICTI XIV. tomus primus de inſtitutione nuperrime facta in celebri Conimbricenſi academia me edoceret. Quod non potuit non mirifice delectare, me ejus rei plane ignarum paria agitaſſe conſilia, ſeorſim tractando principia theologiæ liturgicæ, quæ inſignis theologiæ chriſtianæ portio in tradendo curſu theologico fere negligebatur, pauca ſi excipias in *polemica* diſperſa de cultu ſanctorum, & reliquiarum: imprimis autem de ſacrificio in theologia ſacramentali, cujus ſeparatim etiam dedi principia, quamvis ad liturgicam revocari queat, & in theologia tam ſpeculativa, quam practica locum amplum ſemper habuerit. Commodius autem ſeorſim, rationibus a me ſuo loco datis, tractanda eſt viſa, ut in principiis theologiæ liturgicæ iis locus proprius eſſet, quæ tum ſpecialiter præcipuum ſoli DEO debitum ſacrificii cultum attinent, cum generatim ſacros eccleſiaſticos ritus, & functiones in officio divino, ac miniſterio publico religionis chriſtianæ erga DEUM, & ſanctos ſpectant.

Suppellectilem amplam hic præbent conciliorum omnis ætatis canones, epiſtolæque canonicæ, ac ſcripta ſanctorum patrum ſparſim; libri vero liturgici, ac auctores de officiis, & ritibus eccleſiaſticis toti in hoc ſunt: quorum magna medio ævo, imprimis ſæculo octavo, & nono, ac deinceps uſque ad noſtram ætatem eſt copia. Eo in argumento collectio habetur in uno volumi-

luminum bibliothecæ patrum, & Parisiensis, & Coloniensis.

Ne quid vero dicam de DIONYSIO, quem *Areopagitam* vocant, & ejus commentatoribus imprimis S. MAXIMO, cujus etiam mystagogia huc pertinet, de MUSÆO item Marsiliensi, cujus tractatum *de sacramentis* memorat GENNADIUS, in quo de officiis divinis distinctim agebatur, de S. PROCLO, supposito ei tractatu *de missa*. De S. PROTADIO episcopo Vesuntionensi apud BOLLANDUM ad diem 12. Febr. p. 413. memoratur: *Quod dubitantibus clericis inter se de diversis ecclesiarum usibus, vogante bonæ memoriæ STEPHANO sanctæ matris ecclesiæ beati JOANNIS Evangelistæ, & HATMINO S. STEPHANI ejusdem civitatis decano, libellum ediderit, in quo ad separandum omne ambiguum hæc scripta reliquerit: quid in conventu fratrum agi conveniat: quid tenere ecclesiam, quid vitari oporteat. Quot sacri ordinis ministros festivi dies habeant: quo, & quando processiones fiant: quo tempore congregationes ad matrem ecclesiam conveniant: quid etiam agendum sit per anni circulum in ecclesia, sancta ejus docuit posteros industria.* Imprimis nominari meretur S. ISIDORUS *Hispal.* ne quid dicam de epistola S. AUGUSTINO supposita ad BIBIANUM episcopum Santonensem de ordine officiorum totius anni in ecclesia Hipponensi, quæ ex manuscripto S. PETRI Carnotensis nongentorum annorum edita ætatem quidem habet, sed non idcirco S. AUGUSTINO supparem, vel

ab ejus nomine auctoritatem. Ex sæculo VIII. & IX. imprimis huc pertinent THEODULPHUS Aurelianensis, ALCUINUS, qui licet auctor non sit libri de divinis officiis, huc tamen referendus tractatus de usu psalmorum, de sacramentis; tractatus I. GEZONIS abbatis Torthonæ in Liguria apud MABILLONIUM T. I. Musæi Italici, de corpore & sanguine CHRISTI, ubi plures occurrunt quæstiones de ritibus missæ. BERNONIS abbatis Augiensis tractatus de missa. Ex sæculo XI. ALBANI Salernitani tractatus de mysteriis. IVO Carnot. qui in suis passim epistolis, ac libris, imprimis autem opere, quod *Micrologus* inscribitur, plurima in hac materia habet. Ex sæculo XII. HILDEBERTUS, RUPERTUS Tuitiensis, & HUGO *de S. Victore*, seu potius ROBERTUS *Paululus* de sacramentis, officiis; & postea INNOCENTIUS III. DURANDUS, *Joannes* BELETH, *Gabriel* BIEL, ut alios taceam, qui mysticis tantum rationibus excogitandis intenti sæculi nostri studiosis minus placent.

Ex recentioribus vero CASSANDRI, & PAMELII liturgiæ, *Jacobi* GOAR Euchologium Græcorum, CÆSARIUS de ritibus Græcorum, CASALIUS de ritibus præstant. *Jo.* BONA Card. de rebus liturgicis erudite, & copiose imprimis omnia huc pertinentia pertractavit, veluti etiam *Ed.* MARTENIUS in quatuor operibus, quorum primum de antiquis sacramentorum ritibus agit. Secundum benedictiones sacras

cras exhibet. Tertium de variis ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus ritibus disserit. Quartum denique in illustrandis divinis officiis totum versatur, ut ipse distributionem facit in præfatione tomi primi de antiquis ecclesiæ ritibus. Alii singularia quædam ad sacram liturgiam, & alios ecclesiasticos ritus in officio divino pertinentia edisseruerunt. *Hugo* MENARDUS notis in S. GREGORII sacramentarium, MABILLONIUS Gallic. liturgiam, atque antiquos Romanos ordines suis observationibus, & commentariis exornavit. *Jo.* GARNERIUS librum diurnum pontificum Rom. cum dissertationibus edidit, RENAUDOTIUS liturgias orientales, THOMASIUS, BLANCHINIUS, & MURATORIUS occidentales, ac Romanas. De liturgiis vero scripserunt singillatim GRANCOLAS, & BOCQUILOT. Explicationem cæremoniarum missæ dedit luculentam P. LE BRUN oppositam D. DE VERT, qui spretis omnibus mysticis rationibus in cæremoniis omnia ad historicam, & physicam institutionem retulit; medium vero tenuit P. LE BRUN inter eos, qui nil nisi historicum, aut mysticum sapiunt. Hoc jam olim FLORUS Lugdunens. AMALARIO exprobravit *art.* 5. apud MARTENIUM *tomo IX.* collectionis amplissimæ *p.* 641. Fuitque in hac re excessus a multis commissus, qui necessariis destituti eruditionis sacræ subsidiis, atque suorum tantum temporum usibus intenti, ingenio indulserunt.

In extremum non solum vitium, sed etiam errorem, ac contemtum cæremoniarum inciderunt Protestantes, abjecta liturgia sacra, ac ordine divinorum officiorum. Qua in re ipsi tamen a se dissentiunt, Angli imprimis Episcopales, & Puritani. Et a prima susceptæ innovationis ætate in varia abierunt, in Borussia imprimis, ubi hoc etiam sæculo inde conciliationis inter Protestantes consilia sunt agitata, visumque est nonnullis facta in cæremoniis ecclesiasticis consensione reliqua prona fore. Cui opposuit RECHENBERGIUS disputationem de cultu DEI externo falso unionis Protestantium principio. Nec mirum est, eos tantopere adversari, cum sacrificium missæ, ac realis præsentia corporis CHRISTI in eucharistia, alia item controversa religionis capita de sacramentis, de intercessione sanctorum, de suffragiis pro defunctis &c. a prima ecclesiæ antiquitate hinc probentur, uti olim etiam alia in materia contra Pelagianos fuit factum. *Præter beatissimæ, & apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones*, scribit COELESTINUS P. ad Galliæ episcopos, *quibus nos piissimi patres pestifera novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad CHRISTI gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo, atque in omni catholica ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

Nostra

Nostra ætate hoc imprimis est actum ad consensum ecclesiæ orientalis cum occidentali, quoad catholicam de sacramento, & sacrificio eucharistico, fidem editis liturgiis orientalibus sub variis apostolorum, & sanctorum antiquissimorum Patrum nominibus, quæ nonnulli catholici doctores acrius etiam vindicare sunt conati; Protestantes autem, nominatim vero CLAUDIUS Carnotensis minister, qui sese auctori de perpetuo consensu orientalium cum ecclesia catholica circa fidem transsubstantiationis, & realis præsentiæ inter alios contentiosius opposuerat, liturgiarum orientalium imprimis antiquitatem, & auctoritatem deprimere conatus. Unde RENAUDOTIO novus stimulus est factus, eas conjunctim edendi, varias illas quidem, ac sectarum variarum, quæ tamen quoad substantiam inter se conveniant, in doctrina præsertim de reali præsentia corporis CHRISTI in eucharistia, quam Calvinistæ, ac inter eos CLAUDIUS minister, natam in Romanæ ecclesiæ sinu, Græcisque, & omnibus ecclesiis orientalibus incognitam esse contendit. ALBERTINUS vero, vir infinitæ lectionis, ut a RENAUDOTIO vocatur, in dissertatione de liturgiarum orientalium origine, & auctoritate, cum omnia prope veterum scripta scrutatus esset, in quibus de eucharistia sermo est, & quæcunque magis perspicua sunt, ad metaphoricos sensus detorqueret, de multis, quæ in liturgia passim occurrunt, verbum vix fecit. *Intelligebat quippe*

satis, sunt verba laudati RENAUDOTII, *orationes simplicissimas, & quæ a plebe audiebantur, repudiare sententias illas abstrusas, quæ subtilis theologus vix intelligat, & quas viri minus doctrina, & eloquentia, quam sanctitate celebres, propriis verbis facile exposuissent, non illis, quæ aliud omnino significant, si simpliciter accipiantur. Cum enim populus audiebat, sacerdotem singulari oratione invocantem Spiritus sancti illapsum super dona proposita, ut adveniens efficeret panem quidem corpus CHRISTI, vinum & aquam sanguinem CHRISTI, ea transmutando virtute divina, nemo existimaverit circumstantes christianos ea verba ita accepisse, ut panem, & vinum non magis crederent corpus esse, & sanguinem CHRISTI, quam ipsi essent. Ita enim brevem illam, sed omnia significantem liturgiæ partem* Corpus CHRISTI, *ad quæ verba fideles respondebant* Amen, *interpretatus est ALBERTINUS.* Concedamus ejus admiratoribus *in sanctorum Patrum sententiis obscura multa, quæ luce indigeant, cum oratorie quædam dixerint, ad quorum similitudinem ea, quæ de corporis CHRISTI vera, & reali præsentia scripserunt, interpretari oporteat. Tum, cum de sacris mysteriis ad fideles, aut ad recens baptizatos verba faciebant, nunquam minus rhetoricabantur: sed demus ita esse. In liturgicis precibus nullus rhetoricæ, aut amplificationi locus. Quid? quod in illis non doctoris alicujus eximii, non concilii, sed totius ecclesiæ vox auditur, cum inter se consentiunt, ut sane mirus illarum in istis*

omni-

omnibus consensus est non Latinarum modo, & Graecarum, sed Copticarum, Syriacarum, & reliquarum. Sacræ scripturæ verba, in quibus præcipue fundata est, ita simpliciter commemorantur, ut simplici, & litterali sensu intelligi eadem oporteat, a plebe præsertim, quæ subtilium interpretationum minus capax, dum elementa panis & vini intelligit fieri corpus, & sanguinem CHRISTI, moxque ut consecrata sunt, non aliter appellari: cumque eadem communicantibus præbentur, audit a sacerdotibus hoc, quod illis datur, non jam esse panem & vinum, ut videntur, sed corpus & sanguinem, deque ea fide confessio pronunciatur, non potest aliam in animo confessionem habere, præter eam, quam verba ipsa præferunt. Hæc aliaque innumera in toto illo RENAUDOTII opere singulis fere paginis comparent.

Nec est quod novitatem objiciant, aut falsos apostolorum, ac sanctorum Patrum titulos, JACOBI, PETRI, MATTHÆI, & MARCI, nec non BARNABÆ, & CLEMENTIS Romani, GREGORIORUM, BASILII, CHRYSOSTOMI &c. etsi enim, ut hodie saltem auctæ, & completæ habeantur, eisdem auctoribus adscribi nequeant, aut etiam potius ab ecclesiis nomen habeant, ut Hierosolymitana S. JACOBI, MARCI Alexandrina &c. dicatur; licet etiam sectarum Jacobitarum, Nestorianorum &c. suæ sint; omnia tamen hæc antiquitatem excedunt facti ab ecclesia Romana schismatis, ac hæreticæ societatis. Unde eo minus credi possunt orienta-

les

les ecclesiæ deferre voluisse occidentalibus. Ab apostolis quidem profecta aliqua liturgia nescitur; antiquissima tamen, quæ sub nomine S. JACOBI prostat, cum liturgia S. CYRILLI Hierosolymitana convenit; quemadmodum etiam liturgia in constitutionibus apostolorum. Illam canon 32. Trullanus S. JACOBO tribuit, nihilominus BALSAMON abjudicat, quemadmodum & S. MARCO suam, consultus ea de re a MARCO patriarcha Alexandrino, ubi ita concludit: *Quapropter omnes ecclesiæ DEI sequi debent morem novæ Romæ, nimirum Cpolis, & sacra celebrare juxta traditiones magnorum doctorum, & luminarium pietatis, S. Joannis CHRYSOSTOMI, & S. BASILII.* S. GREGORIUS *Nazianz. orat.* 20. tribuit S. BASILIO, quod preces ordinarit. In tractatu sub nomine S. PROCLI de traditione divinæ missæ adscribitur S. BASILIO, quod ob hominum socordiam in arctius contraxerit liturgiam, quem paulo post S. CHRYSOSTOMUS sit imitatus. PETRUS diaconus, LEONTIUS, concilium Trullanum, & synodus VII. œcumenica &c. similiter tribuunt S. BASILIO liturgiam apud RENAUDOTIUM *T. I. p.* 36. *&c.* quæ inde a sæculo VI. in oriente fuit hodieque adhuc est celebris, unacum liturgia S. CHRYSOSTOMI, ne quid de aliis dicam, quas ingenti numero recenset laudatus RENAUDOTIUS in dissertatione, quæ secundo tomo præmittitur de Syriacis Melchitarum, & Jacobitarum liturgiis.

In

In occidente major adhuc semper fuit liturgiarum consensio, licet olim diversæ fuerint, celebres imprimis præter Romanam Ambrosiana, seu Mediolanensis, Gallicana, & Hispanica, quam secuti sunt, ut inquit MABILLONIUS *Lib. I. de Liturg. Gallic. cap.* 2. apud Hispanos christiani Arabibus permissi, ob id Mozarabum appellatam: quibus liturgiis addi possunt Africana, Hibernica: de Germanica dicam suo loco studiose. Anxium tenuit S. AUGUSTINUM Angliæ apostolum, cum Gallias peragraret in Angliam concessurus, diversitas, quam in celebratione missæ deprehenderat, S. GREGORIUM vero consulens per LAURENTIUM, in responsis tulit, *L. XI. ep.* 64. *interr.* 3. ut siquid sive in Romana, sive alia quapiam ecclesia DEO gratius deprehenderet, in novam ecclesiam Anglicanam induceret. De S. HILARIO refert S. HIERONYMUS de scriptoribus ecclesiasticis, quod librum hymnorum, & mysteriorum alium confecerit. Quod de missæ liturgia ecclesiæ suæ, & aliarum forte etiam in Galliis, est intelligendum. Accidit successu temporis, ut magis magisque determinaretur sacer ritus in celebratione mysteriorum, libris in hunc finem compositis. Unde S. GREGORIUS Turon. *Lib. II. hist. c.* 22. ceu insolens, ac mirabile notat in SIDONIO *Apoll. Qui, ablato sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus a tempore cunctum festivitatis opus explicavit, ut ab omnibus miraretur.* De S. AMBROSIO refert *Walafr.*

lafr. STRABO de rebus ecclesiasticis *c*. 22. quod ordinarit dispositionem missæ, & aliorum officiorum suæ ecclesiæ, quod & traditio Mediolanensis tenet, habeturque singularis ejus ecclesiæ liturgia: antiquissima autem collectio est BEROLDI bibliothecarii domus, seu ecclesiæ metropolitanæ, qui scripsit circa annum 1123. ut discimus ex PURICELLI dissertat. Nazarian. *c*. 97. *p*. 460. Quamvis ex S. AMBROSII epistola ad sororem MARCELLINAM, libris de fide ad GRATIANUM, ac tractatu de mysteriis (ne libros de sacramentis commemorem, ubi magna pars canonis Romani ad verbum fere exprimitur) pateat, jam stabilitam fuisse antea liturgiam in ecclesia Mediolanensi. Et forte tunc major fuit convenientia cum liturgia Romana, qualem etiam in Hispania S. ISIDORUS *cap*. 14. de officiis ecclesiasticis, & post eum ÆTHERIUS, & BEATUS Hispanici scriptores in libro I. contra ELIPANDUM totidem verbis asseruerunt. *Ordo missæ, vel orationum, quibus oblata DEO sacrificia consecrantur, primo a S. PETRO est institutus: cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Quod de substantiali ordine potest intelligi, quin religioni duceretur in aliis quædam addere, ac mutare. Suntque, qui S. ISIDORO, ac fratri ejus S. LEANDRO tribuant liturgiam Mozarabicam, cui postea S. ILDEPHONSUS suas etiam adjecerit partes. Antea PROFUTURUS episcopus Bracarensis sub VIGILIO P. ejusque auctoritate, accepit ordinem ecclesiæ Ro-

manæ,

manæ, qui poſtea in concilio Bracarenſi *c.* 4. eſt ſtabilitus: *Ut eodem ordine miſſæ celebrentur ab omnibus, quem PROFUTURUS quondam hujus metropolitanæ eccleſiæ epiſcopus ab ipſa apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.* Sed ex liturgia Mozarabica a XIMENIO Cardin. edita, & in eccleſia Toletana, alicubi etiam, iterum introducta, patet diverſitas illius ab hodierna ſaltem Rom. liturgia. Idem dicendum de Gallicana, quam poſt THOMASIUM perfectiorem edidit MABILLONIUS, unacum tribus miſſalibus, & Sacramentario Gallicano *Tomo I. Muſæi Italici p.* 273. ex MS. monaſterii Bobienſis. Huc etiam pertinet liturgia ſeu miſſa S. GERMANI a MARTENIO edita *Tomo V. Anecdotorum p.* 91. & miſſa ILLIRICI, quam ſunt, qui putant eſſe eccleſiæ Salisburgenſis. Unde colligendum, nec in Germania ubique Romanam liturgiam fuiſſe primum conſervatam. Qua de re propoſitum nobis eſt agere ex inſtituto. Quid ſi ipſas Romanas liturgias contendamus? Sacramentarium LEONINUM nuper a BLANCHINIO repertum, editumque a MURATORIO, præter Gelaſianum, & Gregorianum, videbimus hic etiam mutationi locum fuiſſe. Certe de S. GREGORIO in ejus vita JOANNES diaconus *Lib. II. n.* 17. refert: *Gelaſianum codicem de miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla ſuperadjiciens in unius libelli volumine coarctavit, quod volumen librum ſacramentorum prætitulavit. Walafridus* STRABO de

origi-

origine, & progressu rerum ecclesiasticarum notat augmentationes factas in liturgia, ejusque auctores citat, sed nititur auctoritate falsarum decretalium. Res ex liturgiis ipsis melius patet. Et quidem si cum MURATORIO Leonini Sacramentarii auctorem faciamus FELICEM III. proximum GELASII antecessorem, patebit differentia magis adhuc brevi adeo tempore.

Considerandum vero est, in quonam sita sit diversitas. Et quidem si spectentur diversi ritus, qui adhuc hodie soli Ambrosianæ ecclesiæ proprii sunt, in orationibus tamen solummodo, seu collectis, lectionibus epistolarum sacrarum, & evangeliorum, & complurium præfationum usu deprehenditur. Nam quod attinet ad canonem, Ambrosiana liturgia ferme concordat cum Romana. Idque olim etiam accidit, ut multo citius ea sacratior pars liturgiæ ubique in occidente reciperetur, & constantius, conformiusque retineretur; quamvis alioquin in ordine missæ, ac aliis divinis officiis, ritibusque sacris haud ægre major toleraretur diversitas. Qua esset in disciplinæ ejusmodi capitibus moderatione occidentalis, ac Romana imprimis ecclesia, patet ex controversia cum Græcis schismaticis, dum sub *Michaele* CÆRULARIO pleraque objiciebantur circa ritus, & disciplinam. HUMBERTUS Card. in sua legatione constanter ingeminabat, nihil obesse debere ejusmodi varietatem fidei unitati: & PETRUS etiam Antiochenus patriarcha in epistola ad *Michaelem*

CÆRU-

CÆRULARIUM, quam COTELERIUS *T. II. p.* 145. monumentorum Græcorum edidit, nihil etiam admodum præter solam additionem *Filioque* in Latinis, quod tolerari non posset, agnovit. Aperte LEO IX. in epistola ad eundem MICHAELEM, quæ extat T. IX. conc. ed. Labb. p. 949. n. 29. *Sciat namque*, scribit, *quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides, per dilectionem operans bona quæ potest, uni DEO commendat omnes.* Idem jam olim in ecclesia Romana notatum est apud S. CYPRIANUM *ep.* 75. a FIRMILIANO, sed applicatum iniquiore in causa: *Quod circa celebrandos dies paschæ, & circa multa alia divinæ rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Jerosolymis observantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab ecclesiæ catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum est.* Legi etiam in hanc rem meretur epistola S. HIERONYMI ad LUCINIUM in ejusmodi causa anxium: quemadmodum S. AUGUSTINUS postea Angliæ apostolus. *Sed mihi*, respondit S. GREGORIUS jam laudatus, *placet, ut sive in Romana ecclesia, sive Galliarum, sive in qualibet ecclesia invenisti, quod plus omnipotenti DEO possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum ecclesia, quæ de multis ecclesiis colligere potueris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca sunt curanda.*

Fuit hic, si quis alius pontifex, zelosus in ordinando divino officio, ut non solum ejus liber sacramentorum testimonio est, verum etiam Antiphonarius, quæ in missis canenda sunt exhibens: ac liber responsalis seu officialis, in quo cursus ecclesiasticus, tam pro nocturnis, quam pro diurnis horis in ordinem digestus continetur. Refert RADULPHUS decanus Tungrensis, sæculi decimi quarti scriptor, in libro de canonum observantia: *Cum officium Ambrosianum habet solemnem, & fortem cantum omnino alium a Romano, quem hodierna die sonora, & forti voce servant clerici civitatis, & diæcesis Mediolan. Et exinde apud Romanos B. GREGORIUS, & VITALIANUS Papæ cantum Romanum receperunt, qui per eos sub tenore, & tono, qui hodie cantatur, ubique extitit magis plane dulcoratus, & ordinatus.* Idem refert ad annum 1277. ac edocet rationem, cur *Breviarium* vocetur, quod clerici capellæ papæ quotidie officium abbreviarunt, imo etiam pro lubitu immutaverunt. Quodque tunc fratres minores sequebantur, appellat officium breviatum, verba ejus sunt hæc propositione XXII. *Sciendum, quod NICOLAUS Papa III. natione Romanus de genere Ursinorum, qui cæpit anno Domini 1277. & palatium apud S. Petrum construxit, fecit in ecclesia urbis amoveri antiphonarios, gradualia, missalia, & alios libros officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero ecclesiæ urbis uterentur libris, & breviariis Fratrum minorum, quorum regulam etiam confir-*

confirmavit. Unde hodie in urbe Roma omnes libri sunt novi, & Franciscani, & forma notularum in cantu antiqua, qua tam Ambrosiani, quam Alemannæ nationes utuntur, cum pluribus aliis observationibus ecclesiasticis ab urbe relegata. Mirari satis nequeo, quomodo in urbem Romam hæc aliunde ita introduci potuerint; cum antea ab ea urbe in occidentem tam studiose propagaretur ordo divinorum officiorum in missa, & reliquis divini cultus partibus: uti sane constat ex AMALARII libris de divinis officiis, antiphonario & epilogo, quem inscripsit *de officio missæ*, omnia tunc temporis fuisse ordinata juxta sacramentarium, & antiphonarium S. GREGORII, ordinemque Romanum. AMALARIUS tamen Romanum antiphonarium cum Francico jungendo correctius dedit, & AGOBARDUS Lugdunensis correctionem antiphonarii ad fideles suæ diœcesis, imprimis cantores metropolitanæ ecclesiæ direxit. At constat, ecclesiæ Lugdunensi tunc ob ritus varia fuisse vitio data. Contra vero non ita multo post *Walafridus* STRABO est testatus *cap.* 25. de origine, & progressu rerum ecclesiasticarum, ob reverentiam sanctæ sedis ejus usus fere in omnibus ecclesiis Latinis fuisse receptos. Quantum etiam deinceps in id enixi sint pontifices, donec omnia ad eam, qualis hodie est, conformitatem, præsertim in ordine missæ, redigerentur, constat ex iis potissimum, quæ sub GREGORIO VII. & URBANO II. sunt agitata ad obliterandam liturgiam Mozarabicam

missis in Hispaniam legationibus, habitis conciliis Tolosano imprimis an. 1090. Legionensi anno sequenti post alia, re tandem confecta quoad integrum divini officii ordinem: cum jam dudum ecclesia Gallicana, non solum missa sua liturgia, sed etiam omnibus aliis in partibus divini officii ad ritum Romanæ ecclesiæ totam se conformasset, pariter ac Angli, Germani, & cæteræ septemtrionales regiones, quæ aut nullum unquam alium ritum quam Romanum habuerunt, aut eum agentibus Romanis pontificibus adoptarunt.

Ex instructione pastorali GUILLEBERTI episcopi, ut videtur, Cabilonensis apud BALUZIUM *Tomo II.* capitularium, numerus habetur, ac recensio librorum variorum, quos vel parochi habere debebant, epistolarum nimirum, & evangeliorum, missale, collectionem canonum, calendarium, martyrologium, rituale pro mortuis. De antiphonario, & responsorio jam ex S. GREGORIO mentionem injeci, viderique possunt apud *Jos.* CARUM, seu THOMASIUM, cum appendice varia continente monumenta ad antiphonas, responsoria, ecclesiasticosque cursus pertinentia ex MSS. codicibus Romæ 1686. edita. Quoad ecclesiam vero orientalem adiri possunt, quæ edidit *Leo* ALLATIUS Parisiis 1644. iterum *Tomo V.* bibliothecæ Græcæ FABRICII impressa: ubi occurrunt præter menologium, typicon, liturgia, liber evangeliorum apostoli, lectionarium, psalterium octotonus,

para-

paraclecticon, triodion, pentecostarion, anthologium, horologium synaxarium, panegyrica, euchologium, hirmologium &c.

Patet hinc omnis generis libros liturgicos paulatim in oriente, & occidente accrevisse tum generaliter pro liturgia missæ, quale etiam vocatur in WIGBODI admonitione ad presbyteros e. g. missale plenum, quod non canonem solum, orationes, & præfationes continet, sed evangelia etiam, & epistolas, & volumina homiliarum, quæ solebant intra liturgiam haberi, seu recitari. Sunt etiam apud Græcos præsertim libri præcipuis festis proprii, ac menelogia, quibus respondent apud Latinos martyrologia, inde dicta haud dubie, quod præcipue martyres in iis commemorentur, quorum primis sæculis tantum occurrunt festa, fuitque ingens primorum christianorum cura, ut eorum acta conscriberentur, & dies consummati agonis diligenter annotarentur. Ex S. AUGUSTINI sermone 313. & 319. discimus, quo studio non solum acta martyrum colligi curarit, sed etiam miracula, quæ post mortem apud eorum memorias erant patrata, ut in ecclesia legerentur. Idque in ecclesia tam orientali, quam occidentali fit, ut menæa, ac martyrologia publice in ecclesia legantur, qualia plura habentur sub nomine etiam S. HIERONYMI, BEDÆ, FLORI, RHABANI *Mauri*, ADONIS. Sed olim publico in ecclesia usui destinatum fuit USUARDI martyrologium, cum collectiones ejusmodi aliæ

 forte

forte potius ad privatum usum fuerint, aut certe ad sanctorum dies designandos, quo pertinent menologia Græcorum haud rariora, quam apud Latinos martyrologia eo discrimine a menæis, quod in his haud absimiliter ac lectiones in nostris breviariis vitam, ac gesta sanctorum in compendio referant. Quale est etiam martyrologium ADONIS, & legendæ sanctorum. Quæ imprimis apta sunt ad devotionem nostram erga sanctos excitandam, exstimulandumque ad imitandum eorum exempla animum. Quæ ratio fuit, ut tam sollicite semper eorum acta conscriberentur Romæ præsertim a prima ecclesiæ ætate, si, quod in libro de pontificibus Romanis de S. CLEMENTE P. habetur, credimus: *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite, & curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* Et tamen vix habentur genuina saltem vel ipsorum primorum Romanorum pontificum acta. Quæ enim circumferuntur ejusdem primi S. CLEMENTIS, qui hos dicitur designasse notarios, pro spuriis habentur, quemadmodum etiam acta S. URBANI P. & M. in quibus inter alia etiam acta S. CÆCILIÆ leguntur. Cujus corpus PASCHALI P. sæculo IX. dum ad harmoniam cantus ecclesiastici placide obdormiret, fuit revelatum, & repertum veste auro ornatum cum linteaminibus sanguine tinctis ad pedes, uti habetur in epistola ejusdem pontificis. Idem de actis SS. ALEXANDRI, STEPHANI, MAR-

CELLI

CELLI pontificum & martyrum, item de actis S. SILVESTRI, & aliorum Romanorum martyrum SS. PUDENTIANÆ, AUREÆ, ANASTASIÆ censetur: cujus tanta semper Romæ fuit celebritas, ut in natali Domini proprium haberet officium, ac hodieque præter morem commemorationem. Nec aliter de actis S. SEBASTIANI judicant critici; ut quod in hymno de S. LAURENTIO, de S. XYSTO P. & M. refert PRUDENTIUS, solum sit, quod assertius de quoquam primorum pontificum, aut Romanorum martyrum haberi videatur: quorum plerique, cum in canone memorentur, martyres fuisse censeri possunt, pariter ac alii sancti, qui ad hodiernum usque diem in canone Romano leguntur, ad ecclesiam Romanam juxta veterum diptychorum rationem pertinentes. Idem habetur de aliis, quorum præcipuus fere est in ecclesia cultus sive Romæ, sive alibi in oriente, vel occidente: S. BARBARÆ e. g. AGATHÆ, cum illius celebri epitaphio *Mentem sanctam, spontataneam &c.* S. LUCIÆ, SS. COSMÆ, & DAMIANI, quorum plura habentur acta, quæ ad diversos, & quidem tria ejusdem nominis sanctorum paria referenda videntur: S. AGNETIS, S. CATHARINÆ: cujus nulla, nec quidem in antiquis martyrologiis occurrit memoria. Ne quid dicam de societate S. URSULÆ, de qua SIRMONDUS in veteri martyrologio sic reperit: *Sancta Ursula, & Undecimilla virgines & martyres.* S. BLASII, S. GEORGII, cujus

acta sub GELASIO Romæ, & in oriente in canonibus ecclesiasticis NICEPHORI patriarchæ fuerunt rejecta: SS. JOANNIS & PAULI. S. NICOLAI, qui in persecutione DIOCLETIANI pro fide in carcerem missus dicitur, a CONSTANTINO post aliquot annos ereptus: cum viginti excurrant anni, a quo tempore DIOCLETIANUS edicto secundo episcopos jussit in carcerem detrudi, donec CONSTANTINUS orientis potiretur. *Simeon* METAPHRASTES, sæculi decimi scriptor, inde dictus, quod SS. vitas oratorio, & prosopopeitico circumscriberet stilo, hic notatur. Ab aliis quidem, veluti BELLARMINO, *Auberto* MIRÆO, RUINARTIO, & BAILLETO fictionis crimen ei impingitur; ab aliis contra illius bona fides vindicatur, uti a BOLLANDO, *Guilielmo* CAVÆO, HONORATO *a S. Maria &c.* Quod etiamsi admittatur, id tamen dici debet, genuina discerni non facile licere inter paraphrases. Quod maxime dolendum in illis actis, ac vitis sanctorum, quæ ille forte genuina præ manibus habuit; successu autem temporum deperdita sunt. Qualia creduntur VALESIO in prolegomenis ad historiam ecclesiasticam EUSEBII, esse acta martyrum Palæstinæ. De quibus EULOGIUS Alexandrinus scripsit ad S. GREGORIUM M. hic autem respondit *Lib. VIII. ep.* 29. nec quidem collectionem ejusmodi ab EUSEBIO factam se nosse: habetur vero in actis S. SILVESTRI, quæ falso olim eidem EUSEBIO tribueban-

buebantur, quod undecim titulis passiones omnium fere martyrum per orbem acta perscripserit. Sed firmius est testimonium ipsius EUSEBII *Lib. V. hist. in proemio*, & S. HIERONYMI, qui *de script. eccles. c.* 81. opuscula ejus de martyribus memorat. Sunt, qui haberi in ejus historia hodie putent, quæ de hac re scripserit: ubi revera non pauca de martyribus non solum Palæstinæ, sed aliis etiam occurrunt; sed non semper concordant cum aliis, quæ e. g. S. CHRYSOSTOMUS de S. BABYLA Antiocheno habet. Plura apud eundem, & alios sanctos Patres ejusmodi occurrunt; sed oratorio sæpe stilo phalerata, nec semper ex genuinis actis repetita, aut accurata crisi discreta: uti e. g. S. GREG. *Nazianzenus* S. CYPRIANUM episcopum Carthaginensem cum Antiocheno martyre confundit. Et subsequentibus temporibus confusio talis inter SS. DIONYSIOS *Areopagitam*, & *Parisiensem* accidit, multorumque criticorum opinione in *S. Maria Magdalena*, quam veteres SS. PP. a peccatrice distinxerunt: quæve de eadem *Magdalena* Massiliensi advena dicuntur, antiquis historicis, ac martyrologis non concordare *Jo.* LAUNOYUS contendit, qui alias etiam nimis acrem se hic criticum ostendit, ut scommati de detrusis cœlo pluribus sanctis locum dederit. Cui jungi alii possunt, non solum hæretici, sed aliqui catholici etiam: qui idcirco festa sanctorum tantum non omnia, & eorum vitas e breviario tollendas existimarunt.

Quale consilium auctor consultationis de reformandis horis canonicis iniit. Sed religiose, & moderate hic est procedendum, nec omnia sunt explodenda, quæ in traditionibus ecclesiarum de sanctis habentur, etsi acta, & vitæ scriptæ autographæ non habeantur; etsi etiam circumstantiæ quædam fide, & relatione populari additæ successu temporis reperiantur; etsi etiam difficultates quædam in historia coæva occurrant: veluti, ut exemplum ex hac nostra demus vicinia, in actis martyrii S. MAURICII, ac legionis Thebææ a S. EUCHERIO conscriptis ex relatione eorum, qui id didicisse retulerunt a S. ISAACO episcopo Genevensi, & per ipsum a S. THEODORO, ac iis, qui testes adfuerunt gloriosi martyrii illius in diœcesi Octodorensi. Multa ita e. g. de S. AGNETE a S. AMBROSIO, de S. FELICE *Nolano* a S. PAULINO, a S. AUGUSTINO de S. VINCENTIO, item a PRUDENTIO de aliis etiam Hispaniæ martyribus sunt nobis relicta. Quod si non aliis item sanctis, iis præsertim, qui præcipuo aliquo cultu in ecclesia venerationem acceperunt, accidit, ut tales præcones acciperent; non ideo tamen cœlo sunt deturbandi, aut pia fidelium veneratione defraudandi. *Non ego hic promiscue sanctorum* legendas *suscipiam, aut magni facio, etiam si* aurea *vocetur*, veluti *Joannis de* VORAGINE, de qua hæc *Melchior* CANUS *Lib. II. c. 6. de locis theologicis. In illo*, inquit, *miraculorum monstra sæpius*

quam

quam vera miracula legas. Hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi, ac prudentis. Similiter loquitur *Ludovicus* VIVES *Lib. II. de caussis corruptarum artium.* Citat vero *Guil.* CAVEUS in *hist. litt. script. eccl. ed. novæ p.* 654. Quem alienum a castris catholicis mitius judicaturum nemo in animum inducet; laudare nihilominus is cogitur virum in DEUM devotum, in pauperes munificum, in quos integros fere episcopatus sui reditus distribuit. Erat nempe episcopus Genuensis ex ordine fratrum Prædicatorum. Quemadmodum *Petrus* NATALIS, seu de Natalibus patria Venetus ex parocho sanctorum apostolorum in diœcesi Castellanensi episcopus Equilinus sæculo XV. qui similem scripsit historiam seu catalogum martyrum, & sanctorum. Ex his haustæ sunt fere *legendæ*; quæ tamen ad privatum potius fidelium usum, quam publicum ecclesiæ sunt destinatæ. Secus ac initio usus illius vocis fuisse videtur, inde quod in ecclesia in martyrum solemnitatibus legi consueverint singulari privilegio, cum alias præter scripturas canonicas legi nihil liceret. In concilio Carthaginensi III. *c.* 47. permittuntur legi passiones martyrum, quum anniversarii eorum dies celebrantur. SS. AUGUSTINUS, LEO, & GELASIUS sæpe meminerunt lectionis istiusmodi historiarum in ecclesiis Africanis, & Romana. CÆSARIUS Arelatensis, & *Alcimus* AVITUS, & FERREOLUS de eadem loquuntur in ecclesiis Gallicanis, ut

BING-

BINGHAMUS refert *orig. eccl. Lib. XX. c.* 7. DURANDUS distinguit legendarium a passionario in rationali *Lib. VI. c.* 1. Legendarius vocatur liber ille, ubi agitur de vita, & obitu confessorum, qui legitur in eorum festis, martyrum autem in passionariis. Sed recentior est hæc distinctio. Estque generale legendarum nomen pro vitis sanctorum. Quæve ponuntur in secundo nocturno a PAULO diacono, & ab USUARDO jussu CAROLI M. compositæ fuerunt. Sed quæ hodie habentur, jussu CLEMENTIS VIII. a BARONIO, & BELLARMINO correctæ sunt, ut testatur *Dominic.* MACRUS in hierolexico. Quin vero adhuc subinde correctionem admitterent, nemo facile negabit historiæ ecclesiasticæ gnarus: quo hæc pertinent res facti infallibili ecclesiæ judicio haud obnoxiæ.

Quemadmodum circa sanctorum reliquias similiter invigilat quidem ecclesia, ut probatæ cultui publico exponantur; sed vadem præstare nequit, nullas unquam aut pias fraudes, aut dolos malos, aut etiam errores innocuos intervenisse ejusmodi in rebus, quæ in rerum natura passim obviæ manifeste non produnt id esse, quod pie, & religiose creduntur, ac venerationem merentur modo non superstitiosam, qualem universim nobis tribuunt Protestantes, in cultu imaginum relativo ad prototypum. Licet vero cultus iste ejus necessitatis, ac obligationis haud sit, sicut summi DEI, patebit tamen

suo

ſuo loco, in eccleſia ſemper fuiſſe religioſe obſervatum, memorias, & eccleſias honori ſanctorum eſſe erectas, atque ex eorum corporibus, ſacrisque Lipſanis venerationem accepiſſe loca ejusmodi publicis conventibus eccleſiaſticis dicata, conſecrataque imprimis altaria, ac templa in DEI, & ſanctorum honorem dedicata. Quæ ſingula proſequemur deinceps, in originem, obſervationemque avitam cultus publici indagantes, quoad ritus ſingulares, modumque officii, ac liturgiæ ſacræ ſecundum varias illius partes in conventibus eccleſiaſticis, ac feſtis in honorem DEI, & ſanctorum, vigiliis etiam, ac religioſis jejuniis, nec non cura pro mortuis.

Et ita claudimus principia theologiæ chriſtianæ octo complexi partibus, quarum tres priores fidem ſpectant exhibendo I. *Principia theologiæ exegeticæ*, ubi totius theologiæ chriſtianæ fundamentum ponitur de verbo divino ſcripto, & tradito, ejusque infallibili interprete eccleſia. Sequuntur II. *Principia theologiæ dogmaticæ* analytice juxta ſeriem temporum, ſeu traditionis eccleſiaſticæ. III. *Principia theologiæ ſymbolicæ*, ubi juxta ſeriem articulorum ſymboli apoſtolici præcipua doctrinæ chriſtianæ capita explicantur, conſueto fere in ſcholis ordine tractatuum theologicorum in theologia theoretica. Sequentes proxime partes, ad theologiam practicam referuntur. Ac primo quidem IV. theologicorum horumce principiorum

rum pars *Principia theologiæ mysticæ* complectitur, fundamentum theologiæ moralis christianæ, quoad interiorem reformationem, sanctificationem, perfectionemque hominis christiani. V. Sistit *Principia theologiæ moralis* ad actionum humanarum directionem juxta conscientiæ, ac legis divinæ dictamen, in fuga vitiorum, exercitationeque virtutum christianarum, ac observatione præceptorum. Pars VI. partim cum duabus prioribus, partim cum subsequentibus connectitur *Principia theologiæ canonicæ* continens secundum exteriorem gubernandæ ecclesiæ formam, ac moderandam disciplinam. VII. *Principia theologiæ sacramentalis* habet, quoad eorum numerum septenarium, ab ecclesia agnitum, & in theologia catholica assertum. Claudit demum opus pars isthæc octava: non quod nullæ aliæ theologiæ christianæ distingui possint partes, veluti intelliget, qui factam a me divisionem theologiæ in prolegomenis rememorabit; sed quod octo istis compendium quoddam eruditionis sacræ, & principia theologiæ christianæ mutuo nexu sibi cohærentia contineantur. Partes quæque ita disponuntur, ut quælibet earum separatim usui esse queat, ac principia sui generis complectatur, ad tirocinium formandum, quod annis scholasticis sufficiat, & ad ulteriorem etiam eruditionem sacram manuducat. Potuisse vero me servare hunc principiorum theologicorum ordinem, nihil fere immutato systemate theologiæ scholasticæ, juxta summam imprimis D. THOMÆ *Aquinatis*,

docto-


doctoris angelici, non mirabuntur, qui rectum theologiæ scholasticæ usum facere norunt. Recolendum tamen hic in calce integrum ordinem operis hujusce theologici duxi, ut, qui eo uti volunt (quod jam ex votis fieri video, ut non sit, cur me suscepti non modici sane laboris pœniteat) ordinem sciant, ac systema harumce theologicarum partium, quarum singulas per se subsistentes edidi ad commodiorem usum; neve augmentis theologiæ obsistam, quod nonnullis artibus, atque ipsi sacerrimæ theologiæ accidit, ut in systema redacta, dum in eo anxie hærerent scholastici, incrementa facultatis amplissimæ sisterentur. Quod meo instituto verendum non est: suppetunt enim, & forte a me, nisi mors, aut alii abripient labores, elucubrabuntur aliæ adhuc partes, vel quædam harumce copiosius explicabuntur per partes: veluti jam plures materias theologicas singulares dissertationibus, ac libris singularibus edisserui, imprimis vero animus, ac studium in me ardet, multorum hortationibus, & consilio exstimulatum, in jure ecclesiastico desudandi, si liceat, ac DEUS vires proroget, videaturque non inutile fore studium meum religioni, in qua stipendia mereo, aut ecclesiæ, cujus castra sequor, operamque meam omnem navo, atque illius ex arbitrio vivo, judicioque omnia committo, ut si pro ingenii, ac doctrinæ exilitate in quoquam sinistre ejus sententiam assecutus depromserim, exhinc jam indictum velim pronissimus ad retractan-

tractan-

tractandum in illis etiam, quæ res *facti* concernunt quæstiones adhuc controversas: veluti me deceptum in nonnullis fateor in controversia celebri de natura & gratia a nostris partibus, DEO sint laudes, remota, bona fide secutus, quos censebam a studio partium alienos, secus autem comperi. Sententiam vero, data proxima occasione, declarabo meam circa quædam secus a nonnullis, quam in mente habueram, intellecta.



SUMMA-



SUMMARIA.

PRINCIPIA THEOLOGIÆ LITURGICÆ.

Sectio I.

DE PRÆCIPUA LITURGIÆ PARTE SACRIFICIO MISSÆ.

Caput I.

Asseritur & explicatur sacrificium novi testamenti.

§§. 1. *Liturgiæ notio pro sacrificio, & aliis cultus sacri generibus.* 2. *Sacrificium nov. testam.* 3. *Incruentum.* 4. *Per sacerdotes oblatum.* 5. *Juge sacrificium.* 6. *Propitiatorium pro vivis & defunctis.*

Caput II.

De celebratione sacrificii.

7. *Ritus celebrandi sacrificium, liturgia, seu missa.* 8. *Quoad substantiam uniformis.* 9. *Missa catechumenorum & fidelium.* 10. *Illa ab introitu variis orationibus & lectionibus.* 11. *Hæc ab offertorio incipit variis cæremoniis.* 12. *Oblatio.* 13. *Præfatio.* 14. *Canon.* 15. *Memoria vivorum & mortuorum.* 16. *Consecratio.* 17. *Elevatio ad adorandum.* 18. *Oratio dominica.* 19. *Fractio hostiæ.* 20. *Osculum pacis.* 21. *Communio.* 22. *Benedi-*

Caput III.

De sacro apparatu ad celebrationem sacrificii.

SECTIO II.

DE CULTU SANCTORUM, IMAGINUM, ET RELIQUIARUM.

Caput I.

De intercessione, & cultu sanctorum.

Caput II.

De cultu imaginum.

Caput III.

De veneratione locorum, & instrumentorum, imprimis crucis dominicæ.

servatio ligni sanctæ crucis undique terrarum. 49. *Idemque trophæum in imaginibus ac signis.* 50. *Crucis etiam transeuntis.* 51. *Contra dæmones & quævis mala.*

Caput IV.

De reliquiis sanctorum.

52. *Reliquiarum nomine quæ veniant.* 53. *Earum jugis in ecclesia cultus.* 54. *Innumeris prodigiis a DEO comprobatis.* 55. *Ab ecclesia venerationi expositis.* 56. *Et a fidelibus religiose habitis.* 57. *Cautio in selectu reliquiarum.* 58. *Ob errandi periculum.* 59. *Quod, quomodo evitetur, ostenditur.*

SECTIO III.

DE REBUS AD CULTUM SACRUM PERTINENTIBUS.

Caput I.

De locis ad cultum divinum destinatis.

60. *Conventuum sacrorum loca.* 61. *Rite consecrata.* 62. *DEO, & sanctis ejus.* 63. *Varia ecclesiarum genera.* 64. *Earumque partes.* 65. *Et ornatus.* 66. *Debitaque reverentia.*

Caput II.

De variis rebus ad sacrum usum pertinentibus.

67. *De ratis cæremoniis in officio sacro.* 68. *De usu thymiamatis.* 69. *Et luminum noctu & diu.* 70. *Aqua lustrali.* 71. *Benedictionibusq; ac exorcismis variarũ rerum.*

Cap. III.

Caput III.

De partibus officii divini.

Caput IV.

De horis canonicis.

Caput V.

De festis.


Caput VI.

De statis jejunii diebus.

Caput VII.

De cura pro mortuis.

PRIN-



PRINCIPIA THEOLOGIÆ LITURGICÆ.



SECTIO I.
DE PRÆCIPUA LITURGIÆ PARTE SACRIFICIO MISSÆ.

CAPUT I.
Asseritur & explicatur sacrificium Nov. Test.



§. I.

Liturgia sacra specialius sumitur de præcipuo soli DEO debito sacrificii cultu. Generalius vero etiam de aliis sacris ritibus, fun- *Liturgiæ notio pro sacrificio, & aliis cultus sacri generibus.*

A ctio-

ctionibus in officio divino, ac publico ministerio cultus DEI, & sanctorum.

Sacrificium, seu oblatio DEO facta ad agnoscendum supremum DEI dominium super omnes creaturas fuit semper prima, ac præcipua divini cultus pars, non solum interiore mentis affectu, & abjectione coram divina majestate completa, sed etiam externo aliquo signo, ac ritu, quatenus corpore constamus, & anima. Inde a rerum primordiis in filiis ADAM, ac deinceps semper in posteris permansit hoc officium, ac ministerium publicum latriæ seu servitii divini, primum quidem in singularibus familiis tum naturali instinctu, ac jure, cum etiam divino κατὰ θείαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον juxta EUSEBIUM *secundum divinam voluntatem.* Ut vel inde elucescit, quod de sacrificiis ABEL & CAIN, NOE item, & aliorum deinceps patriarcharum in sacris paginis refertur, quomodo ad sacrificia respexerit rite persoluta, atque sibi complacuerit; ABRAHAMO etiam injunxerit, & postea in lege MOYSIS pene confecerit totum sacerdotale ministerium, & publicum divini cultus ministerium; ut illud impediisse filios HELI grande nimis coram Domino peccatum dicatur in scriptura: *Quia retrahebant homines a sacrificio Domini.*

Vid. P. Vener. cont. Petrob. & de sacrific. missæ.

L. I. de demonst. ev.

Gen. IV. 3. 4. VIII. 10 XXII. 18. XLVI. 1.

1. Reg. II. 17.

Illud vero alii quam DEO obtulisse capitale semper fuit: *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Idque ex ipsa sacrificii natura patet oblatione in supremi divini dominii contestationem, quod est singulare in sacrificio: „Nam (ut ait S. AUGU-

Exod. XXII. 20.

L. X. de

„STI-

STINUS) ut alia nunc taceam, quæ perti- „ nent ad religionis obſequium, quo colitur „ DEUS, ſacrificium; certe nullus homi- „ num eſt, qui audeat dicere deberi niſi DEO. „ Quod de omni ſacrificiorum genere patet, licet in veteri teſtamento rerum tantum terrenarum oblatione conſtiterint, ac pecudum mactatione, poſt peccatum in figuram agni immaculati in cruce occiſi. *civ. DEI. c. 4.*

Quare deinceps ceſſare debebant figuræ, quando aderat veritas; ut ait CHRISTUS: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Non quod hoc de ſola fide, ut Proteſtantes volunt, intelligendum ſit. Nam & *dæmones credunt, & contremiſcunt;* ſed ut opponatur Levitico cultui uni addicto loco. Et interior cultus ſpiritualis DEUM decet: ut deinceps ſequitur: *Spiritus eſt DEUS, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* „ Hoc eſt (ait MALDONATUS in hunc locum) quod hoc loco „ ſignificat, naturam ſuam, quæ non corporea, ſed ſpiritualis ſit, non requirere, ut „ ullus corporeus ſibi cultus exhibeatur. Si „ quando corporeum exigit ab hominibus cultum, id non ad ſuam, ſed ipſorum naturam accommodate facere. Cultum illum legalem, qui totus corporeus, & umbratilis „ erat, rejeciſſe, aliumque inſtituiſſe, ſi non „ omnino, quod propter corpoream hominum naturam fieri non poteſt, magis tamen certe ad naturam ſuam accommodatum, ſine umbris, ſine figuris, hoc eſt, in „ ſpiritu, & veritate. „ Hoc eſt, quod apoſtolus de miniſtris novi teſtamenti dicit: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamen-* *Jo. IV. 23.* *Rom. II. 29.*

ti non littera, *ſed ſpiritu*, ubi de inefficacia legis cæremonialis agit, atque legi imprimis hic meretur S. CHRYSOSTOMUS, ubi Judæos etiam carnales, & ſpirituales probe diſtinguit. Miniſterium tamen divini cultus publici quodcunque Liturgia vocatur tam in veteri, quam novo teſtamento. De veteri ajebat apoſtolus: *Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans λειτȣργῶν*. LUCAS autem de novo teſtamento *miniſtrantibus autem illis Domino*, *λειτȣργȣ́ντων δὲ ἀυτῶν τῷ Κυρίῳ*, quæ eſt ratio colendi DEUM verum per externos legitimos ritus.

Hom. VI. in ep. ad Rom.

Hebr. X. 12.

Ac primum quidem præcipuum quod ſpectat miniſterium ſacrificii quadruplex ejus ſolet diſtingui finis, primus ad teſtandum ſupremum dominium in omnes creaturas: ſecundus ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: tertius ad remiſſionem peccatorum obtinendam, conteſtandumque per deſtructionem victimæ, quid divinæ debeamus peccatores juſtitiæ: quartus ad obtinendum a DEO beneficia, & neceſſaria ejus gratiæ auxilia.

Sacrificio autem præcipuæ cultus divini partes aliæ etiam ſunt conjunctæ per ſacerdotes tranſigendæ. Paſſim notavit vel ipſe SUICERUS in Græcis patribus, vocari miniſtros eccleſiæ, ac ſacerdotes λειτȣργȣ̀ς τȣ͂ Θεȣ͂, τȣ͂ θυσιαςηρίȣ, miniſtri DEI, altaris, ὂυς τὴν λειτȣργίαν τȣ͂ θυσιαςηρίȣ πεπιςευμένȣς, qui miniſterium altaris concreditum habeant. In concilio Ancyrano habetur canon mox primus, qui huc mirifice quadrat de presbyteris, qui immolaverunt, ſed poſtea reluctati ſunt: *Viſum eſt eos honorem*

Teſ. eccl. V. λειτȣργός.

quidem

quidem ſedis retinere: offerre autem illis, aut ſermonem habere, vel omnino ſacro aliquo miniſterio λειτεργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν λειτεργιῶν, *non licet.* Quod apud DIONYSIUM ſacerdotalibus eſt officiis defungi. Et ZONARAS exponit ἐνεργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν δικαίων *obire ſacerdotale munus quodcunque.* Idem in canonem IV. Antiochenum contra presbyterum vel diaconum a proprio epiſcopo depoſitum, auſum aliquid de miniſterio agere τι πρᾶξαι τῆς λειτεργίας, *Liturgiam*, inquit, *hoc loco non ſacrorum modo, & incruenti ſacrificii celebrationem, ſed omnes ſummi ſacerdotii functiones dicit.* Et in canonem VI. codicis Africani de reconciliatione in publica miſſa, ſeu officio καταλλάξαι ἐις δημοσίαν λειτεργίαν reconciliare in publica miſſa: *Hoc eſt*, ait, *cum fidelium populo, multitudine ſcilicet* λειτεργῦσι, *pro manifeſte, & publice numen laudant, & DEO ſerviunt;* λειτεργεῖν *enim accipitur etiam de cultu, & laude.* Idem in canonem XII. Sardicenſem ad eandem vocem: *Verbum* λειτεργεῖν *hoc loco non ita intelligendum eſt, quaſi ſignificet ſacrificare, & incruentum offerre ſacrificium, ſed orare, & conſuetos hymnos DEO offerre.* Nimirum quod apoſtolus in ſacris conventibus vult fieri *obſecrationes, orationes, interpellationes, & gratiarum actiones.* LUCAS autem totum complectitur de apoſtolis loquens, perſeverantibus in fractione panis, & oratione. Quibus verbis chriſtianæ liturgiæ ſacræ, ac cultus publici ratio univerſa deſignatur.

1. *Tim.* *II.* 1. *Act.* *II.* 42.

 §. II.

§. II.

Sacrificium novi Test.

Sacrificium unum novi testamenti a CHRISTO in ultima cœna institutum secundum ordinem MELCHISEDECH in sacra perficitur liturgia non umbra, & figura, ut in veteri testamento, sed veritate corporis, & sanguinis Domini.

De sacramento eucharistiæ in corpore & sanguine Domini, illiusque hostibus egimus suo loco. Ex quibus etiam qui realem præsentiam nostris temporibus agnoscunt Lutherani, sacrificium tamen negant. Non iterum hic regeram, quo auctore LUTHERUS ipse fateatur, sese abrogasse missam, qua in ecclesia catholica offertur hoc sacrificium, a dæmone nimirum post longam disputationem victus, quam sui gregales solent tentationem, & conscientiæ angustias interpretari, cum prope in modum, quo somnium S. HIERONYMI de sui castigatione. Blasphemiæ, quas semel fronte posita, in sacrificium missæ passim *in libro de abroganda missa*, & altero *de missa privata*, ac alibi effudit, spiritum declarant, quo agitatus id egerit. Et Zwingliani, & Calvinistæ jure exprobrant, statuta reali præsentia sequi etiam oblationem fieri, seu sacrificium; nec CALIXTUS Lutheranus diffiteri potuit in exercitatione de sacrificio
§. 46. CHRISTI his verbis: *In missa DEO Patri suus Filius, Filiique mors, quæ verissimum est sacrificium, offertur, & quidem ut ex iis, quæ hactenus prolata sunt, pro vivis,*
§. 95. *& pro defunctis.* Dicit quidem postea, in

missa

missa esse sacrificium, si materia spectetur tantum, at si formaliter, vel si rationem, ut ipsius verba habent, & actionem offerendi, ac sacrificandi spectes, nullam, quæ proprie sacrificium dici, aut haberi queat, occurrere. Qua de re quid inter Lutheranos disputatum sit, apud WALCHIUM videri potest. DAN. VATERLANDUS in recognitione doctrinæ de eucharistia in Anglia lites narrat motas ERNESTO GRABIO, qui ad S. IRENÆI *lib. IV. c.* 32. eucharistiam proprium sacrificium nominaverat, ac spirituale illam sacrificium jure ac merito & esse, & dici demonstrat, collectis & veterum, & recentiorum hac super re judiciis. Pariter SAMUEL JEBB itidem Anglus in tertio operum S. JUSTINI cum variorum notis editorum volumine ostendit, apostolos, & omnes fere patres ecclesiæ eucharistiam pro novi testamenti sacrificio habuisse, & sacra symbola panis, & calicis DEO Patri in altari oblata docuisse. Sed isti omnes nisi aliter sapiant, quam CALVINUS, nihil dignum novo testamento afferunt. Quod aperte egit RADULPH. CUDWORTHUS in libro singulari de vera notione cœnæ Domini, hanc nimirum similitudinem habere tum Judæorum, cum etiam gentilium. Qua ratione putavit, doctrinam nostram de sacrificio non modo non astrui, sed funditus prosterni. GEORGIUS WALCHIUS dicit, opinionem hanc multos probasse etiam ex Lutheranis; sed simul observasse, inde argumentum suppetere contra reformatores de reali præsentia corporis & sanguinis CHRISTI in *sacra cœna*, ut isti vocant sacram eucharistiæ celebrandæ actionem, tantum ut majestatem illius deprimant, ausi

Luth. streit *T. I. c.* 4. *p.*387 *&c.* *p.*460 *&c.* 523. *p.*468 *c.* 12.

p. 215.

Religions-streit. *T. III. pag.* 241. *&c.*

etiam vocem iſtam in interpretationibus veterum liturgiarum adhibere, qualem Eus. RENAUDOTIUS notat SALMASIUM: *Excuſari*, inquit, *ſane Calviniſta poteſt, Calviniſtæ* (DALLÆO) *loquens de uſu ridiculo vocis cœnæ, ad liturgiam, totamque ſacram eucharistiæ celebrandæ actionem ſignificandam. Sed cum publice ſcribunt, uti debent illis vocibus, quas univerſa eccleſia uſu non interrupto multorum ſæculorum conſecravit: cum nulla gens chriſtiana cujuscunque ritus, & linguæ, ita locuta unquam fuiſſe reperiatur. Cedant eruditi illi, qui tantam orientalium linguarum peritiam ubique oſtentant, auctorem ullum, qui cœnam vocaverit celebrationem eucharistiæ, Græce, Latine, Syriace, Ægyptiace, Æthiopice, Perſice, aut Armenice.* Idem in præfatione ad liturgiam Æthiopicam LUDOLPHUM perſtringit, quod in ſuo lexico Æthiopico vocem *Corban* cœnam interpretetur: *Quæ*, inquit, *ſæpius uſurpatur in liturgia, idem ſignificat Æthiopice, quam apud Syros, & Arabes chriſtianos, ſacrificium nempe eucharisticum.* Qua ſignificatione etiam non raro eam vocem in ſcripturis occurrere alibi idem obſervavit, atque ſacrificii nomen paſſim in omnibus liturgiis orientalibus notavit, quemadmodum & alii in liturgiis occidentalibus, ut MABILLONIUS in Gothicis, ac Gallicanis, & in Romanis omnibus occurrit, WALAFRIDO teſte a S. LEONE inſitis his verbis: *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*, poſt verba illa, *quam tibi obtulit ſummus ſacerdos MELCHISEDECH*, de quibus jam in quæſtionibus HILARII diaconi in novum teſtamentum dicitur: *Summus*

T. I. lit. orient. p. 313.

Ib. p. 499.

Præf. n. 10.

sacerdos MELCHISEDECH, *ut in oblatione præsumunt sacerdotes.* Quo apostolus illud psalmi 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem* MELCHISEDECH, quem de CHRISTO ipse sumit CHRISTUS, refert ad CHRISTUM pontificem, & sacerdotem secundum ordinem MELCHISEDECH. Quod utique non in cruce, sed in ultima cœna demonstravit, apostolisque faciendum in sui commemorationem præcepit, estque illud sacrificium, quod MALACHIAS repudiatis veteribus sacrificium seu oblationem mundam in omni loco offerendam ore divino prædicit. *Sed &*, inquit JUSTINUS ea MALACHIÆ verba contra TRYPHONEM Judæum versans, *suis discipulis dans consilium primitias DEO offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, cum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens:* Hoc est corpus meum: *& calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti, novam docuit oblationem.* Et in Fragmento S. IRENÆI recens a CHRIST. PFAFFIO Lutherano edito: „Qui ultimas apostolorum constitutiones assecuti sunt, ii norunt, Dominum in novo testamento novam instituisse oblationem secundum dictum MALACHIÆ prophetæ. Propterea ab ortu solis, & usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco suffitus offertur nomini meo, & victima munda, uti & JOANNES in apocalypsi dicit: Suffitus *sunt preces sanctorum*, Et PAULUS hortatur, ut *sistamus corpora nostra victimam*

Hebr. VII.

Mal. I. 10.

Frag. 2.

„ *mam viventem*, *sanctam*, *beneplacitam* „ *DEO*, *rationalem cultum nostrum.* Et rur„ sus: *Offeramus victimam laudis*, *hoc est* „ *fructum labiorum.* Nam hæ oblationes non „ secundum legem sunt, cujus chirographum „ delens Dominus e medio sustulit, sed secun„ dum spiritum; nam in spiritu & veritate o„ portet adorare Dominum. Quapropter ob„ latio eucharistiæ etiam non carnalis, sed „ spiritualis est, & in hoc munda. Offerimus „ enim DEO panem & poculum benedictio„ nis, gratias agentes ipsi, quod terræ man„ daverit progignere hos fructus ad nostrum „ nutrimentum, & postea finita oblatione in„ vocamus Spiritum S. ut exhibeat hanc vi„ ctimam, & panem corpus CHRISTI, & „ poculum sanguinem CHRISTI, ut, qui „ hæc antitypa accipiunt, remissionem pec„ catorum, & vitam æternam consequantur. „ Illi itaque, qui has obligationes in recor„ datione Domini agunt, non sane Judæorum „ institutis accedunt, sed spiritualiter sacra fa„ cientes sapientiæ filii vocabuntur. „ Hæc ille occasione loci MALACHIÆ. Eandem eodem applicat prophetiam alibi S. IRENÆUS, & alii SS. PP TERTULLIANUS, CYPRIANUS, EUSEBIUS, CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS &c. Judæos potissimum impugnantes ex propriis suis prophetis, ac libris.

Ita exemplum D. PAULI secuti sancti patres, unacum ecclesia in liturgia, uti jam vidimus, MELCHISEDECH typum CHRISTI agnoverunt omnes in hoc incruento sacrificio corporis & sanguinis CHRISTI sub
Ep. 63. speciebus panis, & vini: *Quod autem*, inquit

S. CY-

S. CYPRIANUS, *MELCHISEDECH typum CHRISTI portaret, declarat in psalmis Spiritus S. ex persona Patris ad Filium dicens:* Ante luciferum genui te, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem MELCHISEDECH. *Qui utique ordo hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod MELCHISEDECH sacerdos DEI summi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod ABRAHAM benedixit. Nam qui magis sacerdos DEI summi, quam Dominus noster JESUS Christus? Qui sacrificium DEO Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod MELCHISEDECH obtulerat, id est panem, & vinum suum scilicet corpus, & sanguinem.* S. AUGUSTINUS passim hoc CHRISTI deprædicat æternum sacerdotium, ac sacrificium: „ Quod nunc (inquit alicubi) a christianis offertur DEO toto orbe terrarum, „ impleturque illud, quod longe post factum „ per prophetam dicitur ad CHRISTUM „ qui fuerat adhuc venturus in carne, *Tu es* „ *sacerdos in æternum secundum ordinem* „ *MELCHISEDECH.* Non scilicet secundum „ ordinem AARON: qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur. „ Idem cum aliis SS. PP. illud ps. 39. sic legens *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi,* huc interpretatur: „ Quia (inquit) pro illis „ omnibus sacrificiis, & oblationibus corpus „ ejus offertur, & participantibus ministratur. „ Lege, quæ in hunc locum psalmi commentatur. Et S. CHRYSOSTOMUS adversus Judæos: *Quod, ait, ex persona CHRISTI totum hoc vaticinium ediderit docens, cum dixisset:* Sacrificium & oblationem noluisti,

L. XVI. de civ. DEI. c. 22.

L. XVII. de civ. D. c. 20. n. 12.

Hom. 7.

luisti, *subjecit*, corpus autem adaptasti mihi; *de corpore loquens dominico, communi pro toto orbe sacrificio.* Hoc ergo sacrificium, quod CHRISTUS semel obtulit in cruce, ac in cœna instituit, faciendum in suam commemorationem commisit sacerdotibus in sacra liturgia, ac missa. „ Missa „ autem (inquit RHABANUS MAURUS) „ est legatio inter DEUM, & homines, cujus „ legationis officio fungitur sacerdos, cum po„ puli vota per preces & supplicationes ad „ DEUM offert. Et bene hoc tempore sa„ crificii fit, quando illius passionis memoria „ celebratur: CHRISTI videlicet media„ toris DEI, & hominum, qui seipsum obtu„ lit Patri pro nobis. Hunc autem morem „ sacrificii primum Dominus noster JESUS „ CHRISTUS, & magister instituit, quan„ do commendavit apostolis corpus suum „ priusquam traderetur, sicut legitur in evan„ gelio: *Accepit*, inquit, *panem JESUS,* „ *& benedicens fregit, & dedit eis, & ait:* „ *Hoc est &c.*

De instit. cler. L. I. c. 32.

§. III.

Increuentum.

Unum hoc, instar omnium cruentorum veteris testamenti, juxta institutionem CHRISTI incruentum est novi testamenti sacrificium, quo CHRISTUS, semel in cruce immolatus, offertur quotidie in altari.

Veteris testamenti sacrificia figuræ fuerunt sacrificii crucis cruenti; novi testamenti sacrificium figura non tantum est, sed veritas corporis, & sanguinis D. N. J. C. in cruce effusi.

fusi. Hinc in sacrificio altaris repræsentatur quidem, sed efficaciter, & realiter, evanescente figura, quando adest veritas. Quoniam vero pretium aliquod ex sacrificio CHRISTI vetera desumebant sacrificia, ideo etiam in canone Romano dicitur: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi ABEL, & sacrificium patriarchæ nostri ABRAHÆ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus MELCHISEDECH.* Quæ ex multis sacrificiis (cujusmodi major numerus recensetur in liturgia constitutionum apostolicarum) collecta, figuram habuerunt hujus ipsius incruenti sacrificii, oblationes nimirum ex fructibus terræ ABEL, sacrificium ABRAHÆ, dum filius ad sacrificium ducitur, ejus autem instar aries est mactatus, & MELCHISEDECHI panis & vini oblatio magis congruens. Unde & CHRISTUS, ut vidimus, sacerdos DEI in æternum secundum ordinem MELCHISEDECH dicitur, quia in sui memoriam æternum hoc instituit sacrificium. „ Nam (inquit S. CYPRIANUS) si JESUS CHRISTUS, Dominus, & DEUS noster, ipse & summus sacerdos DEI Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille sacerdos vice CHRISTI fungitur, qui id, quod CHRISTUS fecit, imitatur. „ Imitamur autem CHRISTUM in eo, quod in cœna fecit in memoriam suæ passionis, & fieri in suam commemorationem voluit post mortem suam, & cruentam in cruce victimam. *Vidimus*, inquit S. AMBROSIUS, *principem sacerdotum ad nos venientem;*

Ep. 69.

Enarrat. in psal. 38.

tem; vidimus & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio. Quia etsi nunc CHRISTUS non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando CHRISTI corpus offertur.

Patet hinc præstantia hujus sacrificii licet incruenti, præ sacrificiis veteribus, licet in memoriam tantum sit sacrificii crucis. „ Cum „ ergo (ait EUSEBIUS) hujus sacrificii memo„ riam signis quibusdam in mensa celebran„ dam, corporisque item illius, salutarisque san„ guinis, ut novi testamenti institutum habet, „ acceperimus, rursus a propheta DAVID in„ struimur adducendum: *Parasti in conspectu* „ *meo mensam contra eos, qui affligunt me.* „ *Pingue fecisti in oleo caput meum, & ca*„ *lix tuus inebrians quam præstantissimus.* „ Palam igitur in his mysticam significat un„ ctionem, & horrorem afferentia CHRI„ STI sacrificia, quibus operantes incruen„ tas, & rationales, eique suaves victimas in „ tota vita supremo DEO offerre per eminen„ tissimum omnium ipsius pontificem edocti „ sumus. „ Hoc pulchre expendit S. CHRYSOSTOMUS, eo, quo jam diximus, mo„ do in ABRAHAMI sacrificio: *Non*, inquit, *gladium pueri jugulo immersit: non cervicem incidit; sed & sacrificium etiam sine sanguine sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus: propterea & illud sacrificium sine sanguine perfectum est; quoniam hujus figura esse debuit. Vides in veteri testamento imaginem multo ante adumbratam? Noli veritati fidem derogare.* Ita ergo juge celebratur sacrificium incruentum, quod

L. I. demonstrat.

In Eucstas. T. II. p. 606.

quod ſemel in cruce CHRISTUS obtulit cruentum. „ Nonne (inquit S. AUGUSTINUS) ſemel immolatus eſt CHRISTUS „ in ſeipſo, & tamen in ſacramento non ſolum per omnes paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari. „ Legi meretur homilia nona S. CYRILLI Alex. de paſchate, ubi convenientiam hanc, & diſcrimen ſacrificii quotidiani ab unico ſacrificio crucis egregie ediſſerit. Illa nempe in fide realis præſentiæ, a nobis ſuo loco aſſertæ, conſiſtit, hoc autem in diverſa ſacrificandi ratione deprehenditur: *Quia*, ut ait S. GREGORIUS M. *is, qui a ſe reſurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur: nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram paſſionem illius reparamus.* Et ut PASCH. RATBERTUS dicit: „Quia licet ab omnibus CHRISTI caro, & ſanguis quotidie comedatur, ipſe tamen agnus vivus, & integer permaneat: *non enim jam moritur, mors ei ultra non dominabitur;* ſed tamen in myſterio quotidie veraciter immolatus, in ablutionem delictorum comeditur. „ Ita ergo præſentia realis ſimul eſt, repræſentativa, ejuſdem virtutis in altari, ac in cruce verum ſacrificium, ac holocauſtum: *In ſacramento tamen*, verba ſunt LANFRANCI, *quod in hujus rei memoriam frequentat eccleſia, caro Domini quotidie immolatur, dividitur, comeditur, & ſanguis ejus de calice fidelium ore potatur, utraque vera, utraque de virgine ſumta.* Quam ſententiam egregie etiam IVO Carn. ex LANFRANCO,

Ep. 98. *n.* 9.

In evang. L. II. h. 37.

De corp. & ſang. D. c. 2.

De corp. & ſang. D. c. 15.

CO., ut videtur, expressit in secunda parte sui decreti. Et ex medio illo ævo imprimis legi meretur PETRUS Cluniac. dictus Venerabilis tractatu de sacrificio missæ, & contra Petrobrusianos sacrificium missæ posthabentes in ecclesia: „ Quod ille fecit semel moriendo, „ (ut ait) hoc illa facit semper offerendo. Sed „ quia novi hæc magis dicenda esse fidelibus „ venerantibus, quam infidelibus: recondan„ tur interim margaritæ, ne a porcis con„ culcentur. „

§. IV.

Per sacerdotes oblatum.

Incruentum hoc sacrificium soli offerunt ad altare sacerdotes, DEI ministri CHRISTI in ecclesia, cum votis fidelis populi sacrificii participis.

Qui potestate pollent consecrandi corpus, & sanguinem CHRISTI Domini, quam suo loco sacerdotibus N. T. vindicavimus, soli hanc juxta CHRISTI institutionem, exemplum, & potestatem in ultima cœna datam, legitime faciunt oblationem sacrificii: quæ est maxima dignitas humani generis, ac regalis sacerdotii, non promiscuæ plebis, aut fidelium etiam, sed qui ex illis rite sunt ordinati in ecclesia sacerdotes.

Serm. de Quadrag.

Nil dicam de anili quorundam fabula, & errore, quem Veronæ gliscentem suo tempore RATHERIUS refutavit, S. MICHAELEM singulis lunæ diebus ante DEUM missam celebrare; unde frequentes eo die ad ecclesiam ejus nomine dedicatam ibant. Extat CUERVINI ad S. BERNARDUM epistola de hæreticis Westphaliæ, qui negabant tunc superesse sacerdotes ad consecrationem myste-

myſteriorum, ad miniſterium ſermonis redigentes ſacerdotium. De Novatoribus hanc ſacerdotii chriſtiani præcipuam partem abjicientibus jam dixi, qui nonniſi metaphoricam admittunt ſacrificii rationem in novo teſtamento. Diſtinguenda hic ſunt, quæ non raro veteres de ſpirituali ſacrificio ab omnibus offerendo dicunt, ut paulo ante ex S. IRENÆO retulimus, huc citante verba D. PAULI, hortantis ſiſtere corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, DEO placentem, rationabile obſequium noſtrum &c. Atque inter alios ſanctos patres diſſerte imprimis S. CHRYSOSTOMUS explicat, & S. CYRILLUS ALEXANDR. inſigni opere de adoratione, & cultu in ſpiritu, & veritate ad GLAPHYRAM, imprimis libro decimo ſexto. Nec etiam hic de oblationibus vel ſymbolorum, vel aliarum etiam rerum tum ad altare, cum alibi faciendarum a fidelibus ſermo eſt. Ubi imprimis notanda eſt diſtinctio in canonibus apoſtolorum: *Si quis epiſcopus, aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare: id eſt aut mel &c.*

Hom. 21. in ep. ad Rom.

Can. 3.

Quæ pertinent ad neceſſariam ſacrificii materiam a ſacerdotibus adhibendam, offerendamque: ac mox ſubſequitur de oblationibus fidelis populi: *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas &c.* „ Et „ (ut ait S. IRENÆUS) non genus oblationum reprobatum eſt, oblationes enim & „ illic, oblationes autem & hic, ſacrificia in „ populo, ſacrificia in eccleſia, ſed ſpecies „ immutata eſt. „ Ubi rite diſtinguuntur oblationes juxta veterem morem etiam a fidelibus ad altare deferendæ ad eccleſiæ vel ſacrificii uſum; unde diſcernebant ſacerdotes, ſume-

Can. 4.

L. IV. c. 18.

bantque, quæ juxta institutionem dominicam pertinerent, & offerrentur in altari, materia incruento sacrificio futura, a se solis, potestate a CHRISTO concessa, offerendo: *Ubi etiam*, sunt S. CLEMENTIS ROM. verba, *& a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit: ut pure, & sancte omnia facta in beneplacito, accepta essent voluntati ejus. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti, & beati sunt: nam, qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt; & sacerdotibus locus proprius assignatus est; & Levitis sua ministeria incumbunt, homo laicus præceptis laicis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu gratias DEO habeat, in bona conscientia degens, non transgrediens præscriptam muneris sui regulam in honestate. Non ubique, fratres, offeruntur sacrificia jugia, vel votiva, vel pro peccato, & delicto, sed Hierosolymis tantum, atque illic non in omni loco fit oblatio, sed ante populum ad altare; prius facta a summo sacerdote, & prædictis ministris, oblati inspectione, ac probatione. Qui ergo præter id, quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, morte multantur.* Paulo post pro more ævi illius episcopos denominat τὺς ἀμέμπτως ϰ̀ ὁσίως προσενέγκοντας τὰ δῶρα, *qui inculpate, & sancte offerant dona.* Et S. IGNATIUS sine episcopo dicit neque baptizare licere, neque offerre, aut sacrificium facere. Quod JUSTINUS M. in apologia II. ad προεςῶτας *sacrorum præsides* refert, iterum pro more eorum temporum, quo omnes ad unum confluebant sacrificium,

Ep. I. *ad Cor. n.*40. 41.

n. 44. *ad Smyrn. c.* 7.

&

& simul offerebant singuli juxta gradum, & locum suum, ut primum ex S. CLEMENTE retulimus. Sunt enim singulis etiam fidelibus in sacrificio partes, sed offerendi munus sacerdotis est.

Quod recte distinxit TERTULLIANUS, qui objici alias hic solet, quasi, ubi non est consensus sacerdotum, singulis quibusque offerendi munus indulgeat; ita vero contra MARCIONEM loquitur tractans locum MATTHÆI VIII. 4. *Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit MOYSES: Argumenta enim*, ait, *figurata, utpote prophetatæ legis, adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quemdam peccatorem, verbo mox DEI immaculatum, offerre debere munus DEO apud templum, orationem scilicet, & actionem gratiarum apud ecclesiam, per Christum JESUM catholicum Patris sacerdotem.* Hæc omnia nimirum in sacrificio CHRISTI secundum ordinem MELCHISEDECH sacerdotio æterno in suis ministris digne fiunt. *L. IV. c. 9.*
„ Quemadmodum (ait EUSEBIUS) salvator noster JESUS, qui est CHRISTUS DEI, ipsius MELCHISEDECH ritu ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo, & pane, dum ipsi ABRAHAM benedicit; ita sane primus ipse salvator, ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus, spirituale secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane & „ *L. V. demonstrat.*

 „ cor-

„ corporis illius, & ſanguinis myſteria repræ-
„ ſentant. „ Sic ſanctum ſacerdotem AMPHILOCHIUM S. GREGORIUS NAZ. alloquitur: *O DEI cultor ſanctiſſime, ne cuncteris orare, & intercedere pro nobis, quando dicto allicis verbum DEI, quando incruenta ſectione corpus, & ſanguinem Domini cum ſecas vocem adhibens pro gladio.* Et in laudem CRATERII defuncti: *O genua, o palmæ, puriſſimis DEUM quæ placabatis hoſtiis, CRATERII, quomodo ceſſaſtis.* Recolenda eſt hic, quam paulo ante ex RHABANO MAURO attuli, ſacrificii definitio, quo ſacerdotes, legationis munere DEUM inter & homines fungentes, vota offerunt fidelium. Ita communis eſt perfunctio ſacrificii miniſterio ſacerdotum, ut paucis rem optime INNOCENTIUS III. explicat: „ Non ſolum offerunt ſacerdotes, ſed „ & univerſi fideles. Nam quod ſpecialiter „ adimpletur miniſterio ſacerdotum, hoc uni- „ verſaliter agitur voto fidelium. „

Ep. 240.

Carm. 40. apud Murat.

De myſt. miſſæ. c. 6.

§. V.

Juge ſacrificium.

Juge, ac perenne eſt hoc ſacrificium ſemper, & ubique in chriſtiana eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi celebrandum.

Sacrificia veteris teſtamenti in lege Moſaica ad certum locum, ac tempus ſunt aſſignata, non item incruentum novi teſtamenti ſacrificium, uti per MALACHIAM eſt prædictum: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non accipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum*

Mal. I. 11.

in gentibus, dicit Dominus exercituum, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Quod designans, ac complens tempus CHRISTUS ad Samaritidem dicit: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Jo. IV. 21. Manifestum est autem de sacrificio esse rem: quocirca Samaritanis cum Judæis erat schisma, illis in monte Garizim, his Hierosolymis tantum offerendum contendentibus. At CHRISTUS ait: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* v. 23. Jam ostendimus & adorationem præcipue in sacrificio esse positam, & adorationem in spiritu & veritate distingui a typico veteris testamenti cultu, victimisque brutis per spirituale & verum CHRISTI sacrificium, quod in omni offertur loco, ac verus dignusque DEO præstatur cultus a christianis, oblatio munda juxta MALACHIÆ prophetiam, & CHRISTI effatum, quandoquidem & cruentum crucis sacrificium Hierosolymis extra urbem est oblatum, quod nunc incruentum in altaribus offertur: *Una enim,* Sess. 22. ut habet concilium Trid. *eademque est hostia,* c. 2. *idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Hanc apostolus designat: *Et* Hebr. V. *consummatus, factus est omnibus obtemperan-* 9. 10. 11. *tibus sibi causa salutis æternæ. Appellatus a DEO pontifex juxta ordinem MELCHISEDECH. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Exposuit

 autem

1.*Cor.XI. 23. &c.* autem Corinthiis : *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Hoc est sacrificium dominicum, quod jam ex actibus didicimus jugiter esse oblatum ab apostolis, ministrantibus, λειτουργούντων, autem illis, & jejunantibus; ac deinceps in omni loco, ac tempore juxta præceptum Domini. „ Cum ergo (testatur S. CLEMENS „ ROM.) hæc nobis manifesta sint, etiam in „ divinæ cognitionis profunda introspicien„ tes, cuncta ordine debemus facere, quæ „ nos Dominus jussit peragere. Statutis tem„ poribus, oblationes, & liturgias (προσφορὰς καὶ λειτουργίας) perficere neque temere, „ neque inordinate fieri præcepit, sed præfinitis „ temporibus, & horis. „ Et paulo post: „ Qui igitur præstitutis temporibus oblationes „ suas faciunt, accepti, & beati sunt. „ Quia nimirum per hoc sacrificium nobis communicatur, ac sanguinis CHRISTI in cruce pretium corporisque victimæ salutaris fit participatio. *Nam*, ut ait S. IGNATIUS, *nisi quis intra altare sit, privatur pane DEI.* Et alibi: *Una enim est caro Domini nostri JESU Christi, & unus calix in unitatem sanguinis ejus. Unum altare, sicut unus episcopus*

Ep. 1. ad Cor. n.40.

Ep. ad Ephes. & alibi ad Ephes.

cum

cum presbyterio, *& diaconis conservis meis.* Ut nimirum simul cum altari & sacrificio indicet destinatos ad hanc oblationem. „ Nos „ (inquit S. JUSTINUS M. in dialogo „ cum TRYPHONE, ubi alias sæpe mentio „ fit sacrificii, & oblationis) pontificale, & sa- „ cerdotale genus sumus, ut etiam ipse DEUS „ testis est qui dicit: *In omni loco in genti-* „ *bus hostias acceptas gratasque sibi offerri.* „ Neque vero a quoquam hostias DEUS acci- „ pit nisi a suis sacerdotibus. Itaque omnia „ sacrificia, quæ suo nomine facienda JESUS „ CHRISTUS tradidit, id est in eucharistia „ panis & calicis, quæ in omni loco a chri- „ stianis fiunt, præoccupatione usus DEUS „ sibi grata esse testatur. Quæ autem a vo- „ bis vestrisque sacerdotibus fiunt, improbat „ &c. „ Similiter ATHENAGORAS M. reprobatis gentilium sacrificiis uno verbo sacrificium incruentum, & rationalem cultum *ἀναίμακτον θυσίαν καὶ λογικὴν λατρείαν* indigitat in apologia. Latius vero explicat sacrorum conventuum rationem simili in argumento JUSTINUS M. ut criminationes retunderet veluti illicitarum conventionum, ac vetitarum Romanis legibus, in quas sollicite indagabant, & nonnunquam deprehendebant. Cujusmodi insigne habetur documentum in actis MM. SATURNINI presbyteri comprehensi cum aliis, dum *dominicum*, ut vocarunt, celebrabant, quidquid vetaretur. *Quia non potest intermitti dominicum*, ut respondit SATURNINUS. Et insistente judice, cur hoc contra decretum imperatorum fecisset, hoc unum respondit: *Lex sic jubet, lex sic docet.* Et jam antea in quæstionem vocata VICTORIA torta

Act. sinc. ap. Ruinart. p. 386.

p. 385.

libere respondit: *In collecta fui, & dominicum cum fratribus celebravi, quia christiana sum.* Quod nimirum primarium hoc esset christiani nominis munus ac lex juxta præceptum dominicum ac institutum suo loco ac tempore persolvendum. Atque ita intelligi debet S. IRENÆUS dum ait: *Sed & suis discipulis dans consilium primitias DEO offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est,* accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, *& calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert DEO.* Postea: *Igitur ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud DEUM, & acceptum est ei, non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur in eo, quod offert, si acceptetur munus ejus.*

L. IV. c. 32.

c. 34.

Hæc, aliaque primævæ ecclesiæ testimonia cum perpendisset ERNEST. GRABIUS, pro certo confessus est, IRENÆUM, ac omnes, quorum scripta habemus, patres apostolis sive coævos, sive proxime succedentes, sacram eucharistiam pro novæ legis sacrificio habuisse. Atque hanc non privatam particularis ecclesiæ vel doctoris, sed publicam universalis ecclesiæ doctrinam, atque praxin fuisse, quam illi ab apostolis, apostoli ab ipso CHRISTO edocti acceperint. Relatis deinde testimoniis veterum patrum addit etiam Anglorum recentium Protestantium imprimis

In L. IV. c. 37. S. Iren.

Jos. MEDI non solum sententiam, sed & votum de restituendo sacrificio in cap. VIII. operis *de sacrificio christiano*: „ Toto (ait) „ corde subscribo, atque opto, ut, postquam „ multi pii, doctique e parte Protestantium „ viri hunc LUTHERI, & CALVINI „ errorem, ac veram apostolicæ ecclesiæ do- „ ctrinam hanc agnoverunt, hujus quoque san- „ ctissimas formulas liturgicas, quibus dictum „ sacrificium DEO offertur, ab illis male e „ suis cœtibus proscriptas in usum revocent, „ & hunc summum divinæ majestati honorem „ debite reddant. „ Inter alios vero Anglos a me jam laudatos etiam BERNARDUS in laudatum a me S. CLEMENTIS locum, & Guil. BEVEREGIUS in codice ca- *c. 18.* nonum ecclesiæ primitivæ illustrato legi possunt, ubi testimonia antiquiora illa referuntur, quibus sacrificii, oblationis, altaris &c. fit mentio, quod tam in testimoniis scriptorum, quam publicis omnibus in liturgiis constans est, ut infinitum esset eorum inire numerum. Hactenus vero ad omnia hæc tam nostra, quam propria ac domestica vota surdi sunt Protestantes, ut in illis novissima ordiantur tempora, de quibus S. HIPPOLYTUS in libro de consummatione sæculi: *Sed & ecclesiarum ædes sacræ tugurii instar erunt, pretiosumque corpus, & sanguis non extabit amplius in diebus illis.* *T. I. bibl. PP. p. 15.*

Quam vero multo beatius suaviusque in auribus catholicis insonabit aliquando, quod paulo post idem HIPPOLYTUS ex ore CHRISTI profert: *Venite pontifices, qui pure mihi sacrificium die noctuque obtulistis, & pretiosum corpus, & sanguinem meum immolastis quotidie.* Id de se testatur S. AM-

Ep. 20. n. 15. BROSIUS: *Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat* (diabolus) *eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium.* Et S. HIERONYMUS: „ Hoc convivium quotidie „ celebratur, quotidie Pater Filium recipit, „ semper CHRISTUS credentibus immo- „ latur. „ Alibi pulchre hoc perenne pascha nostrum ac festivitatem idem pronunciavit ex CHRISTI institutione: „ Salvator quoque ge- „ neris humani pascha fecit in cœnaculo, & „ magno, lætoque cœnaculo, atque omni sor- „ de purgato, stratoque, & ad spirituale con- „ vivium præparato, ubi mysterium corporis „ & sanguinis suis tradidit discipulis, & æ- „ ternam nobis agni immaculati reliquit fe- „ stivitatem. „ S. CHRYSOSTOMUS: *Aliud pascha, aliud quadragesima: siquidem quadragesima semel in anno fit, pascha vero ter in hebdomada, nonnunquam etiam quater, vel potius quotiescunque volumus. Est enim pascha non jejunium, sed oblatio, & sacrificium, quod in singulis fit collectis.* S. AUGUSTINUS: „ Nonne semel oblatus „ est CHRISTUS in seipso, & tamen in „ sacramento non solum per omnes paschæ „ solemnitates, sed omni die populis immo- „ latur: nec utique mentitur, qui interroga- „ tus responderit immolari.

Epist. ad Dam.

L. XII. in c. 41. Ez.

Hom. 5. in eos, qui pascha jejunant. T. I. p. 611

Ep. 98. ad Bonif.

§. VI.

Propitiatorium pro vivis & defunctis.

Suapte patet, atque semper est habitum hoc sacrificium in ecclesia vere propitiatorium, ad placandum divinum Numen tam pro vivis, quam pro defunctis oblatum.

Vere

Vere esse propitiatorium hoc sacrificium ex allatis hactenus patet sacris monumentis ecclesiasticis tam privatis doctorum, quam publicis liturgiarum, quæ ad istud sunt instituta solemnes ecclesiæ preces, & undique hoc innuunt, ut inter alios tam ex Latinis, quam Græcis liturgiis loca collegit MURATORIUS in dissertatione de rebus liturgicis, quam præmisit liturgiæ veteri Romanæ a se recens editæ. *c. 16. & 17.* Patetque luculenter ex eo, quod hactenus probavimus idem sacrificium esse ac hostiam, quæ in cruce pro salute humana oblata est, veluti CHRISTUS in ejus institutione dixit, & apostolus commemorat: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem . . . Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* *Matt. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 20. 17. 1. Cor. 11. 24. 25.* „ Ista „ est commemoratio sola (inquit ORIGENES) „ quæ propitium facit DEUM hominibus. „ *Hom. 13. in Levit.* Nimirum ut alibi rationem manifestam reddit: „ Fundentes universorum DEO omnipotenti orationes per unigenitum ejus, cui primum eas offerimus rogantes illum, utpote „ qui propitiatio est pro peccatis nostris, ut „ velut summus pontifex & preces, & sacrificia, & colloquia nostra illi, qui est super „ omnia, DEO sistat. „ *Lib. VIII. contra Celsum.* Quod utique fit, dum CHRISTUS super altare revera sistitur, ac hostiam se DEO eandem ac in cruce offert. *Singulariter namque*, inquit S. GREGORIUS, *ad absolutionem nostram oblata cum lacrimis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur. Quia is, qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur, nam* *In evang. L. II. hom. 37.*

quoties

quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. S. CHRYSOSTOMUS :

Hom. 17. in cap. 9. ad Hebr.

„ Offerimus quidem, sed ejus mortem revo„ camus in memoriam ; & ipsa hostia una est „ non multæ. Quomodo una est, non multæ ? „ Quoniam semel fuit oblata, illa inlata est „ in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, „ & ipsa illius. Eundem enim semper offe„ rimus non nunc quidem alium, sed semper „ eundem. Quamobrem unum est sacrificium „ propter hanc eandem rationem. Quoniam „ multis in locis offertur CHRISTUS, multi„ ne sunt Christi ? Nequaquam, sed unus u„ bique CHRISTUS, qui & hic est plenus, „ & illic plenus, unum corpus. Quomodo „ ergo multis in locis oblatus unum est cor„ pus, & non multa corpora : ita etiam unum „ est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui „ illam obtulit hostiam, quæ nos mundat ; „ illam nunc quoque offerimus, quæ tunc „ fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc „ fit in recordationem ejus, quod tunc fa„ ctum est. *Hoc enim facite*, inquit, *in meam* „ *recordationem.* Non aliam hostiam sicut „ pontifex, vel potius hostiæ seu sacrificii „ facimus recordationem. Hinc ergo est quo „ in sacrificio pro omnibus facta sit obsecra„ tio super hanc propitiationis hostiam. „

Cat. 23. n. 8.

Postquam vero, inquit S. CYRILLUS HIER. *perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus DEUM pro communi ecclesiarum pace : pro recta mundi compositione : pro imperatoribus : pro militibus, & sociis : pro iis, qui infirmitatibus laborant, pro his, qui afflictionibus premuntur : & universim pro omnibus,*

omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes, & hanc victimam offerimus. Tam clara eſt hæc profeſſio, ut ipſe CH. PFAFFIUS diffiteri haud potuerit, hanc doctrinam noſtris placitis proximam eſſe, ac præcipuam oblationem, eamque, quæ ſacrificio eucharistico eſſentialis ſit juxta S. CYRILLUM dici debere, quæ vocatur cultus incruentus, panem vinumque in corpus, & ſanguinem CHRISTI transmutans; ita ut ſacrificium conſecratione perfectum ſit ſacrificium propitiatorium poſt conſecrationem quoque pro aliis offerendum. Quæ ſunt ipſa PFAFFII verba. Atque mentem S. CYRILLI adhuc magis manifeſtam reddit id, quod maxime ferit Proteſtantes de commemoratione defunctorum: „ Maxime hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum ſancta, & perquam tremenda coram jacet victima. Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo, novi enim multos ita dicere: Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis ſeu ſine peccatis decedentem, ſi ejus in oratione mentio fiat? An vero ſi rex quiſpiam viros, a quibus offenſus fuerit, relegarit in exilium, poſteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro ſuis pœna ab ipſo afflictis obtulerint: nonne ipſis ſuppliciorum relaxationem gratificaturus ſit? Ad eundem modum & nos pro defunctis, etiamſi peccatores ſint, preces DEO offerentes non coronam plectimus: ſed CHRISTUM mactatum pro peccatis noſtris offerimus, clementem DEUM cum pro illis, tum pro nobis demereri, & propitiare ſatagentes. „ Quid quæſo luculentius, quid aſſertius eſſe queat. Nec refert, quod dubitantes quoſdam notare

De oblat. vet. euch. c. 38.

Ib. n. 9.

notare videatur, cum certum ſit, non ita multo poſt AERIUM, ſacrificiorum pro mortuis virtutem negantem, hæreticum eſſe habitum, & ſemper in ſacrificio non ſolum memoriam fuiſſe factam mortuorum, ſed etiam ſacrificium ipſum oblatum, idque anniverſario die quotannis factum eſſe a TERTULLIANO memoratur: *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Et alibi argumentum inde ad monogamiam repetere non dubitat, ac ſi mortuo etiam viro adglutinata ſit uxor: *Ergo*, inquit, *perſeveret in ea cum illo neceſſe eſt, quem jam repudiare non poterit, nec ſic quidem nuptura, niſi repudiare potuiſſet. Enimvero & pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* S. CYPRIANUS ſtatutum refert in concilio epiſcoporum: „Ne quis de clericis, „& DEI miniſtris, tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat. . . & ſi quis hoc „feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur.„ S. GREGORIUS NAZIANZ. ſic ſuos parentes loquentes inducit ſpe ſacrificiorum poſt mortem alacres:

Hær. 75. n. 1. — *De cor. mil. c. 3.* — *de monog. c. 10.* — *Ep. 66.* — *Carm. 18. in laudem ſuorum parent.*

Alacres terram hanc ſub manibus filii
Induimus, nos pii parentes GREGORII,
Qui & ſenectutem reddidit ſuis laboribus levem
Noſtram, & nunc proſequitur nos ſacrificiis.

S. EPHREM a minori ad majus Machabæorum adhibet exemplum: „Qui (inquit) „feſta, & commemorationes in myſterio duntaxat (res noſtras præfigurante) celebrant, ſicut

In teſtam. ſuo.

ſicut in ſcripturis legiſtis per oblationes, ta- „ men eos a reatibus mundarunt, qui in bel- „ lo ceciderant, licet operibus ſuis ethnici, „ ſuisque moribus mali fuiſſent; quanto ma- „ gis ſacerdotes Filii DEI per ſanctas ſuas „ oblationes, & per linguarum ſuarum pre- „ cationes debita mortuorum condonabunt. „ Hoc moriturus ſuos hortatur, ut funus ſuum comitentur in oratione, in pſalmis, & in oblationibus. „ Et (ait) quando diem trige- „ ſimum complevero, mei memoriam, fra- „ tres, facite: mortui enim vivorum oblatio- „ nibus juvantur. „ S. GREGORIUS Niss. aperte hic ad traditionem, & omnium eccleſiarum morem provocat apud JOANNEM Damasc. *Nihil inconſulte, nihilque perperam a CHRISTI præconibus, & diſcipulis traditum fuit, & in omnibus DEI eccleſiis invaluit, ſed res utilis eſt, & DEO placens, ut in divina ſplendidiſſimaque myſteriorum celebratione, eorum, qui in recta fide obierunt, memoriam agamus.* *De iis, qui in fide dormierunt.*

S. CHRYSOSTOMUS teſtis eſt advocari ſolitos ſacerdotes, ut pro mortuis preces offerrent, & ſacrificia, ubi in exceſſum plorandi in hujusmodi occaſionibus invehitur, ſimiliter ac in homilia quadam in acta apoſtolorum potius implorari vult, ut per manus ſacerdotum hoſtia offeratur, ac tremendum ſacrificium, ineffabiliaque celebrentur myſteria. Etiam argumento a minori ad majus utitur JOBI pro filiis ſuis ſacrificantis, refertque oratum in ſacrificio non ſolum pro omnibus illis, qui in Christo JESU dormierunt, ſed etiam pro illis, qui eorum faciunt memoriam. Alibi autem hoc ab apoſtolis inſtitutum dicit, ut in celebratione myſterio-

Hom. 31. in Matt.

Hom. 23.

Hom. 41. in ep. 1. ad Cor.

Hom. 3. in ep. ad Philip.

ſteriorum memoria mortuorum fiat. S. AUGUSTINUS, qui librum de cura pro mortuis ſcripſit, id de matre MONICA refert,
L. IX. quod hoc ſolum moriens petierit, *tantum-*
conſ. c. 13. *modo memoriam ſui ad altare ſuum fieri victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis.* Simili-
Vit. PP. ter S. ARSENIUS optabat: *Nemo ſuper*
L. III. c. *me faciat charitatem niſi in ſola oblatione.*
162. In concilio Vaſionenſi memoratur ſingularis
Can. 43. miſſa pro defunctorum commemoratione. In
L. VII. COSMÆ Ægyptii topographia habetur precis formula, qualem ſacerdotes adhibeant: primum pro offerentibus; pro mortuis vero ſic: *Animæ hujus, Domine, requiem concede, reſuſcitans quoque carnem ejus, qua die decreviſti ſecundum veras tuas promiſſio-*
p. 267. *nes.* Sic in S. ANSELMI orationibus habetur: *Sit omnibus vivis & defunctis ſacrificium tui corporis & ſanguinis remiſſio omnium peccatorum.* Tenenda eſt hic regula
L. IV. S. GREGORII. *Si inſolubiles culpæ non*
dial. c. 57. *fuerint, ad abſolutionem prodeſſe etiam mortuis victimam ſacræ oblationis: ſed ſciendum eſt, quia illis ſacræ victimæ proſint, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam poſt mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt.* Eodem fere modo reſpondet ANASTASIUS SIN. *quæſt.* 22. EUSTRATIUS presbyter Cpolitanus tractatu de ſtatu animæ poſt mortem hanc rem ex inſtituto tractat, & ex ſcripturis tam veteris, quam novi teſtamenti, ac ſanctis patribus probat.
Ep. 24. S. BONIFACIUS in epiſtola ad ALDHERICUM abbatem rogat, ut pro defunctis in ſacra miſſione ſacrificium offeratur.
Ep. 95. CUTBERTUS abbas in epiſtola ad LULLUM

LUM Moguntinum refert se ultra 80. missas fieri præcepisse pro defunctis. LULLUS vero ad presbyteros suæ diœcesis perscribit, quid pro defuncto pontifice, & aliis in precibus, & sacrificiis præstare debeant: *Pro quo unusquisque vestrum 30. missas cantet, & illos psalmos, & jejunium juxta constitutionem nostram. Similiter pro duobus laicis nomine MEGINFRID & ISSABAN 10. missas unusquisque vestrum cantet.* In pœnitentiali THEODORI Cantuar. habetur in die sepulturæ, & tertio, ac quoties abbas judicaverit pro monacho missam celebratam fuisse: item pro fidelibus laicis, unacum jejunio. AMALARIUS refert diversos usus circa hanc rem tam in precibus, quam sacrificiis, ita ut alicubi singulis diebus missa pro defunctis celebretur. In concilio Altiniacensi mutuo se obstrinxerunt episcopi & abbates, ut quisque pro defuncto ex ipsis centum psalteria, & totidem missas per suos presbyteros fieri curaret, & ipsemet 30. missas celebraret. Idem paulo post in concilio Dingolvingensi est repetitum. ALDRICUS in concilio Cenomanensi statuit, quid episcopus pro suis clericis, & vicissim tam vivis quam defunctis in sacrificiis & precibus præstare debeat, missas nimirum 12. In regula IRENIS imp. per 40. dies singulos sacrificium missæ pro defuncta quavis ex monialibus fuit constitutum. Ex chronico DITMARI constat an. 1005. magnum Throtmunni fuisse archiepiscoporum & episcoporum conventum præsente etiam HENRICO rege, & uxore CHUNEGUNDA, in quo communiter se obstrinxerunt, ut pro quovis defuncto ex iis episcopi missam, rurales presbyteri tres, diaconi

Ep. 62. *c. 16.* *L. IV. de offic. div. c. 42.* *an. 765.* *an. 840. ap. Baluz. T. III.* *cap. 70.* *L. VI.*

coni & reliqui clerici inferiores tria dicerent psalteria. Apud BEZIUM habetur epistola BERNONIS abbatis Augiæ divitis, ubi suis præcipit, ut pro defuncto 30. consequenter diebus missam cum vigiliis, & psalterio dicant. RODULPH. GLABER in sua historia, cum exemplis ostendat, quantum prosit defunctis illius magnifici, ut vocat, sacrificii celebratio, morem cujusdam monasterii in Africa laudat, quo idcirco a prima diei aurora usque ad horam prandii, propter fratrum copiam, continua missarum celebratio fiat. Opus etiam fuit hic abusus quosdam tollere. Sic in concilio Bracarensi I. prohibetur secundum sectam PRISCILLIANI feria V. in cœna Domini hora tertia soluto jejunio missas defunctorum celebrare. Unde conjicit HUGO MENARDUS illo die post nonam non soluto jejunio potuisse celebrari. Ut adeoque Priscillianistæ, & eorum exemplo alii, etiam non jejuni pro defunctis celebrandum sacrificium duxerint. Quod colligitur ex secundo concilio Bracarensi: ubi statuitur, ne quis missas mortuorum etiam post acceptum merum, & oblationem audeat consecrare, ut a jejunis missæ celebrentur. Itidem in Hispania alio in concilio, Toletano XVII. alia deterrima res est vetita, celebrare nimirum missas defunctorum pro viventibus, ut sic mors illis intendatur. Alia in hanc rem infra afferemus, de cura pro mortuis acturi.

T. V. anecd. ep. 5.


Lib. V.

Can. 26.

Not. 997. in sacrm. S. Greg.

Can. 10.

Can. 4.



CAP. II.

CAPUT II.

De celebratione sacrificii.

§. VII.

Ritus celebrandi sacrificium hoc tremendum semper ratus fuit, variis nominibus apud Græcos, & Latinos designatus, donec communior apud illos liturgiæ, apud nos missæ appellatio invaluit.

Ritus celebrandi sacrificium, liturgia, seu missa.

Protestantes unacum sacrificii abolitione ritus vere eucharisticos sustulerunt, affectatione simplicitatis, & cavillatione superstitionis, præsertim in missæ nostræ cæremoniis, quam cavillantur veluti mimicum spectaculum ob tot Dominus vobiscum, genuflexiones, cruces, gesticulationes, ut vocare non dubitant, ritus inde a primis ecclesiæ temporibus ad mysteriorum celebritatem, & venerationem adinventos, accommodatosque, si debite adhibeantur, & digne celebrentur; secus ac ex imperitia, festinatione, languente pietate sacerdotum fieri dolent pii, & boni omnes; malevoli autem, & irreligiosi in contemtum, & derisum accipiunt; quin & apud fideles reverentia minuitur potius quam excitetur. Quod malis ministris vitio dandum est, non sacris ritibus, & cæremoniis, quibus sacrificium peragendum est. Nec illis carere prorsus possunt vel ipsi adversarii, licet ex imaginario illo exemplari cœnæ evangelicæ parum aut nihil

apud eos illis opus ſit, non admiſſo ſacrificio, quod in conteſtationem ſupremi rerum dominii, ac majeſtatis divinæ interiore mentis, & exteriore corporis reverentia utique tranſigendum eſt, certis precibus ac ritibus, publica eccleſiæ auctoritate ad conſecrationem euchariſtiæ, & oblationem ſacrificii præſcriptis, quales ſemper in eccleſia fuerunt, tum in aliis officii divini partibus, tum præcipue in ſacrificii celebratione.

Varia nomina hic uſuveniunt partim generaliora, partim ſpecialiora: fruſtra hic cavillandi occaſionem ſumentibus adverſariis ex hujusmodi nominibus, aliis etiam partibus divini officii attributis: ipſa ſacrificii appellatio paſſim ita occurrit, veluti dicit S. CLEMENS ALEX. „Chriſtiano ſacrificia ſunt „ ipſæ preces, & laudes, & quæ ante cibum „ fiunt ſcripturarum lectiones, pſalmi & hym„ ni, dum cibus ſumitur, & antequam eatur „ cubitum, & noctu. „ Quem locum objicit BINGHAMUS, & nonnullos alios ex ſanctis patribus, ubi præſertim applicatio fit ex pſalmo de ſacrificio veſpertino: quaſi inde, quod DAVID elevationem manuum ſuarum vocet ſacrificium veſpertinum, non vere talia ſacrificia fuiſſe in veteri teſtamento poſſit concludi. Eundem in eo omnino fugit ratio, & fallit, quod ex concilio Aurelianenſi III. citat: *De miſſis nullus laicorum ante diſcedat, quam dominica dicatur oratio, & ſi epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio exſpectetur. Sacrificia vero matutina miſſarum, ſive veſpertina ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum uſus ſpectet.* Ubi manifeſtum habetur diſcrimen ſacrificii miſſarum, ut a veſpertinis diſtinguatur. Paſſim autem apud anti-

L. VII. ſtrom.

Orig. eccl. L. III. c. 1. §. 5.

can. 29.

antiquissimos scriptores, concilia, & libros liturgicos tam apud Græos quam Latinos nomina sacrificii, θυσίας, oblationis προσφορὰς, ἀναφορὰς propria hiç adhibentur, uti jam partim retulimus, partim magno numero referre possemus. Quomodo etiam sancta τὰ ἅγια, sacra τὰ ἱερὰ, solemnia, divina τὰ θεῖα, officia divinorum sacramentorum μυστήρια, divina mysteriorum sacramenta, & sacramenta κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur celebratio sacrificii.

Quemadmodum vero inde ab antiquissimis temporibus synaxis, seu collecta est dicta a conventu, seu congregatione, ita apud Latinos vicissim a dimissione solemni missa dicitur, apud antiquos plerumque in plurali, in singulari tamen etiam jam a S. AMBROSIO ita ad MARCELLINAM sororem scribente: „Sequenti die, erat autem dominica, post lectiones & tractatum dimissis „ catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ, illic nunciatum est mihi comperto, quod ad „ Portianam basilicam de palatio decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem eo „ pergere. Ego tamen mansi in munere, missam „ facere cœpi. Dum offero raptum cognovi „ a populo CASTULUM quemdam, quem „ presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem „ in platea offenderunt transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione DEUM „ cœpi, ut subveniret. „ In concilio II. Carthag. eadem occurrit vox ad significandas publicas in celebratione eucharistiæ preces. Ut vel inde ALBASPINÆI conjectura cadat, missam dici a nomine *Mess* apud gentes septentrio-

Ep. 20.

an. 390. *can.* 3.

de l'Eucharistie. L. II. ch. 3.

trionales festum seu congregationem significante. Nec etiam REUCHLINI, GENEBRARDI, BARONII, & aliorum quorumdam mihi probatur ratio a מסחה quod Hebraice oblationem denotat, derivantium. Sed nativa est originatio a missione seu dimissione populi, unde jam AVITUS Viennensis, qui sæculo quinto & sexto ineunte floruit, *Non missam facitis*, scribit is ad GONDEBALDUM Burgundionum regem, *nihil est aliud, quam non dimittitis. A cujus proprietate sermonis in ecclesiis prætoriisque missa fieri pronunciatur, quum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in sæcularibus auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis.* Locos ex auctoribus classicis, & ecclesiasticis cumprimis collegit cardinalis BONA. Estque aperta ratio, licet olim aliis etiam divini officii partibus vox ea applicaretur, cur potissimum & a multis sæculis celebrationi sacrificii dominici propria sit, ubi solemnis est proclamatio *Ite missa est*, dum finita oblatione dimittitur populus. Quod substantivum esse videtur, sicut collecta pro collectio, aut remissa pro remissione apud S. CYPRIANUM. Sensus nativus apud S. AUGUSTINUM occurrit: *Fit missa catechumenis, manebunt fideles.* Et ISIDORUS hoc aperte testatur: „ Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita, si quis catechumenus remansit, exeat foras, & inde missa. „ S. GREGORIUS hoc in nomine plurali dicit: *Deinde communicat ipse, & omnis clerus, & fiant missæ.* Quod in regula S. BENEDICTI frequens est etiam

Ep. I.

Rer. lit. L. I. c. I. §. 6.

Serm. 49.

Lib. VI. orig. c. 19.

In sacram. fer. 6. Parasceu.

de

de aliis partibus divini officii in horis canonicis, pariter ac apud CASSIANUM sed in numero singulari. Videtur autem a duplici missa seu dimissione catechumenorum, ac fidelium esse, ut olim plerumque in plurali diceretur, quamquam hodieque dicantur *missarum solemnia.*

Apud Græcos communis est vox liturgia, de qua observat BONA ex VINC. RICHARDO in comment. ad PROCLUM de traditione missæ, quod quando patres vocem liturgiæ pro sacrificio usurpant, semper epitethon sacræ vel mysticæ adjungant. Certumque est olim etiam aliis partibus divini officii eam vocem esse adhibitam, quemadmodum concilium Ephesinum vespertinas & matutinas liturgias commemorat; unde nos principia hæc theologiæ liturgicæ inscripsimus de sacrificii non tantum, sed reliqui etiam officii divini ac cultus publici ratione. *Ep. Syn. ad Imper.*

§. VIII.

Ritus celebrandi sacrificium licet varius variis temporibus, ac locis fuerit, unus tamen est quoad substantiam inde a prima sua institutione. Quoad substantiā uniformis.

Dicit S. GREGORIUS M. morem apostolorum fuisse, ut ad ipsam solummodo orationem dominicam oblationis hostiam consecrarent. Quod minime intelligendum est demtis illis, quæ in ipsa eucharistiæ institutione a CHRISTO observata acceperunt; sed quoad ritus simplicitatem, ac precum substantiam in sola oratione dominica comprehensam, quam apostolus in quatuor partes *L. VII. ep. 64.*

 distinxit

1. Tim. II. 1. distinxit ad TIMOTHEUM scribens, præscribens precum formam haud dubie publicarum in sacra liturgia: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Ex quibus apostoli verbis S. AUGUSTINUS totam explicat liturgiam S. PAULINO, quomodo suo tempore in Africa, & per orbem christianum fuit in usu, semper adhibita etiam & ubique dominica oratione. JUSTINUS vero M. proximus ætati apostolicæ eam nobis formam, ac ritum celebrationis eucharisticæ describit, unde quivis intelligat, nihil a forma primæva quoad substantiam hactenus fuisse discriminis. „ Ei " (inquit) qui præest ex fratribus, offertur pa" nis, & poculum aquæ & vini: quibus ille " acceptis laudem & gloriam universorum Pa" tri per nomen Filii & Spiritus S. emittit, & " gratiarum actionem pro eo, quod nos hisce " dignatus sit, prolixe prosequitur: atque ubi " perfecit preces, & gratiarum actionem, po" pulus, qui adest, omnis acclamat, dicens " *Amen* . . . Postquam vero præsidens gra" tias egit, & populus acclamavit, qui apud " nos diaconi vocantur, distribuunt cuique " præsentium panem & vinum, & aquam, & " ad absentes perferunt, & hoc alimentum a " nobis appellatur eucharistia. „ Ne vero ignaros etiam gentiles dimitteret, de eo, quod est ipsum sacrificium nostrum, ad proterendas calumnias, ita exponit: „ Quemad" modum enim per Verbum DEI caro factus " JESUS CHRISTUS salvator noster & " corpus suum & sanguinem pro salute no" stra habuit; ita & eum, qui per orationem " verbi, quod ab eo est, eucharistia facta

Ep. 149.

Apol. 2.

" est,

est, cibum ex quo carnes nostræ, & sanguis per mutationem aluntur, ipsius incarnati JESU & carnem & sanguinem esse edocti sumus. „ Proximum locum habet liturgia in constitutionibus apostolicis, falso quidem S. CLEMENTI Romano adscripta, anterior tamen concilio Nicæno, ac subinde interpolata, quæ longior est, quam ut hic transcribam, tantum ex concilio Laodiceno antiquissimo in compendio illorum temporum liturgiæ ordinem referam: *Oportet seorsum primum post episcoporum sermones catechumenorum orationem peragi; & postquam exierint catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem, & cum sub manum accesserint, & recesserint fidelium preces sic ter fieri, unam quidem scilicet primam silentio; secundam autem & tertiam per pronunciationem impleri; deinde sic pacem dari, & sic sanctam oblationem perfici.* Huic accedit proxime S. CYRILLI Hierosolymitani liturgiæ explicatio in catechesi XXIII. mystagogica quinta, ubi, quæ ad missam fidelium, ac initiatorum pertinent, articulatim recenset, & exponit a manuum lotione incipiendo, inde ad osculum pacis, ac gratiarum actionem progressus, quam nos præfationem dicimus, deinde commemorans hymnum trisagii, & demum invocationem Spiritus S. ad consecrationem symbolorum ac sacram victimam: Super quam fiunt deinceps obsecrationes pro omnibus necessitatibus, ac memoria etiam defunctorum, oratio dominica, & communio. In SS. PP. TERTULLIANO, CYPRIANO, BASILIO, præsertim CHRYSOSTOMO, AMBROSIO, AUGUSTINO, & DIONYSIO &c. articulatim hinc inde

L. VIII. c. 5. & seq.

can. 19.

deprehenduntur, & explicantur ſingulæ veteris liturgiæ partes, prout aut inter ſe in præcipuis & neceſſariis capitibus conveniebant, aut in quibusdam acceſſoriis diſcrepabant pro varia temporum, & locorum ratione. Quod idem in liturgiis Græcis, & Latinis dicendum, quæ & ſecum, & cum iis, quæ in veteribus ſcriptoribus ſparſim habentur, congruunt, & traditionem nobis demonſtrant ſecundum apoſtolicam formam, ac evangelicam inſtitutionem: cautione hac ſemper habita, ne ſine delectu & auctoritate mutationes fierent, aut aliquid niſi probatum in liturgias publicas reciperetur. Quomodo in concilio Carthaginenſi III. & Milevitano II. expreſſe ſtatuitur, ne in miſſa orationes dicerentur niſi approbatæ ab epiſcopis provinciæ. Imprimis Romanæ eccleſiæ invigilavit cura, ac ægerrime tulit S. INNOCENTIUS I. hic diverſitatem aliquam: *Si inſtituta eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis apoſtolis tradita, integra vellent ſervare ſacerdotes Domini, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus & conſecrationibus haberetur.* Evicit hoc poſtea ſollicitudo pontificum in occidente magis quam oriente, ut demum una omnino eſſet forma Romanæ eccleſiæ, quæ ſemper retinentior fuit apoſtolicæ traditionis.

can. 23. *can. 12.* *Ep. ad Decentium.*

Nec acceſſio quædam aut mutatio in adiaphoris obfuit: atque RHAB. MAURUS, dum cæremonias, & preces miſſæ explicat, expreſſe dicit eam formam ab eccleſia Romana haberi ceu ab apoſtolis & hominibus apoſtolicis provenientem. Idem dicit, eſſe traditionem antiquorum, apoſtolicam normam propemodum convenire officio ac ſacræ liturgiæ, prout hodie in ſacra paraſceves ſexta feria celebratur.

L. I. inſtit. cler. c. 33. *De orig. & progr. rer. eccl. c. 22.*

bratur. Quod tamen dici non poteſt quoad conſecrationem ipſam, ſed ritus alios. Ubi id etiam obſervandum, quomodo in ſacris ordinationibus ſimul clerus omnis cum epiſcopo concelebrat, id magis ad antiquam formam accedere, prout a Græcis adhuc conſervatur. Ita enim in canone apoſtolico præſcribitur: *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut alius ordinis eccleſiaſtici oblationis factæ particeps non extiterit, cauſam dicito &c.* Quam ex S. JUSTINO deſcripſimus, & quæ habetur in conſtitutionibus apoſtolicis liturgia ad hoc quadrat; quemadmodum etiam miſſa pontificalis, variis ordinibus Romanis contenta: ut dubium non ſit, Romæ per longam ſæculorum ſeriem ita eſſe actitatum. Quod etiam adhuc ex INNOCENTIO III. auctoritatem accipit; quidquid etiam contra DURANDUS exceperit, & alii non pauci ſcholaſtici, quos citat MORINUS, qui ſoliti ſuorum tantum temporum rationem habere, nihil penſi habent, quid inſtitutis ac uſu antiquo obtinuerit.

can. 8.

L. IV. de ſacr. miſſ. c. 25.

In 4. diſt. 13. q. 3.

De ord. P. III. exerc. VIII. c. 2.

§. IX.

Miſſa idcirco olim alia erat catechumenorum, aliorumque non initiatorum, & pœnitentium; alia fidelium ſacrorum myſteriorum, & communionis ſacræ, & eccleſiaſticæ participum, nec indignorum.

Miſſa catechumenorum & fidelium.

Patet hoc ex eo, quod modo diximus de miſſæ nomine ac etymo, multum conferente ad majeſtatem divini ſacrificii demonſtrandam a quo omnes miſſi eſſe debebant, & extorres

res tanti mysterii cognitione inepti, & celebratione indigni. Hinc solemnes illæ acclamationes: *Procedite non communicantes! ne quis ex catechumenis: ne quis ex audientibus: ne quis ex infidelibus: ne quis ex heterodoxis*: ut habet auctor constitutionum apostolicarum, & explicatius S. CHRYSOSTOMUS, ut alia taceam ecclesiastica monumenta: „ Ne quis ex catechumenis, ne „ quis eorum, qui non edunt, nullus ex ex„ ploratoribus, ne quis eorum, qui spectare „ non possunt cœlestem sanguinem, qui ef„ funditur in remissionem peccatorum, ne „ quis eorum, qui non possunt impollutis la„ biis tremenda mysteria attingere. „ Ex canone Laodiceno a me relato patet discrimen aliquod inter non initiatos & pœnitentes. Priori missæ parti omnes interesse poterant: *Ut episcopus nullus prohibeat*, habet concilium Carthaginense IV. *ingredi ecclesiam, & audire verbum DEI sive gentilem, sive hæreticum sive Judæum usque ad missam catechumenorum.* Sed non semper & ubique eadem ratio aut duratio videtur fuisse missæ catechumenorum, tantum ne ultra oblationem aut ad consecrationem mysteriorum adesse permitterentur. In concilio Valentino ad finem sæculi quarti eam in rem statuitur: *Ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem in missa catechumenorum in ordine lectionum post legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri JESU Christi, vel sermone sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui e diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim pontificum prædicatione audita nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus.* Et in concilio

L. VIII. c. 12.

can. 84.

can. 1.

cilio Arausicano: *Evangelia placuit deinceps catechumenis legi apud omnes provinciarum nostrarum ecclesias.* Ista igitur erat missa catechumenorum, non tamen illis solis deputata, sed aliis etiam, licet non eadem ubique disciplina, aut rigore eodem disciplinæ erga quoscunque. In epistola canonica TIMOTHEI inter alia est quæstio nona: *An debet clericus præsentibus Arianis, vel aliis hæreticis orare? Et an nihil ipse nocet, quando fecit orationem seu oblationem? Resp. In divina oblatione diaconus ante salutationem dicit: Qui non communicatis ambulate. Non debent ergo interesse, nisi profiteantur se pœnitentiam acturos, & hæresin vitaturos.* Ea disciplina circa pœnitentes saltem in gradu consistentium erat, ut quidem interesse permitterentur, sed statu humili & lugubri, uti testatur nominatim de ecclesia Romana SOZOMENUS: „Ibi enim (inquit) mani- „ festus est pœnitentium locus: stant autem „ in eo mœsti, ac veluti lugentes. Cum ve- „ ro completur DEI liturgia non participan- „ tes iis, quæ initiatis fas est, cum planctu „ & lamentatione semetipsos pronos in terram „ abjiciunt &c. „ In oriente aliquando non solum contra publice pœnitentes, sed alios etiam criminis sibi conscios videtur severior fuisse disciplina, ut habetur in constitutionibus apostolorum. *Ne quis contra aliquem. Ne quis in hypocrisi. Erecti ad Dominum cum timore ac tremore stemus ad offerendum. Quibus peractis diaconi dona ad altare admoveant episcopo, ac presbyteri a dextris illius & a sinistris stent ut discipuli magistro assistentes.*

T. II. conc. p. 1797.

L. VII. c. 16.

L. VIII. c. 11.

§. X.

§. X.

Illa ab introitu variis orationibus & lectionibus.

Missa catechumenorum nunc prima est missæ pars ab introitu veluti præparatoria confessione cantu & lectione scripturarum ac orationum ad usque oblationem.

Qui nunc dicitur introitus a sacerdote olim non dicebatur, sed a choro psallentium, dum sacerdos ad altare procedit, ibique confessionem facit, quæ olim varia fuit, atque in concilio Ravennatensi ad eam, quæ hodie viget formam est restricta: *In confessionibus quæ fiunt publice in introitu missæ & alias, varii perfunctorie & diversimode confitentur &c.* IVO Carnotensis seu micrologus COELESTINUM P. auctorem introitus facit, ita ut ante ejus pontificatum tantum epistola ex D. PAULO legeretur, & quædam evangelii loca. WALAFR. STRABO ulterius ad apostolica tempora ascendens haud dubie ex S. GREGORIO M. adhuc majorem simplicitatem notat: „Quod (inquit) nunc agimus, multiplici orationum, cantilenarum, „& consecrationum officio totum hoc aposto„li, & post ipsos proximi, ut creditur, ora„tionibus & commemoratione passionis do„minicæ, sicut ipse præcepit, agebant sim„pliciter.„

T. XI. conc. p. 1614. c. 1.

De rebus eccl. c. 22.

In liturgia S. GERMANI id est singulare, quod diaconus cumprimum sacerdos apud altare constiterit, *præfationem* quandam ad populum diceret, cui dicta salutatione ad populum *Dominus vobiscum* sanctus ter repetitum subdebatur, post quod ter a tribus infantibus *Kyrie eleison* canebatur. Ritu Ambrosiano

brosiano ter dicitur *Kyrie eleison* post *Gloria in excelsis &c.* In ordine Romano missaque pontificali in arbitrio relinquitur pontificis, *si vult mutare numerum letaniæ.* Hodie ad numerum novem chororum angelicorum repetitur. Ex constitutionibus apostolicis patet, pro catechumenis hanc fuisse supplicationem cum aliis precibus, atque ab omnibus unanimi voce dicebatur: *Una rogatur,* inquit S. AUGUSTINUS, seu VIGILIUS Tapsensis, *ut misereatur, a cunctis Latinis, & barbaris unius DEI natura, ut a laudibus DEI unius nec ipsa lingua barbara sit ullatenus aliena. Latine enim dicitur Domine miserere.* RHABANUS MAURUS ita ordinis rationem designat: *Post Introitum autem sacerdotis ad altare letaniæ aguntur a clero, ut generalis oratio præveniat specialem sacerdotis: subsequitur autem oratio sacerdotis, & pacifica salutatione populum salutans pacis responsum ab illo accipiat, ut vera concordia, & charitatis pura devotio facilius postulata impetret ab eo, qui corda aspicit, & interna dijudicat.*

L. VII. c. 6.

T. II. append. p. 44. altercatio cum Pascentio.

De inst. cler. L. I. c. 32.

Interseritur doxologia, Gloria in excelsis, quæ iisdem pene verbis ac hodie canitur, in constitutionibus apostolicis habetur vocaturque προσευχὴ ἑωθινὴ *oratio matutina.* S. ATHANASIUS eundem hymnum inter preces matutinas commendat virginibus in libro *de Virginitate.* Ac S. CHRYSOSTOMUS de eo loquitur, ut singulis diebus recitari solito ab ascetis. MABILLONIUS ex CÆSARIO & AURELIANO notavit in matutinis laudibus pro diebus paschalibus esse præscriptum, itemque pro singulis dominicis, & majoribus festis. Juxta sacramenta-

Hom. 69. in Matth.

De cursu Gall. p. 407.

rium

rium S. GREGORII in festis & dominicis ab episcopis dicendus est, a presbyteris autem solummodo in paschate. Ex BERNONE Augiensi discimus morem hunc Romanum in Germania non fuisse probatum. Saltem a Septuagesima ad pascha non dicebatur. Quare singulari bulla a COELESTINO P. obtinere debuit monasterium hoc S. BLASII, ut in festo S. BLASII & annunciationis B. V. M. liceret canere. MICROLOGUS dici refert, quando *Dominus vobiscum* dicitur, LEO VII. ad episcopos Galliæ & Germaniæ præscribit episcopis, in præcipuis festis, & dominicis juxta ritum Romanum *Gloria in excelsis*, & *Pax vobis*, in Quadragesima, quatuor temporibus, vigiliis sanctorum, & diebus jejunii *Dominus vobiscum* dicere. Discrimen hoc est missæ pontificalis: Quomodo PASCHALIS II. abbatibus Cluniacensibus, quoties in missa dicitur Gloria in excelsis, usum pontificalium indulsit. Id demum observandum missalibus tam manuscriptis non adeo vetustis atque etiam adhuc impressis sæculi decimi quinti de beata Virgine varia immisceri, uti: *Domine fili unigenite JESU Christe. Spiritus, & alme orphanorum paraclite. Domine DEUS agnus DEI Filius Patris. Primogenitus MARIÆ virginis matris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram, ad MARIÆ gloriam. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. MARIAM sanctificans. Tu solus Dominus. MARIAM gubernans. Tu solus altissimus. MARIAM coronans JESU Christe &c.*

C. 2. de ritibus missæ.

Ep. 2.

Ep. 64.

Orationes

Orationes subsequentes una, aut plures, raro ultra septem juxta micrologum, plerumque ex sacramentario S. GREGORII sunt repetitæ. Eæ etiam collectæ dicuntur: „ Oratio (inquit HILDEBERTUS) dicitur ab orando, eoquod per ipsam orantur bona populo; collecta vero, eoquod colligitur populus in unum ad orandum. „ *Expos. missæ.*

Et de epistola, quæ orationes subsequitur, addit idem: „ Epistola legitur, ut ostendatur per evangelium CHRISTUM prope venturum. Epistola enim supra missa dicitur, eoquod sit missa ab apostolis super legem MOYSI, & super prophetas. „ Ea lectio olim a lectoribus, ut hodie in missis minus solemnibus, fiebat, alias a subdiaconis. Quod in ecclesia ægre fert AMALARIUS: *Miror*, inquit, *qua de re sumtus usus in ecclesia nostra, ut subdiaconus frequentissime legat lectionem ad missam, cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo.* Micrologus dicit, in ecclesia Romana solis subdiaconis ex ordinibus minoribus licitum esse epistolam canere in sacro vestitu ex indulgentia, ac melius putat, si presbyter ipse legat. Romæ dicebatur in missa pontificali super ambonem ascendente subdiacono. *L. II. c. 11.* *c. 8.*

Postea a cantore versus seu responsorium, quod ideo *gradale* seu *graduale* dicitur, eoquod juxta gradus pulpiti cantatur secundum RHABANUM MAURUM, unacum *alleluja* vel *tractu*: quia trahendo dicitur, juxta personatum ALCUINUM, eoquod tractim cantetur, & significat gemitum sanctæ matris ecclesiæ. Econtra Græcis di- *L. I. c. 3.* *De div. offic. in Septuag.*

D citur

citur *Neuma* seu pneuma, Latinis *jubilatio*, *sonus quidam*, juxta S. AUGUSTINUM, *lætitiæ sine verbis.* In ordine Romano dicitur: *Sequitur jubilatio, quam sequentiam vocant.* Quæ erat multiplicatio sonorum seu notarum in alleluja. Nomen autem indidit *prosis* in missis solemnioribus alleluja subjectis. Qualis est liber sequentiarum NOTGERI a PEZIO editus. Unde patet sæpius tunc dictas ejusmodi sequentias.

In ps. 99. n. 4.

T. I. anecd. p. 17.

In liturgia S. GERMANI præscribitur trisagion dum diaconus librum evangeliorum accipiens ambonem conscendit: quod juxta omnes tam Græcas quam Latinas liturgias singulari reverentia canebatur, & audiebatur a stantibus semper, ut jam in constitutionibus apostolicis præscribitur: *Cum recitabitur evangelium, omnes presbyteri, ac diaconi, universusque populus magno cum silentio stent.* Et subdit: *Post hæc presbyteri exhortentur populum, singuli nimirum, non autem omnes, & cunctorum postremus episcopus.* Hujus moris in ecclesia Antiochena, & Cpolitana testis est etiam S. CHRYSOSTOMUS. In liturgia S. GERMANI præscribitur: Si episcopus donum linguæ non habeat, per presbyteros & diaconos legi homilias SS. PP. debere. In ecclesia Romana pontifex similiter lecto evangelio sermones habebat.

L. II. c. 57.

Hom. 2. in ps. 48.

Tardius symbolum recitabatur: de quo tamen micrologus eosdem dies ac festa designat, juxta canones dominicas, festa Domini, B. V. MARIÆ, apostolorum, S. Crucis, omnium sanctorum, & dedicationis, quibus hodieque, & in festis præcipuorum ecclesiæ doctorum, dicitur.

c. 43.

§. XI.

§. XI.

Hac veluti præparatione ad dignam sacrificii celebrationem præmissa, ipsa sacrificii celebratio inchoatur, iterata salutatione, ut omnia cæremoniis ac ritibus sacris in ipso sacrificio per oblationem salutaris hostiæ consummentur.

Hæc ab offertorio incipit variis cæremoniis.

Solent quærere, inquit HILDEBERTUS in expositione missæ, *quidam simplices, a quo loco totius officii missa inchoetur, ut si forte ad totum officium non concurrerint, possint scire quibus officiis se repræsentare debeant, sine retractatione. Missa igitur vocatur ab eo loco, ubi incipit sacerdos DEO sacrificium offerre, usque ad* Ite missa est. *Celebratio denique hujus officii ita currit, ut ostendatur, quod illo in tempore actum sit circa passionem Domini, ejusque sepulturam, & quomodo nos id ad memoriam reducere debeamus per obsequium nostrum, quod pro nobis actum est.*

Propior est præparatio ac veluti invitatio ad sacrificium, dum iterum se ad populum vertit sacerdos, & in Domino salutat. Quod olim sæpius est factum in omnibus divini officii partibus. „Cum (inquit S. CHRYSOSTOMUS) ingressus fuerit is, qui „præest ecclesiæ, statim dicit, *pax omnibus;* „quando sermonem facit, ac concionatur, „*pax omnibus;* quando benedicit, *pax omnibus;* quando jubet salutare, *pax omnibus;* „quando peractum fuerit sacrificium, *pax omnibus.* Et rursus in medio, *gratia vobis,* „

Hom. 3. in ep. ad Col.

„ *& pax.* „ In Africa etiam mos fuit, ut in exordio ac fine sermonum *Dominus vobiscum* diceretur; sed potissimum in sacrificio, ut hodieque, sæpius quoties aliqua nova pars, ac præcipua actio inchoatur, idem fiebat, respondentibus fidelibus ad presbyteri salutationem. In concilio Moguntino prohibetur dici *Dominus vobiscum*, ubi nullus sit præsens, qui respondeat *Et cum spiritu tuo.* Sed id de officio canonico intelligitur. De quo deinceps fuit disputatum, an a privatim recitante horas canonicas sit dicendum.

An. 813. *c.* 38.

Hic autem postquam se iterum ad altare convertit sacerdos una voce populum ad id, quod instat, secum perficiendum invitat: *Oremus*, inquit, atque subsequitur versus, quem *offertorium* dicimus: non quod oblatio ipsa sit, sed id quod inter oblationem canitur vetéri more, quem tempore S. AUGUSTINI HILARIUS quidam tribunus carpebat, ut ex POSSIDIO discimus, atque ipso S. AUGUSTINO: „ Morem (inquit) qui tunc „ esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni „ ad altare dicerentur de psalmorum libro si„ ve ante oblationem, sive cum distribuere„ tur populo quod fuisset oblatum, maledi„ ca reprehensione ubicunque poterat lacera„ bat asserens fieri non oportere. „ Contra quem scripsit S. AUGUSTINUS duos libros de canticis ad altare teste laudato POSSIDIO, qui tamen non exstant. Psallebatur autem tamdiu distinctis versiculis juxta Gregorianum Antiphonarium, donec absoluta oblatione, ac lotis etiam sacerdotis manibus silentium juberetur, & iterum se sacerdos ad populum convertisset, *Orate fratres* dicens.

Vita S. Aug. c. 6. L. II. Retract. c. 11.

Olim

Olim sæpius silentium fuit indictum: *Habete silentium, facite silentium*, ut in ritu Ambrosiano habetur.

Alicubi etiam hodieque manus lotio, sicuti fiebat ad ingressum ecclesiæ, ita ineunte mox missa seu liturgia; sed solemnior fit manus lotio, dum ad sacrificii arcaniorem partem fit processus. Utramque lotionem S. CYRILLUS HIEROS. unacum ejus mysterio significat: *Vidistis igitur*, inquit, *diaconum sacerdoti & presbyteris altare DEI circumstantibus, aquam abluendis manibus porrigentem. Nullatenus vero propter corporeas sordes abstergendas dabat. Non inquam propterea. Neque enim corporis sordes gerentes initio ecclesiam ingressi eramus. At ea manuum ablutio symbolum est, mundos nos ab omnibus peccatis, & prævaricationibus esse debere, cum enim manus symbolum sint actionis, iis lavandis puritatem operum eorumque ab omni reprehensione immunitatem significamus. Non audisti beatum DAVID hoc nobis mysterii aperientem, ajentemque:* Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine! *Itaque quod manus abluuntur signum est immunitatis a peccatis.* In ordine Romano apud HITTORPIUM ita habetur: „ Quod ideo „ ab antiquis patribus decretum fertur, ut „ pontifex, qui tunc cœlestem panem accepturus est, a terreno pane, quem jam a laicis accepit, manus lavando expurget. Lotis autem manibus surgat episcopus, ut accipiat oblationes a duobus presbyteris, & „ diaconibus, & ab omnibus clericis: quos „ non tam patrum instituta jubent, quam proprium arbitrium immolare suadet: quas cum „ acce-

Cat. 23. n. 2.

p. 8. 4.

„ acceperit, atque altari superposuerit, ap-
„ portante sibi archidiacono oblatas in patena,
„ a nullo immolatas, accipiat ex illis quan-
„ tum sibi sufficere videatur, & alias archi-
„ diacono restituat, quas ille custodi ecclesiæ
„ ad observandum committat. Igitur oblatio-
„ ne altari superposita, accipiens diaconus ca-
„ licem ab archidiacono super altari continuo
„ ponat. Tunc episcopus benedicens hostias,
„ & dicens: *Veni sanctificator &c.* conver-
„ tat se & sumat incensum. „

Istic prima occurrit oblatorum per signum crucis benedictio, quæ deinceps in canone sæpius repetitur. Atque semper magna cruci etiam ad consecrationem est attributa virtus. *Hoc enim*, inquit S. AUGUSTINUS, *signo crucis consecratur corpus dominicum.* Et alibi de hoc signo dicit: *Nisi adhibeatur sive frontibus credentium.... sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* S. BONIFACIUS ZACHARIAM P. consulendum duxit, quoties intra canonem crucis signum sit faciendum, quod ille non epistolæ committendum, sed singulari charta LULLO commissa, determinavit. S. ANSELMUS ad VALERNUM scribens de diversis ritibus putavit quidem non esse multiplicandum crucis signum super oblata, ut semel satis esse videatur super panem, & semel super calicem, interim & hic varietatem admittit sine præjudicio sacrificii. IVO Carnotensis inter alios in epistola ad Cenomanos mysticas signorum crucis super hostiam, & calicem dat rationes, quia præsertim etiam jam post consecrationem fiebat sæpius hoc signum, quod non alias, quam mysticas fert rationes ad salutarem eucharistiæ perceptionem.

Serm. 18. *de temp.* *Tr.* 118. *in Joan.*

p. 139. *c.* 2.

§. XII.

§. XII.

Symbolorum panis ac vini aqua mixti, quatenus salutaris hostia futura sunt, fit a sacerdote oblatio DEO pro se ac fidelibus præsertim circumstantibus, qui oblatione non indigni, ipsi olim subministrarunt. Oblatio.

Panem primum offert sacerdos DEO Patri immaculatam hostiam futuram: scilicet *quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur JESUS Christus Dominus noster*, ut in festo epiphaniæ habetur. Deinde aquam vino miscet. Quod non solum factum a CHRISTO apostolica traditione a SS. JUSTINO, IRENÆO, CYPRIANO &c. habetur, sed etiam ob mysterium dudum a S. CYPRIANO explicatum insigni epistola contra Aquarios, qui scilicet mane sacrificantes aquam tantum adhibuerunt, ac si populus per aquam designatus sine CHRISTO tunc esset. „ Videmus (inquit) in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem CHRISTI. Quomodo autem in calice aqua vino miscetur, CHRISTO populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. „ Hinc in concilio Triburiensi præscribitur: *Ut duæ partes sint vini, tertia vero aquæ: quia major est majestas sanguinis Domini, quam fragilitas populi, qui per aquam designatur juxta illud: Populi multi aquæ multæ.* In ordine Romano XV. præscribitur: *Post aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ.* INNOCENTIUS III. modi-

Apol. 2.
De hær. L. IV. c. 57.
Ep. 63.
L. c.
An. 895. c. 19.

cissimam aquam admiscendam vult; quia jam scholastici disputabant tunc temporis de mediata vel immediata mutatione aquæ in sanguinem CHRISTI. Qua de re quidquid sit, mysterium attendendum est, quod in ipsa aquæ benedictione declaratur, ac rogat sacerdos ejus divinitatis nos fieri participes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.
T. XII. conc. p. 536. Sessione XXII. c. 7. In concilio Florentino, ac Tridentino additur aliud: *Quia*, sunt verba Tridentina, *e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur. Ita ergo calix salutaris offertur, ut in conspectu divinæ majestatis, pro nostra, & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat.* Juxta JOANNEM nimirum: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* *1. Joan. II. 2.*

Alii autem hujus propitiationis jam sunt facti participes in cœlis, alii adhuc fieri volunt participes in terris. Hinc altera oblatio deinceps fit SS. Trinitati, *Ob memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis JESU Christi Domini nostri; & in honore beatæ MARIÆ semper virginis &c. ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* SS. Trinitati, non sanctis offertur. „DEO quippe (inquit S. „AUGUSTINUS) non ipsis sacrificat, „quamvis in memoria sacrificet eorum: quia „DEI sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est CHRISTI, quod „non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.„ Ita ergo in honorem sanctorum est sacrificium, quia jam agno immaculato sunt conjuncti, in cœlis salutem consecuti. *L. XXII. de civ. D. c. 10.*

Hanc nos in terris ut obtineamus, sacrificio participamus, siquidem indignos nos

non

non præbeamus. *Probet autem seipsum homo*, ut monet apostolus, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Fit hoc ab illis, qui peccaverunt, pœnitentiæ absolutione, nunc privata, olim publica, qua peccatores a communione arcebantur pro diversis pœnitentiæ gradibus, vel precum in *substratione*, vel eucharistiæ, ac oblationis in *consistentia.* Sic in concilio Ancyrano distinguuntur gradus; *Cum duobus annis supplices, substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione, ut id, quod perfectum est, triennio accipiant.* Id quod congruenter ad veterem disciplinam statuitur, qua oblationes faciebant fideles ad altare, qui communionem accepturi erant, unde qui indigni erant, eorum oblationes non recipiebantur. Sic S. GREGORIUS NAZ. narrat in oratione funebri de S. BASILIO, ejus clericos sancto pontifici in sacrificio assistentes ausos non fuisse recipere VALENTIS imp. oblationem. Et in vita S. AMBROSII PAULINUS de THEODOSIO refert: *Munera imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab ecclesia respuebantur.* *can. 5.*

Jam ex SS. JUSTINO & IRENÆO constat primævum hunc fuisse in ecclesia morem, ut fideles ipsi offerrent suam sacrificii partem, si haberent. „Locuples (inquit S. CYPRIANUS) „ & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. „ In concilio Matisconensi II. decernitur: *Ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus offeratur, tam panis quam vini, ut per has immo-* *Apol. 2. L. IV. c. 34. De oper. & eleemos. can. 4.*

lationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum ABEL vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes. JOANNES diaconus in vita S. GREGORII M. narrat de matrona, quæ D. GREGORIO „per stationes publicas (ejus verba recito) „missarum solemnia celebranti solitas oblationes obtulerat: cui post mysteria traditurus cum diceret: *Corpus Domini nostri „JESU CHRISTI conservet animam „tuam*, lasciva subrisit. Ille vero, dexteram ab ejus ore convertens, partem illam „dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero missarum solemniis coram populo inquisivit, quamobrem corpus dominicum „sumtura ridere præsumserit? At illa diu „mussitans tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse „cognoveram, tu corpus dominicum perhibebas.„ S. GREGORIUS Turonensis mulierem quandam memorat, *quæ pro defuncti viri requie semper sextarium vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ: sed subdiaconus nequam reservans gulæ gazetum, acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandi gloriam accedente &c.* In concilio Romano sub GREGORIO VII. statuitur, ut quilibet christianus secundum veterem usum ecclesiæ oblationem suam ad missam faciat. In regula imperatricis IRENES septem panes offerri ad missam præscribuntur singulis diebus, 1) in honorem CHRISTI, 2) DEIparæ Virginis, 3) Sancti, cujus festum agebatur, 4) in remissionem peccatorum imperatoris & imperatricis, 5) pro monialibus defunctis, 6) pro defunctis ex familia imperatoris, 7) pro viventibus.

L. II. c. 41.

De glor. confess. c. 65.

An. 1078.

ap. Cotel. mon. græc. T. IV. c. 34.

Sabbato

Sabbato parvæ cruces offerebantur pro defunctis ex eadem familia, una pro singulis crux. Non hæc fuerunt ad ipsum sacrificium materia, quemadmodum etiam in occidente, a quo tempore panis singulari studio ab ipsis clericis fieri cœpit, & offerri oblationes ejusmodi cessarunt; a fidelibus autem hactenus nummi offeruntur, aut alia, quæ in concilio Claromontano sub URBANO II. vocantur *altaria*, decimæ autem, & alii fixi reditus *ecclesiæ*. Quamvis etiam tunc adhuc, & usque hodie alicubi oblationes symbolorum ad sacrificium fierent. Distinctionem ejusmodi singularem oblationum ex Ordinario Nannetensi MARTENIUS refert in festo natalis Domini his verbis: „Nota quod in istis tribus missis mysticæ consueverant fieri oblationes. In prima offeruntur luminaria, per quod intelligitur divinitas Verbi. In secunda panes, in quo notatur humanitas, quia CHRISTUS factus est cibus noster. In tertia denarii, ad significandum quia sicut in denario imprimitur imago, ita in CHRISTO junctum est verbum naturæ humanæ.„ In ordine Rom. missæ pontificalis apud HITTORPIUM distinguuntur oblationes principum, & reliquorum, illæ ab archidiacono, hæ ab episcopo hebdomadario post pontificem suscipiendæ, etiam vinum ad sacrificium. Et de archidiacono dicitur: *Archidiaconus accipiens oblatas, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere.* Erat hoc inde ab antiquissimis temporibus diaconorum munus. HILDEBERTUS omnia complectitur in expositione missæ, ita ad finem sæculi undecimi, aut initium sæculi duodecimi scribens: *Sacerdos suscepta oblatione eorum,*

An. 1095. c. 11. & 12.

De antiq. eccl. disc. c. 12. n. 24.

pag. 17.

rum, quibus licitum est offerre, redit ad altare, ut in eo disponat oblationes coram Domino, quas illi immolaturus est in sequentibus missæ. CHRISTUS enim post accepta vota cantantium Jerusalem & templum Domini intravit, in quo erat altare, ibique præsentavit se ad immolationem futuram. Ita verum demonstratur, quod de hujus oblationis more scribit MORINUS: „Hic mos „mille & ducentis annis in universa ecclesia „occidentali constantissime & insigniter viguit, eratque insigne fidelium privilegium, „quo carebant hæretici, schismatici, pœnitentes, peccatores publici, omnesque infames, ut conc. Later. II. c. 23. & IV. c. 3. „definiunt.„ In canonibus anonymis apud RENAUDOTIUM ex doctrina patrum hæc quoad ecclesiam etiam orientalem constitutio legitur: *Non oportet omnino sacerdotem ad altare deferre vinum in eo vase, quod fidelis quisque laicus vir aut fœmina attulerint; sed deferet illud in vase, quod in ecclesia peculiariter ad hunc usum destinatum est.* In liturgiis sub nomine S. CHRYSOSTOMI, & S. JACOBI, aliorumque recentiorum Græcorum πρόθεσις, & παρατράπεζον vocatur mensa, ubi oblationes recipiebantur. In ordine vero Romano oblationarium, & prothesis, atque paratorium: quod, quando receptæ erant oblationes, præparatio ex illis ad eucharistiam fiebat. Locum S. CYPRIANUS Corban vocat; sacrarium vero concilium Carthaginense IV. & expresse a gazophylacio distinguit, ubi aliæ oblationes fuerunt receptæ: *oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur.* Secretarium vocat S. PAULINUS hoc dextrum a sinistro seu *diaconico* distinguens:

De pœnit. L. VI. c. 17.

T. I. p. 192.

De oper. & eleemos.

can. 98.

Hic

Hic locus est veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

§. XIII.

Iterum compellatis fidelibus, atque admonitis, ut sursum habeant corda, gratiarum actionem, quam *præfationem* dicimus, ad missæ scilicet canonem, fundit sacerdos invitatis angelicis choris, eorum concinendo ἐπινίκιον, seu triumphalem hymnum. Præfatio.

Jam notavimus, quando præcipua aliqua infit in sacrificio actio, populum compellare sacerdotem dicendo *Dominus vobiscum*, respondente populo *Et cum spiritu tuo*, quod S. CHRYSOSTOMUS commode eo interpretatur, non sacerdotem esse qui commutat dona, sed Spiritum sanctum, unde & sursum corda erigere sacerdos, & populus se habere clamat. Canon sacramentarii GELASII P. ita orditur: *Incipit canon actionis: Sursum corda habemus ad Dominum.* In missali Francorum, ante CAROLUM M. usitato, indidem canon inchoari dicitur, & a RHABANO MAURO missa inde vocatur. „Postea (inquit) cantatur missa a sacerdote, qui postquam loquitur ad populum de elevatione cordis ad DEUM, exhortaturque eos ad gratias agendas Domino, laudibus os implet, rogatque ut ipse omnipotens DEUS Pater, cui deserviunt cœlestes potestates, sua gratia illorum vocibus jubeat „ humanas

Hom. 1. de pentecost.

De inst. cler. L. I. c. 33.

„ humanas associare confessiones, quam de„ precationem mox subsequitur laus ex angeli„ cis & humanis confecta *Sanctus &c.* „ Etiam apud Græcos hic liturgiam proprie dictam incipere probat RENAUDOTIUS ex historia patriarchali in vita SONUTII LII. ubi de ABRAHAMO viro primario, qui ad eum conquirendum Misram seu Cahiram venerat, ita scribitur: *Ingressus est in ecclesiam S. SERGII, in qua congregati erant; reperitque illos liturgiam incboantes, dicebatque plebs:* Dignum & justum est. Inde a prima ecclesiæ ætate esse istam ἐυχαριϛίαν seu gratiarum actionem ex S. JUSTINO discimus:

Ap. 2. „ Deinde ei, qui fratribus præest, offertur pa„ nis & poculum aquæ, & vini: quibus ille „ acceptis laudem & gloriam rerum univer„ sarum Patri per nomen Filii & Spiritus S. „ offert, & gratiarum actionem pro eo, quod „ nos hisce donis suis dignatus sit, prolixe „ exequitur. „ Et S. IRENÆUS:

L. IV. c. 34. *Et banc oblationem ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus.* Præfationem hanc fuisse dictam, atque ejus rei causam, jam ex S. CYPRIANO discimus:

De orat. dominica. „ Quando autem sta„ mus ad orationem, fratres dilectissimi, vi„ gilare & incumbere ad preces toto corde „ debemus: cogitatio omnis carnalis & sæcu„ laris abscedat, nec quicquam tunc animus „ quam id solum cogitet, quod precatur; ideo „ & sacerdos ante orationem præfatione præ„ missa parat fratrum mentes dicendo, *Sur„ sum corda*, ut dum respondet plebs: *Ha„ bemus ad Dominum*, admoneatur nihil a„ liud se quam Dominum cogitare debere. „

Cat. 23. n. 4. Adhuc explicatius hunc edisserit sensum S. CY-

RILLUS

RILLUS HIER. *Postea clamat sacerdos:* Sursum corda. *Vere enim in hac perquam maxime tremenda hora cor sursum habere oportet ad DEUM, & non deorsum circa terram, & terrena negotia. Idem igitur est, ac si præcipiat sacerdos, ut omnes circa illam horam deponant curas vitæ hujus, & domesticas sollicitudines, habeantque sursum in cœlo cor ad clementem DEUM. Deinde respondetis:* Habemus ad Dominum; *ei præcepto per eam quam pronunciatis confessionem assentientes. Nemo igitur ita comparatus adsit, ut quum ore dicat,* habemus ad Dominum, *cogitatione mentem habeat hujus vitæ curis occupatam. At enim omni tempore memores esse nos oportet DEI: quod si propter humanam imbecillitatem impossibile sit, illa tamen maxime hora hoc studiose enitendum est.* FLORUS in explicatione missæ apud MARTENIUM similes ex SS. PP. solidas ac pias affert explicationes. Maxime autem hic notanda est S. AUGUSTINI explicatio ad id, quod in ista gratiarum actione fit. „Et ideo (ait) sequitur, ut de tanto bono sursum levati cordibus non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino DEO nostro gratias agamus. „ Agitur hoc universim in omnibus tam Latinis quam orientalibus liturgiis cujuscunque linguæ, & sectæ, tantum quod apud Græcos una, apud Latinos plures habeantur præfationes seu *contestationes*, ut communi tunc, & deinceps medio ævo vocabulo vocat S. GREGORIUS Turonensis, de præfatione, quæ in festo S. MARTINI dicitur, loquens: *quod in contestatione etiam sacrificii viri divini miracula memorem.*

Coll. ampl. T. IX. p. 591.

De bono viduit. c. 16.

De glor. MM. L. II. c. 14.

morentur, *ut canendo* Sanctus *populus inde etiam DEO agendi gratias argumentum sumat.* Modo in ecclesia Latina restrictus est præfationum numerus. In concilio Placentino URBANO II. id tribuitur, quod decimam instituerit præfationem, quæ est ea ipsa de B. V. M. quæ hodieque canitur. Qui felicissime ecclesiæ regimen primum auspicatus est CLEMENS XIII. statuit nuperrime, ut in dominicis, quibus propria non assignatur præfatio de SS. TRINITATE dicatur.

T. X. conc. p. 505.

Magnus autem utriusque ecclesiæ est consensus circa hymnum, quem vocant ἐπινίκιον, a trisagio & aliis cœlestibus hymnis distinguendum, quorum quatuor liturgicos vocat RENAUDOTIUS in notis ad missam CHRYSOSTOMI: quorum primus est evangelicus *Gloria in excelsis DEO*, quem nato Domino angeli cecinerunt; secundus cherubicus, quem Græci, cherubim voces æmulantes, ante magnum introitum cantant dicentes: *Qui cherubim mystice repræsentamus. & vivificanti Trinitati ter sanctum hymnum canimus, omnem sæcularem deponamus sollicitudinem, tanquam regem omnium suscepturi angelicis invisibiliter stipatum agminibus. Alleluja.* Hujus institutionem ad JUSTINI tempora revocat CEDRENUS. Tertius trisagion, nempe *sanctus DEUS, sanctus fortis &c.* Quartus epinicion DEO tanquam victori, & omnium triumphatori ab omnibus post præfationem decantatur. In liturgia Mozarabica Græce simul ac Latine canitur. Quemadmodum in die parasceves trisagion in tota ecclesia occidentali semel tantum in anno: dum alii tres angelici hymni passim, hic autem constanter, & opportune,

quando

quando cum creaturis aliis etiam angelicas ad collaudandum & DEO gratias agendas invitamus catervas, earum usi vocibus: *Facimus deinde*, inquit S. CYRILLUS Hier. *mentionem cœli, & terræ, & maris, solis, & lunæ, astrorum, & totius creaturæ tam ratione præditæ, quam carentis, visibilis & invisibilis: angelorum, archangelorum, virtutum, dominationum, principatuum, potestatum, thronorum, cherubim multis faciebus præditorum: quasi dicentes Davidicum illud:* Magnificate Dominum mecum. *Mentionem etiam facimus seraphim, quæ in spiritu sancto vidit HESAJAS thronum DEI circumstantia, & duabus alis faciem tegentia, duabusque pedes, ac duabus volantia, & dicentia:* Sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEUS sabaoth. *Propterea enim traditam nobis ab seraphinis hanc theologiam recitamus, ut communi omnium laudum modulatione cum superioribus mundo exercitibus conjungamur.* Similiter S. CHRYSOSTOMUS pulcherrimam nobis hujus in terris angelici cantus rationem depromit, sacrificio aptam, ubi præsens e cœlis CHRISTUS nobis sistitur: „ Nam antea quidem in cœlis hymnus iste canebatur: postquam autem in terram venire dignatus est Dominus, hunc etiam concentum ad nos detulit. Propterea quoque magnus hic pontifex, cum juxta sacram hanc mensam constiterit, ut rationalem cultum exhibeat, & sacrificium offerat incruentum, non simpliciter nos ad hanc faustam acclamationem invitat, sed ubi prius cherubim nominavit, & seraphim mentionem fecit, tum demum ad hanc tremendam vocem mittendam omnes adhorta„tur,

Cat. 23. n. 6.

Hom. 5. in illud: Vidi dominum.

„ tur, & dum eorum nos admonet, qui nobis-
„ cum choros agitant, mentem noſtram a ter-
„ ra ſubducit, unumquemque noſtrum his
„ propemodum verbis excitans: una cum ſe-
„ raphim canis, una cum ſeraphim ſta, cum
„ illis alas extende, cum illis regium ſolium
„ circumvola.

§. XIV.

Canon. **Sacratior pars miſſæ inde a S. GREGORIO M. *Canon* dicitur, ad conſecrationem myſteriorum ſecreto, ac religioſo ſilentio dici ſuis ex rationibus a multis ſæculis ab eccleſia juſſus.**

Non ſunt uniusmodi preces, quæ verba CHRISTI conſecratoria proxime antecedunt, & ſubſequuntur tam in Græcis, quam Latinis liturgiis, in miſſalibus etiam Gallicanis, annotante MABILLONIO, pro diverſitate miſſarum variæ, uſque ad ſacri myſterii actionem incipientem ab his verbis: *Qui pridie quam pateretur &c.* quæ verba ex SS. evangeliis, apoſtolis, & traditione accepta eadem ſunt in omnibus liturgiis, niſi quod in nonnullis quædam voces variant. Idem etiam in tota eccleſia occidentali, excepto ritu Ambroſiano, & Mozarabico, uniformiter ſumma religione habetur ubique. De quo concilium Tridentinum ita habet: *Cum ſancta ſancte adminiſtrari conveniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium; eccleſia catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, ſacrum canonem multis ante ſæculis inſtituit, ita omni ab errore purum, ut nihil in eo conti-*

De lit. Gall. L. I. c. 5. n. 17.

Seſſione XXII. can. 4.

continineatur, quod non maxime ſanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in DEUM erigat, id enim conſtat cum ex ipſis Domini verbis, tum ex apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque pontificum piis inſtitutionibus. Incipit apud nos verbis: *Te igitur clementiſſime Pater*, finit autem juxta alios ad illud: *Oremus præceptis ſalutaribus moniti.* Vel juxta alios ad verba: *Libera nos quæſumus Domine*, ut dominica includatur oratio, quæ ſemper in conſecratione divinorum myſteriorum fuit adhibita. Teſtaturque PASCH. RATBERTUS, finito canone, completa nimirum oratione dominica populum *Amen* reſpondiſſe: atque non pridem DU-VERT iterum revocare conatus eſt eum uſum.

Quatuor autem teſte BIELE ſortitur nomina: quia non ſolum dicitur canon, id eſt regula ad venerabilis euchariſtiæ conſecrationem ordinata, vel, ut ait WALAFR. STRABO *c.* 22. & micrologus *c.* 12. quia in eo eſt legitima, & regularis ſacramenti confectio; ſed etiam ſecretum appellatur, quoniam, ut ait BIEL, ſignificat ſacratiſſima fidei myſteria, & ſacratiſſimæ ibi fiunt operationes omni creato intellectui incomprehenſibiles, & quia canon ſecreto dicitur. Appellatur etiam ſacrificium, quia offertur DEO Patri ſummum ſacrificium, unigenitus ſcilicet Filius ſub ſpecie ſacramentali occultus. Dicitur denique actio, quia, ut ait WALAFRIDUS, in ea conficiuntur dominica ſacramenta: vel quia gratiarum actionem continet: nam totum fere miſſæ ſacrificium eſt gratiarum actio, ut ex IRENÆO colligi poteſt. Vel, ut ait BIEL, dicitur actio, quia in ipſa ſacratiſſimum CHRI-

Lect. XV. in can. miſſæ.

Vid. Schol. P. Ang. Roccæ in lib. ſacr. S. Greg.

Lib. IV. c. 34.

STI mysterium peragitur, quo ipse ob immensam charitatem carnem suam in cibum, suumque sanguinem in potum sub velamine specierum panis & vini spirituali refectione fidelibus elargitur. Quoniam vero hæc nonnisi misericordia, & libera DEI voluntate fiunt, hæc pars recte dicitur *actio*, quatenus contra factionem, ut ait BIEL, distinguitur. Vel dicitur actio, eodem teste BIEL, quia ibi agitur nostra causa coram summo judice, CHRISTO DEO per sacerdotem, tanquam per nuntium intermedium inter ipsum & sponsam, CHRISTUM scilicet, atque ecclesiam. Ordo agendi vocatur a S. AUGUSTINO. Et S. LEO sacrificium proprie dicit: Quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. INNOCENTIUS I. post alios veteres *precem κατ' ἐξοχὴν* vocat: *De nominibus recitandis antequam precem sacerdos faciat.* Et VIGILIUS P. *Ipsius canonicæ precis textum direximus quem DEO propitio ex apostolica traditione suscepimus. Canonem* primus S. GREGORIUS haud semel tantum vocat, atque compositum asserit a quodam scholastico. Quales olim docti, ac eruditi, qui scholis christianorum præficiebantur, ut conversos ad fidem erudirent, sunt dicti. Sed qualis hic fuerit, nescitur. Ab IVONE Carnotensi S. LEO, & GREGORIUS M. designantur: quique aliquam vel levem partem adjunxerint in libro pontificali notantur. Unde constat, qua religione habitæ istæ preces fuerint, quas veteres ex traditione apostolica repetebant, inter alios INNOCENTIUS I. P. contra eos invectus, qui aliquid novi aut diversi hic suscipiunt.

Ep. 54. Ep. 11. *Ep. ad Decentium. Ep. ad Profuturum Bracaren. L. 14. ep. 2. L. 7. ep. 64. Vid. Card. Bonam de rebus lit. L. II. c. 11. Microl. 11.*

Qua

Qua item religione dici consueverint vel inde constat ex ipso Gregoriano sacramentario, quod in sacrario inclinatis nonnisi profunde presbyteris, diaconis, & subdiaconis fuerint dictæ, uti etiam ex JOANNIS Rothomagensis tractatu de officiis ecclesiasticis patet: de reliquis vero ministris, ac circumstantibus omnibus ex HILDEBERTO: " Post finitum hymnum *Sanctus*, *sanctus*, " *sanctus* (inquit) inclinant se circumstantes " venerando divinam majestatem cum angelis, & Domini Incarnationem cum turbis, " & inclinati perseverant usquedum finiatur " omnis præsens oratio, id est, usquequo di- " catur post orationem dominicam, *sed libera* " *nos a malo*. „ In oriente nonnisi sacro obducto velo dicebantur preces hæ sanctæ, nec omnes alta voce, uti ex canone Laodiceno conjicitur. Verba tamen consecrationis in occidente etiam alicubi, respondente populo *Amen*, fuerunt recitata. Et REMIGIUS Altisiodorensis rationem nobis reddit, cur tacite recitetur canon: *Idcirco*, inquit, *venit consuetudo in ecclesia, ut tacite ipsa obsecratio atque consecratio a sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent, dum pene omnes per usum retinentes per vicos & plateas, aliisque in locis, ubi non conveniret, ea decantarent. Inde fertur, quod antequam hæc consuetudo inolevisset, cum pastores ea decantarent in agro divinitus sunt percussi.*

Exposit. missæ.

can. 19.

Explic. super canonem.

§. XV.

Memoria etiam fit intra actionem canonis fidelium non solum vivorum & defunctorum, sed etiam sancto- rum

Memoria vivorum & mortuorum.

rum ante & post consecrationem, varia ecclesiæ praxi, & diptychorum usu.

In sacrificio pro omnibus est orandi intercedendique locus; sed non omnis locus aptus & congruus pro dignitate sacrificii, ac ratione rerum, & personarum. „ Obsecrationum quo-
" que sacerdotalium sacramenta respiciamus,
" (sunt verba COELESTINI P.) quæ
" ab apostolis tradita in toto mundo, & quæ
" in omni ecclesia catholica uniformiter ce-
" lebrantur, ut legem credendi, lex statuat
" supplicandi. Cum enim sanctarum plebium
" præsules mandata sibimet legatione fungan-
" tur apud divinam clementiam, humani ge-
" neris agunt causam, & tota secum ecclesia
" congemiscente postulant, & precantur, ut
" infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab
" impietatis suæ liberentur erroribus, ut Ju-
" dæis ablato cordis velamine lux veritatis
" appareat, ut hæretici catholicæ fidei perce-
" ptione resipiscant, ut lapsis pœnitentiæ re-
" media conferantur, ut denique catechu-
" menis ad regenerationis sacramenta perdu-
" ctis cœlestis misericordiæ aula reseretur. „

Ep.21. ad Gall.episc. n. 11.

In constitutionum apostolicarum liturgia oratio pro ejusmodi non solum extraneis, sed etiam inimicis, & persecutoribus post memoriam sanctorum, & fidelium vivorum, ac defunctorum habetur peracta jam consecratione. Idem jam superius retulimus ex S. CYRILLO HIEROSOL., postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, preces pro omni statu, ac genere hominum esse factas. At ex concilio Laodiceno intelleximus, & fuit olim solemnis ut jam vidimus, distin-

diſtinctaque miſſa, & preces primum pro catechumenis, pœnitentibus, ac poſtea fidelibus. Sed nec hic eadem diſciplina obtinuit, quamvis id INNOCENTIUS I. P. optaſſet: *De nominibus*, ſcribit ad DECENTIUM, *recitandis, antequam preces ſacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, & ipſe per tuam prudentiam recognoſcis, ut unius hoſtiam necdum DEO offeras, ejus ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo eorum oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus.* Spectat hoc eos, qui oblationes fecerunt, nominatim olim commemorati. Nunc publice, ut teſtatur S. HIERONYMUS; & diu ante S CYPRIANUS de illis ex clero & plebe Carthag., qui pro eccleſiis Numidiæ collectas fecerunt; „ Ut fratres (ſunt verba S. Mart.) „ noſtros, ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium promte, ac libenter operati ſunt, „ ut ſemper operentur, in mente habeatis in „ orationibus veſtris, & eis vicem boni operis in ſacrificiis, & precibus repræſentetis, „ ſubdidi nomina ſingulorum, ſed & collegarum quoque, & conſacerdotum noſtrorum, „ qui & ipſi, cum præſentes eſſent, & ſuo, „ & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus „ contulerunt, nomina addidi, & præter quantitatem propriam noſtram, eorum quoque „ ſummulas ſignificavi: quorum omnium, ſecundum quod fides, & charitas exigit, in „ orationibus, & precibus veſtris meminiſſe „ debetis.

Ep. I. c. 2.

L. II. in cap. 11. Jerem.

Ep. 60.

„ debetis. „ Erat hoc genus diptychorum seu tabularum, quibus nomina eorum continebantur, pro quibus sacrificium offerebatur, tam vivorum, quam defunctorum, commemoratioque semper post oblationem facta unacum nominibus sanctorum, in quorum memoriam sacrificium offerebatur. At alicubi etiam ante canonem, uti MABILLONIUS in missali Gottico seu Gallicano, & Mozarabico observavit, putatque hunc morem in laudato INNOCENTII I. loco vituperari, quod in ecclesia Romana primum in canone facta sit hæc memoria, sicut hodieque fit; ac vivorum quidem ante consecrationem, mortuorum vero post consecrationem juncta semper memoria, & communione sanctorum martyrum; non tamen quod pro iis etiam oretur, quod nefas dicit S. AUGUSTINUS, & jam superius explicavimus, quomodo & in honorem martyrum, ac sanctorum in gratiarum actionem offeratur sacrificium. *Mentionem facimus etiam eorum*, inquit S. CYRILLUS HIEROS. *qui ante nos obdormierunt: primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut DEUS propter illorum orationes, & deprecationes nostras suscipiat preces. Deinde pro defunctis sanctis patribus, & episcopis: denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt.* Et S. CHRYSOSTOMUS: „ Quid putas pro martyribus offerri, quod vocentur in illa hora? „ Licet martyres sint, etiam pro martyribus „ magnus honor nominari Domino præsente, „ dum mors illa perficitur, horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria. „ Et quidem usque in hodiernum diem, tam ante, quam post consecrationem, martyrum tantum fit memoria

De lit. Gall. L. I. c. 5. n. 12.

Cat. 23. n. 6.

Hom. 21. in act. apost.

ria

ria in canone Romano; & licet medio ævo confeſſores etiam ſint adjecti; non diu tamen a ſæculo IX. retenta eſt iſta diſciplina, & avita revocata ſolos martyres nominandi conſuetudo, excepta B. V. M. cujus in omnibus liturgiis, imprimis orientalibus, glorioſa fit memoria, ne exceptis quidem Neſtorianis, ut apud RENAUDOTIUM videre eſt, licet *T. I. p.* loco DEIparæ CHRISTIparæ nomen aſ- *256.* ſumſerint, & ſuos, quos pro ſanctis colunt, ſicut & Jacobitæ, patriarchas interſerant.

Solemne fuit in diptychis, etiam nonnunquam ſynodorum œcumenicarum ex ſacrorum præſulibus conſtantium memoriam habere, ſemper autem præcipuarum ſedium imprimis Romanorum pontificum etiam in eccleſiis orientalibus, quamdiu mutua fuit communio, quam maxime in ſacrificio conteſtatur eccleſia. Nec in ſacratiore hac liturgiæ parte patitur commemorationem, niſi quorum catholica, & ſancta eſt memoria. Hinc tantum ſtudium, ac contentio Romanæ etiam ſedis de reſtituendo in diptychis S. CHRYSOSTOMI nomine, odio THEOPHILI deleto, ab ATTICO Cpoli, a S. CYRILLO Alexandriæ revocato, ægre licet, nec habita ratione dignitatis tam ſancti præſulis, ut ex epiſtolis mutuis ATTICI, & S. CYRILLI conſtat. Econtra Romani pontifices deinceps nihil non egerunt ad radendum e diptychis ACACII, itemque aliorum ſchiſmaticorum, & hæreticorum patriarcharum orientalium nomen. Quam in rem gravis eſt GELASII P. ad epiſcopos Dardaniæ epiſtola, ne hæreticorum ad altare recitentur nomina. Fuitque hoc ſemper cautum, ne indigni quique in ſacrificio memorarentur, aut pro illis ſacrificium poſt mortem

 fieret.

fieret. Cujusmodi exemplum ex S. CYPRIANO jam commemoravimus ex concilii Carthaginensis decreto, atque etiam posteriorum conciliorum, & pontificum statutis. Quemadmodum GREGORIUS III. ad S. BONIFACIUM rescripsit, ne memoriam fieri permitteret in sacrificio nisi eorum, qui vere christianam egerint vitam, minime vero pro impiis licet christianis. Nominatim exclusi semper sunt, qui sibiipsis vim intulerunt, ac occiderunt, licet pro eis eleemosynas facere, ac etiam preces alias extra sacrificium fundere vetitum haud fuerit, uti in pœnitentiali THEODORI Cantuariensis præscribitur, & THEODORUS STUDITA rescripsit de quodam, qui dæmone agitatus sese suspendit. Quin in vetustissimo statuitur Illiberitano concilio de energumeno, *qui ab erratico spiritu agitatur, hujus neque ad altare cum oblatione nominandum, neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret.*

t. 2.
c. 63.
ep. 9.
can. 29.

§. XVI.

Consecratio.

Sacratissimis consecrationis, & oblationis verbis, ac precibus sistitur cœlestis ac divina victima, DEOque in altari offertur propitiatorium sacrificium.

Jam suo loco de sacramento eucharistiæ diximus, quibus precibus, verba CHRISTI continentibus, fiat consecratio. Quod optime intelligitur, & explicatur spectata sacrificii actione, quo quidem omnia spectant in missa, ac propius etiam in missæ *canone*, imprimis vero precibus ac verbis illis, quæ oblationem,

tionem, consecrationemque ipsam continent, incipiendo ab illis verbis: *Hanc igitur oblationem &c.* Et mox benedici incipitur: *Quam oblationem tu quæsumus in omnibus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri JESU Christi. Qui pridie quam pateretur &c.* Et ita ad actionem, ac verba CHRISTI in cœna proceditur, quibus sistitur hostia, ac offertur DEO. „Vis scire (in„quit S. AMBROSIUS, vel quisquis est au„ctor librorum de sacramentis sub S. Ambro„sii nomine) quia verbis cœlestibus conse„cratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sa„cerdos: *Fac nobis*, inquit, *hanc oblatio„nem ascriptam, rationabilem, acceptabi„lem:* quod est figura corporis, & sangui„nis Domini nostri JESU CHRISTI. „*Qui pridie &c.*„ Quæ eadem omnia ad verbum fere recitat, ut in nostro sunt canone. „Vide, omnia illa verba evangelistæ sunt „usque ad *accipite*, sive corpus sive sangui„nem. Inde verba sunt CHRISTI: *Ac„cipite &c.* Vide singula. *Qui pridie*, inquit, „*quam pateretur in sanctis manibus suis ac„cepit panem.* Antequam consecretur panis „est, ubi autem verba CHRISTI accesse„rint, corpus est CHRISTI. Denique „audi dicentem: *Accipite & edite ex eo om„nes, hoc est enim corpus meum.* Et ante „verba CHRISTI, calix est vini & aquæ „plenus. Ubi verba CHRISTI operata „fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem „redemit.„ Quam cum explicasset fidem, ac mysterium, ulterius pergit κατὰ πόδα ac articulatim, ut etiamnum est, canonem Romanum secutus: „Deinde quantum sit sa„cra-

L. IV. c. 5.

cramentum cognosce, vide quid dicat: „ *Quo-*
„ *tiescunque hoc feceritis, totiens commemo-*
„ *rationem mei facietis, donec iterum adve-*
„ *niam.* Et sacerdos: *Ergo memores glorio-*
„ *sissimæ ejus passionis, & ab inferis resur-*
„ *rectionis, & in cælum ascensionis, offeri-*
„ *mus tibi hanc immaculatam hostiam, ra-*
„ *tionabilem hostiam, incruentam hostiam,*
„ *hunc panem sanctum, & calicem vitæ æ-*
„ *ternæ: & petimus, & precamur, ut hanc*
„ *oblationem suscipias in sublimi altari tuo*
„ *&c.* „ Iterum prosequitur ad verbum, uti habetur in canone Romano, continéturque consecratio, ac oblatio hostiæ, seu sacrificium a CHRISTO institutum, & a nobis in ejus commemorationem hostiæ in cruce cruentæ oblatæ incruentum sacrificium jugiter fieri præceptum. „ Ergo (pergit) quotienscunque
„ accipis, quid tibi dicit apostolus? Quoties-
„ cunque accipimus, mortem Domini annun-
„ tiamus: si mortem annuntiamus, annuntia-
„ mus remissionem peccatorum Si, quotiens-
„ cunque effunditur sanguis, in remissionem
„ peccatorum funditur, debeo illum semper
„ accipere, ut semper mihi peccata dimit-
„ tantur. „ In missis Mozarabica, & Ambrosiana post hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*, additur in veteri Mozarabica, *quod pro vobis tradetur*, in Ambrosiana item veteri, *confringetur*, ut MABILLONIUS annotavit, atque alibi jam attuli, & alia in hanc rem, quibus orientales etiam respondent liturgiæ, ad asserendam realem præsentiam; nunc recolenda ad veram demonstrandam in consecratione corporis & sanguinis D. N. JESU CHRISTI sacrificii rationem, unacum oblatione sacræ hostiæ ante, & post consecrationem, ut nobis sit salutaris.

Atque

Atque ita sine difficultate explicatur, quæ in Græcis liturgiis habetur invocatio S. Spiritus etiam post verba CHRISTI consecratoria, referenda ad integram sacrificii actionem in corpore, & sanguine CHRISTI virtute Spiritus sancti transmutatis, sanctusque CYRILLUS HIEROS. paucis totum hoc complectitur in explicatione liturgiæ: *Deinde*, inquit, *postquam nosmetipsos per has spirituales laudes sanctificavimus; DEUM benignum exoramus, ut emittat Spiritum sanctum super proposita* τὰ προκείμενα; *ut faciat panem quidem corpus CHRISTI, vinum vero sanguinem CHRISTI. Omnino enim, quodcunque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum, & transmutatum est.* Sanctificatur autem, & transmutatur, quatenus sistitur hostia CHRISTUS, nobis salutaris in salutem corporis, & animæ virtute ejusdem Spiritus S. qui & transmutat sacra symbola, & transmutata nobis præstat hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, immaculatam hostiam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. *Cat. 23. n. 7.*

§. XVII.

Singularis actus cultus, & adorationis eucharistiæ debitæ est elevatio sacræ hostiæ ac sanguinis, quæ non eodem loco, & tempore fit in oriente, & occidente, post hæresin Berengarianam illustrior. Elevatio ad adorandum.

Adorationem eucharistiæ testimoniis antiquorum patrum suo loco demonstravi, quæ suapte ex reali præsentia consequitur: dupli-

citer

citer autem interiore cordis, & exteriore corporis cultu præstatur: qui si non semper eodem habitu, ac ritu adhibeatur, nihil refert, dummodo sensus adorationis adsit, uti nemo christianorum dubitare debet, CHRISTUM præsentem in carne esse adorandum. Quemadmodum nullus dubitat, apostolos CHRISTUM adorasse, licet non referantur identidem gestu corporis id egisse, tum alias, cum sacra in cœna, ac eucharistia. In qua, quoniam semper CHRISTUS fuit creditus præsens, quin semper sit adoratus, dubium non deberet esse, etiamsi aliunde non constaret.

De Spiritu S. L. III. c. 12. *Caro CHRISTI*, inquit S. AMBROSIUS, *quam bodie quoque in mysteriis adoramus, & quam apostoli in Domino JESU, ut supra diximus, adorarunt. Ita & magi Dominum in præsepe adorarunt.* S. CHRYSOSTOMUS: „Tu vero non in præsepe respicis, sed in altare, neque vides tantum, sed & tangis, nec tangis tantum, sed „& comedis, & eo accepto domum reverteris. Absterge igitur animam, præpara „mentem ad horum mysteriorum participa„tionem. Etenim si regis filius cum ornatu, „purpura, & diademate concreditus tibi esset gestandus, omnia, quæ sunt in terra, „abjecisses. Nunc autem non filium regis, „sed ipsum DEI Filium unigenitum accipiens non exhorrescis? „ Interior reverentia, ac ipsa oratio ad Dominum JESUM CHRISTUM præsentem adoratio est, quomodo & angeli adorant, & contremiscunt, ac teste NILO S. CHRYSOSTOMUS sæpenumero conspexit: *Etenim ille, statim atque sacerdos sacram inciperet oblationem, plerasque de repente ex beatis potestatibus de*

Hom. 24. in 1. ad Cor.

L. II. ep. 294.

cœlo descendentes, & splendidissimis quibusdam vestibus circumamictas, nudo pede, intentis oculis, & demissa facie altare circumeuntes, cum veneratione, & multa quiete, & silentio usque ad terribilis mysterii consummationem assistere: tum demum per venerandum dominicum undique effusas, hac atque illac singulis obviis episcopis, & sacerdotibus, & singulis diaconis, qui corpus, ac venerandum sanguinem aliis dispertiunt, ministrare, auxiliari, viresque confirmare. Hoc se ipse S. CHRYSOSTOMUS a sanctis viris non uno tantum percepisse narrat. „ Ego vero (inquit) „ aliquem olim narrantem audivi, quemad- „ modum senem virum admirabilem, ac reve- „ lationibus affectum dixisse, visione hujus- „ modi se quodam tempore dignum habitum „ fuisse, scilicet multitudinem angelorum de „ repente vidisse, quantum ejus facultas fe- „ rebat, splendidis vestibus indutorum, & „ altare circumeuntium inclinato capite; ac si „ quis milites præsente imperatore stantes vi- „ deret, quod & ipse mihi persuadeo. Alius „ item narravit mihi, non ab alio edoctus, „ sed cum ipse vidisset, & audisset, scilicet „ eos, qui ex hac vita migraturi sunt, si my- „ steriis pura conscientia participaverint, ani- „ mam efflaturos, ab angelis satellitum more „ ipsos, ob illud, quod acceperunt, stipanti- „ bus illuc abduci. „ Hinc est, quod imprimis S. CHRYSOSTOMUS passim cherubim, & angelorum mentionem faciat. Atque tota id, ut paulo ante vidimus, ecclesia semper egit in *præfatione*, ut angelicos invitet choros. *Non enim dubites*, inquit S. AMBROSIUS, *assistere angelum, quando CHRISTUS assistit, quando CHRISTUS*

L. VI. de sacerd.

L.I.in Lucam.n.28.

STUS immolatur. Agit de angelo ZACHARIÆ sacrificanti assistente, optatque *ut nobis quoque adolentibus assistat angelus.* Hoc tota spectat liturgia ad CHRISTUM præsentem adorandum, offerendumque Patri in sacrificium, ac participandum.

Maxime in sumtione semper adoratio, dum nimirum rex cœlestis ad nos venit, fuit præstita. *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*, ut trita est S. AUGUSTINI sententia, & communis olim proclamatio, *sancta sanctis*, hodieque comparet, in omnibus liturgiis orientalibus ut unacum elevatione ἁγία ὑψώσει eucharistiæ omnes in genua procumbant, adorentque sacramentum. Uti præscribitur in liturgiis, a quo tempore ejusmodi exteriores ritus solent designari: quod olim non fuit factum. Inde autem adhibitos non fuisse non sequitur, præsertim apud Græcos, qui etiam dona ante consecrationem tanta reverentia prosequuntut, ut ipsis exprobratum a nonnullis sit, ea adorari. Sed proprium adorationis cultum cum sacra, ut diximus, elevatione potissimum exhibebant, ubi vela sanctuarii pandebant, proxime communicaturi. „ Hæc quotidie precemur, nimi„ rum *dimitte nobis*, dum tremendæ synaxi „ assistimus: quod cognoscens sacerdos (in„ quit ANASTASIUS SIN.) post sacrifi„ cii illius incruenti consecrationem, panem vi„ tæ in altum allevat, ipsumque omnibus osten„ dit. Postmodumque exclamat diaconus, & „ ait: *Attendamus &c.* Tum stativa adjun„ git sacerdos: *Sancta sanctis &c.*„ Audi vero THEOD. STUDITAM in dialogo inter orthodoxum, & hæreticum, ubi ita orthodoxus: *Quo in numero habes corpus, & sangui-*

In ps. 98.

Vid. Renaud. T. I. p. 186. &c.

Orat. de Synaxi.

Antirr. het. II. c. 31.

ſanguinem Domini JESU Chriſti? Hæreticus: *Sancta ſunt proculdubio. Etenim ſancta ſanctis a ſacerdote pronuntiatur.* Orthodoxus: *Hæc itaque etiam adoranda judicas?* Hæreticus: *Et quis adeo impie ſentiat, qui non ſancta ſimul, & adoranda confiteatur? &c.* RENAUDOTIUS oſtendit poſt GOARIUM in omnibus Græcis liturgiis ad hoc elevationem præſcribi cum precibus, & habitu corporis adorationem deſignantibus. Inſtar omnium ſit S. CHRYSOSTOMI liturgia Græcis uſitata, a GOARIO edita: *Dehinc adorat ſacerdos & diaconus in quo ſunt loco, ter ſecreto dicentes:* DEUS propitius eſto mihi peccatori: *Et populus ſimiliter cunctus cum devotione adorat. Quum autem viderit diaconus ſacerdotem manus extendentem, & ſanctum panem tangentem, ut faciat ſanctam elevationem, exclamat:* Attendamus: *Et ſacerdos:* Sancta ſanctis: *Chorus:* Unus ſanctus, unus Dominus JESUS CHRISTUS in gloria DEI Patris. Amen. *T. I. p. 265.*

Fruſtra ergo ſunt, qui elevationem apud Græcos non fieri ſibi perſuaſerunt, eoquod non eodem ac in occidente fiat tempore, ubi duplex minor & major diſtinguitur, illa antiquior, hæc ad adorationem proprie inſtituta, mox poſt conſecrationem, poſtquam a BERENGARIO euchariſtia fuit impetita. „Non ſtatim (inquit MABILLONIUS) „poſt conſecrationem in altum a ſacerdote ho- „ſtia, itemque calix primis illis temporibus „efferebantur, ſed ſub finem canonis, dum „diceret ſacerdos: *Per quem hæc omnia &c.* „erigebat ſe archidiaconus ſolus: & cum di- „ceretur: *Per ipſum, & cum ipſo*, levabat „cum offertorio calicem per anſas, & tene- *Comment. in ord. Rom. p. 49*

„ bat exaltans illum juxta pontificem. Micro„ logus corpus cum calice tunc levatum fuiſ„ ſe dicit in *c.* 15. ubi nullam alterius poſt „ conſecrationem levationis mentionem facit. „ Orientales id præſtant paulo ante commu„ nionem. Porro elevatio poſt conſecrationem „ in Gallia poſt medium ſæculum undecimum „ videtur fieri cœpta, haud ſcio an paulo ſe„ rius in eccleſia Romana. „ P. Le-Brun refert ſtatuta variorum ordinum ſæculi duodecimi, & decimi tertii, quibus præſcribitur elevatio, & quandoque etiam ſonitus campanæ majoris aut minoris: qui itidem apud orientales, quantum licet ſub Turcarum tyrannide, adhiberi perhibetur. Primum autem HILDEBERTUM laudat, qui in ſua concordia antiqui & novi ſacrificii innuere videatur hanc elevationem: quod cujusmodi ſit, ex ipſis verſibus patebit in hæc canonis verba: *Qui pridie &c.*

Explic. lit. art. 8.

Panis in hoc verbo, ſed adhuc communis, ab ara
Sumitur, & ſumtum tollit utraque manu.
Presbyter hinc idem, cum pervenit ad benedixit,
Imprimit elato myſtica ſigna crucis,
Neu prius in menſam demittit, quam tua CHRISTE
Verba repræſentans explicet iſta ſuper.

§. XVIII.

Oratio dominica.

Oratio dominica apoſtolica inſtitutione dicitur in ſacris myſteriis licet non ſemper eodem loco, ac modo fuerit recitata.

Docuit

Docuit apostolos suos, inquit S. HIERONYMUS, *ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes* audeant *loqui*: Pater noster, qui es in cœlis &c. Quibus verbis simul respicere videtur ad præfatiunculam huic orationi præmitti solitam. Et S. CYPRIANUS in libro de oratione dicit, orationi dominicæ ob reverentiam præmitti præfationem. Communem hunc fere usum fuisse S. AUGUSTINUS testatur ad PAULINUM rescribens de illo apostoli: *Obsecro itaque primum omnium fieri obsecrationes &c.* „Ut „ precationes accipiamus dictas, quas faci- „ mus in celebratione sacramentorum, ante- „ quam illud, quod est in Domini mensa in- „ cipiat benedici: orationes cum benedicitur, „ & sanctificatur, & ad distribuendum com- „ minuitur, quam totam petitionem fere om- „ nis ecclesia oratione dominica concludit. „ S. CYRILLUS HIER. post commemorationem defunctorum illam ponit: *Postea dicimus illam orationem, quam salvator suis discipulis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes DEUM, atque dicentes:* Pater noster, qui es in cœlis &c. quod luculenter illic explicat. Et ante eum jam TERTULLIANUS in libro de oratione, cum post explicationem hujus orationis de eucharistia, ac sacrificio agat, prodit eodem in argumento, & occasione versari. Non tamen occurrit in liturgia constitutionum apostolicarum alias prolixa satis, & in omnibus accurata. Ex concilio Toletano IV. patet, quod saltem non in quotidianis missis ab aliquibus fuerit dicta: *Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui dominicam orationem, quam salvator noster docuit, & præce-*

L. III. contra Pelagium.

2. Tim. I.

Ep. 149.

Cat. 23. n. 7.

can. 9.

pit, non quotidie, sed tantum die dominica dicunt. Et in eodem concilio alius abusus damnatur: *Nonnulli sacerdotes post dictam orationem dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdicimus, sed post orationem dominicam, & conjunctionem panis ac calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis ac sanguinis Domini sacramentum sumatur.* Nescio, an hinc aliquid ad illustrandum S. GREGORIUM M. peti queat, qui orationem dominicam adjecisse canoni dicitur: nimirum ei loco quo nunc dicitur; non quod antea non fuerit dicta. Cujus rei rationem reddens, ipse nobis est luculentus testis, qua origine oratio dominica in liturgia dicatur: *Orationem dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Suspicatur Card. BONA, aut dictionem exceptivam *solummodo* irrepsisse in textum GREGORII, aut ad alias orationes restringendam esse, quæ consecrationem antecedunt, & subsequuntur. Certe ipse nobis GREGORIUS eadem in epistola testis est, orationem dominicam tam in Græca, quam Latina ecclesia fuisse recitatam, eo solum discrimine, *quod apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a sacerdote.* ANASTASIUS SYNAITA idem innuit. Et MABILLONIUS non solum ex LEONTIO in vita JOANNIS Eleemosynarii de Græca ecclesia, sed etiam ex GREGORIO Turonensi de Gallicana ecclesia idem observavit. Et ex ISIDORI Hispalensis institutione singulariter notat in liturgia Mozarabica, quod quidem sacerdos

can. 18.

L. IX. ep. 12.

L. II. c. 15.

Serm. de Synaxi.

De lit. Gall. L. I. c. 5. n. 21.

unamquamque petitionem per se ipse recitaret, populus autem ad singulas petitiones separatim responderet, *Amen.* Quod facit secundum ordinem Romanum sacerdos secreto, cum populus respondisset, *sed libera nos a malo*, licet subsequens oratio *libera nos quæsumus*, amplior quædam explicatio hujus postremæ petitionis dominicæ sit. Haud dubie quia apud evangelistam eadem vox *Amen* occurrit. In liturgiis SS. JACOBI, BASILII, CHRYSOSTOMI additur: *Quoniam tuum est regnum &c.*

§. XIX.

Fractio sacræ hostiæ exemplo CHRISTI Domini semper est facta in celebratione sacrificii, nec sine mysterio, pariter ac commixtio corporis, & sanguinis D.N. JESU CHRISTI. Fractio hostiæ.

CHRISTUS in mystica cœna accepit panem, benedixit, & fregit, deditque discipulis suis. Quem morem secuti apostoli eundem ecclesiæ tradiderunt: sicuti in actis leguntur convenisse cum fidelibus ad frangendum panem: ipsique fideles perseverasse narrantur in communicatione fractionis panis; non utique communis, sed de quo apostolus: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. X. „ Hunc igitur „ ritum (sunt verba Card. BONA) ex Domi- „ ni traditione accepimus, qui passionem „ suam mox futuram in fractione designavit, „ Ideo ecclesia, quæ hoc sacrificio incruento „ L. II. c. 15.

 „ eam-

„ eandem passionem quotidie repræsentat, corpus ejus sub specie panis immolatum quotidie frangit, quia, quæ fiunt in speciebus panis, in CHRISTI corpore dicuntur fieri, quod sub illis reipsa existere non dubitatur. „ Refert autem testimonia veterum ex omni antiquitate eam in rem. Atque in liturgia S. GERMANI provocatur ad exempla sanctorum patrum, quibus confractio, & commixtio corporis Domini tantis mysteriis declarata fuit, *ut dum sacerdos oblationem confrangeret*, ut habent verba, *videbatur quasi angelus DEI membra fulgentis pueri cultro concædere, & sanguinem ejus in calicem excipiendo colligere, ut veracius dicerent verbum, dicente Domino, carnem ejus esse cibum, & sanguinem esse potum.* Apud Græcos RENAUDOTIUS duplicem notat fractionem. „ Prima (ait) eo „ ipso tempore, quo pronunciantur hæc verba CHRISTI, *Fregit*, ad quæ adnotatur in rubricis, & GABRIELIS rituali, aliisque rituum expositoribus, sacerdotem frangere oblatam in tres partes, quas tamen ita invicem conjungit, ut fracta non appareat. Secunda vero, & proprie dicta fractio, quæ hoc loco perficitur, est illarum partium in multas particulas divisio ad distribuendam communionem. „ Post primam fractionem fiebat elevatio, quemadmodum etiam secundum liturgiam Mozarabicam: ubi primum in duas partes fiebat fractio, deinde unius partis in quinque, alterius in quatuor, ut novem sint, quæ his nominibus designantur, *corporatio*, *nativitas*, *circumcisio*, *apparitio*, *passio*, *mors*, *resurrectio*, *gloria*, *regnum*. Juxta ritum Romanum in tres par-

T. I. p. 259.

tes

tes fit divisio, ad imitationem fractionis, ut dicit AMALARIUS, quam CHRISTUS fecit cum discipulis in Emaus. JOANNES AVERCANUS, qui scripsit sæculo undecimo, hunc usum trium partium suo tempore factum exponit, quarum unam sacerdos calici immittat, alia se, diaconum, subdiaconumque communicet; tertiam viaticum, si opus fuerit, in patena usque ad finem missæ reservet. *Eclog. de offic. miss.*

Commixtio quotidiana corporis, & sanguinis Domini in sacrificio distinguenda est ab ea, quæ quotannis fit in parasceve Domini: ubi particula sacrati corporis immittitur vino non consecrato; aut quomodo in concursu communicantium parum vini consecrati miscebatur calici pleno non consecrato, credebaturque totum consecrari, ut observat MABILLONIUS, per particulæ aut guttarum immistionem, ut communicaretur populus, teste IVONE Carnot. in Micrologo, etiam in die parasceves, immissa calici particula præsanctificata die antecedenti. De altera mixtione sacri cruoris cum vino communiter olim usitata in missa pontificali ita habetur in ordine Romano: *Expleta confractione diaconus minor, levata de subdiacono patena, defert eam ad pontificem, ut communicet corpore dominico. Sed ipse pontifex confirmatur ab archidiacono in calice sancto, de quo parum refundit archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus: quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum.* *Com. in ord. Rom.* *c. 19.* *apud Hittorp p. 19. a.*

Explic. des prieres &c. P. V. a. 5.

Quoad commixtionem corporis cum sanguine Domini P. Le-Brun auctoritate liturgiarum tam Græcarum quam Latinarum, & conciliorum naturales, & mysticas indagat rationes. Prioris generis est consuetudo mittendi eucharistiam ad absentes, partim etiam, ut alibi ex S. IRENÆO, & aliis ostendimus, ad terras longinquas, veluti Roma in Asiam usque; partim ad varios titulos seu ecclesias, uti constat ex epistola INNOCENTII P. ad Decentium, atque ex antiquis catalogis pontificum seu pontificali, ubi de MELCHIADE habetur: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Idem de SIRICIO refertur. Putatque laudatus Le-Brun, ejusmodi particulas calici immissas esse in signum communionis, dicendo *Pax Domini &c.* fit autem in quotidiano sacrificio ad designandum mysterium unionis corporis cum sanguine in gloriosa resurrectione, ut AMALARIUS exposuit: *In isto officio*, inquit, *monstratur sanguinem fusum pro nostra anima, & carnem mortuam pro nostro corpore, redire ad propriam substantiam, atque spiritu vivificante vegetari hominem novum, ut ultra non moriatur, qui pro nobis mortuus fuit, & resurrexit.* D. De Moleon notavit in pluribus missalibus non adeo antiquis immediate ante fractionem hostiæ dictam esse orationem benedictionalem nuptialem.

L. III. de eccl. offic. c. 31.

Voyage liturg. p. 178.

§. XX.

Osculum pacis.

Constans est in sacrificio christiano ante vel post consecrationem osculi

ſculi ſancti juxta apoſtolum invicem ſalutatio in pacis, ac communionis ſignum.

Precibus finitis, inquit S. JUSTINUS M. *mutuis nos invicem oſculis ſalutamus. Deinde ei, qui fratribus praeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini &c.* Quam autem ſancte libari debuerit S. ATHENAGORAS dicit: „Summa cautione communicandum eſt oſculum, ut non aliter quam „pia ſalutatio, vel potius adoratio quædam „habeatur.„ S. CLEMENS ALEXANDRINUS idem auctoritate apoſtoli firmat, & abuſum contra intentum finem notat: *Dilectio*, inquit, *non in oſculo cenſetur, ſed in benevolentia. Illi autem nihil aliud oſculo quam eccleſias conturbant, cum ipſam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit ſuſpicionem, & maledicentiam, quod impudenter oſculo uterentur, quod eſſe oportebat myſticum. Id ſanctum vocavit apoſtolus.* Alludit ad calumnias infidelium de promiſcuo concubitu, & Thyeſteis epulis, hæreticorum quorundam laſcivias in chriſtianorum ſacros conventus excitatas, ubi erat ſacerrima oſculi delibatio, ut TERTULLIANUS, alias tam rigidus, & caſtimoniæ tenax, ægre ferret vel unquam omitti: „Alia „(inquit) jam conſuetudo invaluit, jejunan- „tes habita oratione cum fratribus ſubtra- „hunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum o- „rationis. Quando autem magis conferenda „cum fratribus pax eſt, niſi cum oratione „commendabilior aſcendit, ut ipſi de noſtra „operatione participent, quam auderent de „ſua pace tranſigere? Quæ oratio cum divor- „tio

S. Juſt. apol. II.

Legat. pro chriſtianis.

L. III. Paedag. c. II.

De orat. c. 14.

„ tio sancti osculi integra? Quem Domino „ officium facientem impedit pax? Quale sa„ crificium est, a quo sine pace receditur? „ At nihilominus subjungit: „ Die paschæ, „ quo communis, & quasi publica jejunii re„ ligio est, merito deponimus osculum, nihil „ curantes deosculando, quod cum omnibus „ faciamus. „ Diem paschæ passionis designat, non insueta antiquis notione. Adhuc AMALARIUS dicit osculum passim omitti in cœna Domini, parasceve, ac sabbato sancto, ne traditori JUDÆ communicare videamur. Inde vero patet, falli ALBASPINÆUM hunc usum eo repetentem, quod sacris epulis se non reficerent diebus jejunii christiani, cum sacris his diebus, uno certe cœnæ dominicæ, cónstans esset communio, & celebratio sacrificii etiam bis aliquando in die. Ex laudato TERTULLIANI loco constat, quam propria hæc tunc habita fuerit sacrificii actio; quæ in omnibus liturgiis communiter præscribitur, diacono ad hoc proclamante, ut sese amplectantur, & salutent in osculo sancto, uti ex antiquissima constitutionum apostolicarum liturgia, & S. CYRILLO HIER. ac aliis patet. Et concilium Laodicenum, quod ordinem sacrificii vel paucissimis describit, hoc articulatim exponit: *Et postquam presbyteri pacem episcopo dederint, tunc laicos etiam pacem dare: & sic sanctam oblationem perfici, & solis licere sacratis ad altare accedere, & communicare.* Hæc explicantur ex iis, quæ TIMOTHEUS Alexandr. ad interrogationem octavam respondet: „ In oblatione diaconus ante salutatio„ nem clamat: *Qui non communicatis abite:* „ Ubi nota (inquit MENARDUS) cum sa-

L. I. de offic. c. 41.

Cat. 23.

can. 19.

In sacr. S.

„ cris

cris arcentur catechumeni ante salutatio- „ nem, id est osculum pacis, facile con- „ cludi, ejusmodi salutationem apud Græcos „ fieri ante divinorum mysteriorum consecra- „ tionem; nam si ea peracta fieret, ut apud „ nos, possent expelli catechumeni ante sa- „ lutationem, qui tamen interfuissent conse- „ crationi contra ecclesiæ decreta. Vult ergo „ TIMOTHEUS expelli catechumenos „ ante salutationem, quia illa completa se „ quamprimum sacerdos ad mysteriorum san- „ ctificationem accingit, & præparat. Græ- „ corum ritum olim secuta est antiqua Hispa- „ niæ ecclesia, ut clarum est ex S. ISIDO- „ RO *L. I. de off. eccl. c.* 15. ubi quartam „ orationem, scribit, dicit pro osculo pacis, „ quam sequitur quinta, quæ ex illius textu est „ oblatio, & præfatio. „ Eodem loco in ecclesia Hierosolymitana datum esse osculum pacis antè gratiarum actionem seu *præfationem*, apertissime ex S. CYRILLO HIER. patet, ita de hac re loquente: *Clamat diaconus, complectimini, & osculamini invicem, atque tunc mutuo nos osculo salutamus.* Et S. CHRYSOSTOMUS enarratis orationibus, quæ dicuntur pro arreptitiis, pœnitentibus, & aliis, qui non communicant, subjungit: *Ad hæc cum pax danda, vicissimque accipienda est, omnes nos invicem osculamur.* Tandem addit, pontificem bene precari populo, & populum vicissim pontifici, cum ei respondet, & cum spiritu tuo, & pontifici gratias agenti assentiri populum respondentem, digne & juste fieri, & tunc demum pontificem gratiarum actionem auspicari. Frequenter S. CHRYSOSTOMUS imprimis in suis homiliis ad excitandos homines ad

Greg. not. 986.

Cat. 23. n. 3.

Hom. 18. in 2. ad Cor.

con-

concordiam, & mutuam charitatem in animum revocat hoc pacis, ac reconciliationis symbolum, atque alicubi mysterium dignationemque repetit ex ipsa eucharistiæ participatione: *Neque enim*, inquit, *vulgari quodam bonore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum accipit. Eaque præsertim de causa idem osculamur.* Et alibi: *Dominico osculo dignatus es, & contumelia afficis? DEUS os tuum ornavit tam multis hymnis angelicis, alimento non utique angelico, sed superangelico, sui osculo, & suis amplexibus, & contumelia afficis? Noli, quæso.* Adhuc locum referam, ubi idem piaculum detestatus, iterum tempus designat breviter: *Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in usu est, sed vereor, ne forte plures ex nobis labiis hoc tantummodo faciant, & ore.* Non tulit INNOCENTIUS P. in occidente pacem dare ante confecta mysteria: „Cum (inquit) post omnia, quæ aperire „non debeo, pax sit necessario indicenda, „per quam constet, populum ad omnia, quæ „in mysteriis aguntur, atque in ecclesia ce„lebrantur, præbuisse consensum, ac finita „esse, pacis concludenti signaculo demon„strantur.„ Eodem etiam respexisse videtur TERTULLIANUS loco citato, ubi vocat osculum pacis *signaculum orationis.* S. AUGUSTINUS in OPTATUM episcopum, & alios Donatistas, oppressores viduarum ita invehitur ex præsenti mysterio: *Cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti porrigebatis.* Tempus præcise designatur sermone, qui inter Augustinianeos habetur, CÆSARII Arelat. „Ubi peracta est

Hom. 30. in ep. 2. ad Cor.

Hom. 77. in Joan.

L. I. de compunct. c. 3.

Ep. ad Decent.

L. II. adv. litt. Petil. c. 23.

Hom. 83. de diversf.

est sanctificatio, dicimus orationem dominicam. Post ipsam dicitur, *Pax vobiscum*, „ & osculantur se christiani in osculo, quod „ est signum pacis, si quod ostendunt labia, „ fiat in conscientia. „ Et REMIGIUS Altisiodorensis in explicatione canonis missæ illud ipsum tempus determinat, ubi sacerdos mittendo partem hostiæ consecratæ in calicem populo pacem precatur. In ordine Romano sic præscribitur post eandem commixtionem: *Fiat commixtio &c. Interim archidiaconus pacem dat episcopo priori, qui & ultra dabit juxta se stanti, ac deinde per ordinem cæteri, atque populus osculantur se invicem in osculo CHRISTI.* Nec in ullo ordine Romano mentio instrumenti alicujus fit (ut P. LE-BRUN observat) ante sæculum decimum quintum.

Apud Hittorp. p. 18. b.

Explic. des Prieres P. V. a. 7.

§. XXI.

Consummatio sacrificii est communio corporis, & sanguinis Domini a sacerdote celebrante necessario facienda, aliis vero, juxta variam ecclesiæ disciplinam suadenda in ipsa missæ celebratione.

Communio.

Etsi passim theologi sacrificii essentiam in consecratione oblationeque constituant, ad integritatem tamen omnes requirunt communionem, ut, si subito casu morte, vel deliquio sacerdos celebrans corripiatur, alius ad complendum sacrificium, etiam non jejunus succedere debeat. Fuisse tamen, qui aliquando aliter sibi persuaserint, conjici potest ex concilio Rothomagensi, ubi prohibere opus fuit,

an. 1072. can. 3.

fuit, ne presbyter missam dicat, quin communicet. Et FULBERTUS de tali presbytero, qui celebrando non communicavit, consultus, respondit, si abstinuerit defectu fidei, aut quia sensit conscientiam gravatam peccato aliquo mortali, veluti ebrietatis, vel impuritatis, sacris functionibus esse privandum, donec se converterit, & egerit pœnitentiam; si fastidii causa ob nimiam frequentationem sacrificii missæ per annum, esse a communione suspendendum; si ex anxietate conscientiæ ob levem noxam leniter corripiendum; si demum ob debilitatem capitis, aut stomachi, ut abstineat a sacrificio talem obligandum, donec restituta fuerit sanitas.

Ep. 79.

Olim fideles etiam in sacrificio perseverantes ad communionem fuisse obstrictos alibi demonstravi, referturque a GRATIANO suppositiia decretalis ANACLETI, conformis tamen antiquæ disciplinæ: „ Peracta „ consecratione omnes communicent, qui no„ luerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic „ enim & apostoli statuerunt, & sancta Ro„ mana tenet ecclesia. „ S. CHRYSOSTOMUS graviter invehitur in gliscentem paulatim contrarium usum, etiam eorum, qui prætendebant indignitatem. *Non es dignus*, inquit inter alia, *sacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis præconem stantem, & dicentem:* Quicunque estis in pœnitentia, abite. *Omnes, qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis, qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia. Cur ergo dicit*, Abite, qui non potestis precari: *Tu autem stas impudenter? At non es ex his, qui possunt participare, & nihil curas?*

De consecrat. dist. 2. c. 8.

Hom. 3. in ep. ad Eph.

vas? Rem nihil esse putas? Considera, quæso. Non ergo indignos vult accedere, sed dignos redhiberi juxta solemnem acclamationem *Sancta sanctis. Nam,* idem ait, *quando dicit*, Sancta sanctis, *hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat: Non solum, inquit, a peccatis purus, sed etiam sanctus; sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum copia.* S. CYRILLUS HIEROS. eandem rem explicat, &, quid populus responderit, affert: „ Postea sacerdos „ dicit, *Sancta sanctis.* Sancta scilicet ea, „ quæ in ara proposita sunt, adventu Spiri- „ tus sancti sanctificata. Sancti & vos, quum „ sitis sancto Spiritu donati, atque ita sancta „ sanctis conveniunt. Vos deinde respondetis: „ *Vere unus est ille sanctus, qui est natura* „ *sanctus:* vos autem etsi sancti sitis, non „ tamen natura, sed participatione, exerci- „ citatione, & precatione. „ Addit, quod post hymnum *Unus sanctus, unus Dominus JESUS Christus* psalmus 31. cantetur, ad sacrorum mysteriorum communionem adhortans præcipue his verbis: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus:* Psalmus hic diversus erat ab iis, qui cani solebant postea, dum populus eucharistiam sumeret. Hic enim ad illud sumendum invitabat, reliqui autem ad piam meditationem excitandam spectabant, dum ipso actu sacramentum illud participarent. In liturgia Mozarabica jam in dominica oratione, dum ad singulas petitiones populus respondet *Amen* ad eam petitionem: *Panem nostrum quotidianum* respondetur *Quia DEUS es.* Et post orationem, *Liberati a malo*, dum particulam fractæ hostiæ, quæ

Hom. 17. in ep. ad Hebr.

Cat. 23. n. 17.

regnum vocatur, mittitur in calicem, dicit sacerdos, sed voce submissa: *Sancta sanctis, & commixtio corporis Domini nostri JESU Christi sit sumentibus, & potantibus nobis ad veniam, & defunctis fidelibus praestetur ad requiem.* Daturque benedictio populo. Deinde canitur responsorium dictum: *Ad accedentes*, in qua communicaturi monentur, ut serio quid sint percepturi attendant. Ac presbyter aliam particulam *gloria* dictam de patena sumens super calicem tenens secreto dicit: *Panem cœlestem de mensa Domini accipiam, & nomen Domini invocabo:* factaque communione dicit: *Refecti CHRISTI corpore, & sanguine te laudamus, Domine, alleluja, alleluja, alleluja.* Et sequitur *postcommunio.* In liturgia vero S. GERMANI praescribitur profundum silentium assistentibus, ut digne se ad communionem praeparent. In missali Romano praeter orationes privatas a sacerdote dicendas huc pertinet *Agnus DEI &c.* quod olim non a sacerdote, sed a psallentium choro dicebatur, quemadmodum & responsorium, quod dicitur *communio*, cum psalmo, aut juxta Micrologum antiphona ex psalmo, unde introitus est desumtus, interea dum communio populis fiebat intra ipsam missam post communionem sacerdotis. „ Est autem (inquit WALAFRIDUS STRABO) legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem, quae dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis est, qui communicant. „ AMALARIUS (qui & testatur orationem illam *Humiliate capita vestra* esse benedictionem pro non communicantibus) & Micrologus idem praescribunt, itemque recentiore aetate acta

c. 18.

De reb. eccl. c. 22.

De offic. L. II. c. 37.

eccl.

eccl. Mediolan. sub S. CAROLO BORROMÆO, & rituale Romanum PAULI V. p. 597.
ac URBANI VIII. In missa ab Illyrico edita ordo communionis præscribitur, ut presbyteri, & diaconi communionem accipiant ab episcopo, antequam populus communicetur. Et in concilio Toletano IV. præscribi- can. 17.
tur : *Ut sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus*, quemadmodum & in concilio Laodiceno est statutum. At in concilio Turo- can. 19.
nensi II. contrarius mos apud Gallos innuitur : *Ad orandum vero, & communicandum laicis, & fœminis sicut mos est, pateant Sancta sanctorum.* In variis ordinibus Romanis ab HITTORPIO & MABILLONIO editis pro conditione personarum varia communionis præscribitur ratio. RENAU- T. I. lit.
DOTIUS triplicem apud orientales commu- orient.
nionis modum distinguit: „ Primum sim- „ p. 283.
plicem, & magis ad morem antiquissimum „ sacrati panis, & calicis pro sacerdote celebrante, & assistente, & diacono ministerio „ fungente, item si episcopus adsit, nec liturgiam celebret, quia una tantum apud „ orientales celebratur liturgia. Secundus „ modus est, ut corpus CHRISTI præbeatur a sacerdote, sanguis a diacono, qui calicem tenet, atque ex eo guttam cochleari „ præbet, ut sacerdotibus, & aliis primi ordinis ecclesiasticis fieri GABRIEL statuit. „ Tertius tandem est communio intincta, ita „ scilicet, ut ex fractis majoribus partibus „ hostiæ plures particulæ in calicem immittantur, quas cochleari præbet diaconus : atque „ ea ratione secundi ordinis ecclesiasticis, & „ laicis communio distribuitur. Hanc vero „

 „ disci-

„ disciplinam non a Latina ecclesia, quæ similem nullam habet, sed a Græca acceperunt, ne quis ex rituum imitatione fidem „ quoque nostram imitatos esse illos somniet. „ Arguit inde ad usum calicis tantopere a Protestantibus expostulatum. „ Certum enim, „ (alibi ait) & exploratum est a multis sæculis nullam esse, aut fuisse in oriente ecclesiam, in qua calix laicis præberetur, ejusque usus longe diutius in occidente viguit, ut jam dudum a doctis theologis observatum est. „ Pertinet ad rationem sacrificii utriusque speciei consecratio, ac etiam participatio a sacerdotibus juxta apostolum: *Quotiescunque enim manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* At mox, ut jam alibi observavi, disjunctive loquitur de communione promiscua: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini &c.*

T. II. 611.

1. Cor. XI. 26.

§. XXII.

Benedictio & Ite missa est.

Solemni acclamatione diaconi finito sacrificio, si accepta benedictione dimittendus populus fuit, missio fit, quæ hodie post *Ite missa est* sequuntur, serius inductis.

Ut initio observavimus, a dimissione populi missa dicitur, quæ in omnibus liturgiis Græcis, & Latinis, licet non iisdem verbis, indicebatur, atque semper cautum fuit, ne prius, quam juberentur, abirent fideles. *Ingressus es*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *in ecclesiam o homo, ne exeas, nisi dimittaris.* S. CÆSARIUS: *Nullus ex vobis de*

Hom. de eccl. non contemn.

Hom. 80.

de ecclesia discedat, nisi cum divina ad integrum fuerint celebrata. Et sequenti homilia: *Qui de ecclesia non exspectatis missis cito discedere non metuit, nec rubescit, dupliciter se peccare non dubitet, dum divina mysteria deserit, & sacerdotem pro se sollicitum contristat, & despicit.* Illustre est S. JOANNIS Eleemos. facinus referente LEONTIO in ejus vita, qui cum cerneret plures post evangelii lectionem abeuntes, secutus est eos relicto altari, dicens, ubi oves sunt, etiam pastorem esse oportere. Ita leniter eos correxit, reduxitque. Atque is sensus est acclamationis *Ite missa est:* quæ clarior est in Græcis liturgiis veluti in antiquissima constitutionum apostolicarum: *Ite in pace:* & in S. BASILII liturgia, *Eamus in pace, procedamus in pace.* Quam etiam ἀπόλυσιν, dimissionem vocant Græci. Ritu Mozarabico sic præscribitur: *Dicat presbyter, vel diaconus:* Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri JESU CHRISTI votum nostrum sit acceptum cum pace; Resp. DEO gratias. *Ista oratio supradicta fit in medium altaris.* In ordinibus Romanis diaconus ad pontificem respicere jubetur: ut ei annuat, & dicit ad populum, *Ite missa est.* Alias autem dicitur, *Benedicamus Domino. Congrue*, inquit IVO Carnotensis seu Micrologus, *in festivis diebus*, Ite missa est, *dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari solet, qui per hujusmodi denunciationem licentiam discedendi accipere solet.* Sequitur quidem hodierno usu *benedictio*, sed ea antiqua non est. Cum olim benedictio facta fuerit post orationem *Libera nos*, antequam sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ut observat cardinalis BONA, quam scriptores sacrorum ri-

Hom. 81.

c. 13.

Ord. 1. *c.* 3.

c. 46.

L. II. c. 16.

tuum benedictionem episcopalem vocant, quia ad solum episcopum pertinebat. Quam in rem illic laudatus cardinalis plura documenta refert. Idemque hodie adhuc fieri in multis Galliæ ecclesiis ab episcopis passim notat D. de MOLEON in itinere suo liturgico: habenturque passim in sacramentariis & missalibus libris non adeo antiquis, etiam separatim pro singulis festis propriæ benedictiones præter ultimam presbyteris communem. Presbyter quidem ante communionem etiam impertiebatur benedictionem, sed unica eaque brevi oratione, qualem MARTENIUS in expositione brevi antiquæ liturgiæ Gallicanæ refert ejuscemodi: *Pax, fides, & charitas & communicatio corporis & sanguinis Domini sit semper vobiscum.* Benedictio autem episcopi tribus constabat orationibus.

T. V. anecd. p. 90. 96.

Laudatus cardinalis BONA causam vulgaris erroris detegit ex iis, qui medio ævo de ritibus ecclesiasticis scripserunt, quando benedictionis mentionem faciunt, veluti RHABANUS MAURUS: „ Post communionem ergo, & post ejusdem nominis canticum data benedictione a sacerdote ad plebem, diaconus prædicat missæ officium esse peractum, dans licentiam abeundi. „ Et WALAFRID. STRABO: *Statutum est Aurelianensi concilio, ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de missa. Quæ benedictio intelligitur illa ultima sacerdotis oratio.* Nempe oratio seu collecta, quæ dicitur ad complendum, ut explicat BONA. Qua de re quidquid sit, neque in sacramentariis veteribus, neque in ordinibus Romanis fit illius ultimæ benedictionis mentio. Et benedictionale S. GREGORII ad hanc

c. 20.

L. I. de institut. cler. c. 33.

certe non pertinet, nec GRIMALDI benedictiones a PAMELIO editæ, & illæ ADELELMI, de quibus LEBEUF, quæ variæ sunt benedictiones, loco liturgiæ assignato: quales etiam MABILLONIUS in liturgia Gallicana notat.

Lit. T. II. p. 388. *T. I. p.* 116. *L. I. c.* 5. *p.* 51.

Orationem *Placeat* P. LE-BRUN notavit in pluribus sacramentariis demum post sæculum nonum. Evangelium autem S. JOANNIS prius privata primum devotione, ac privatim, ut nunc in missis pontificalibus, a sacerdote dictum, donec tandem a PIO V. omnibus missali Romano utentibus præscriberetur, V. P. LE-BRUN *Explication litt. hist. & dogm. de prieres &c. P. VI. a.* 5. D. de MOLEON observavit Rothomagi adhuc an. 1576 nondum fuisse in fine missæ dictum evangelium S. JOANNIS.

It. p. 189. *Voyage lit. p.* 315. *f.*

§. XXIII.

Non fuit eadem semper ecclesiæ praxis circa frequentiam sacrificii missæ, semel quotidie aut sæpius a pluribus, aut uno etiam sacerdote solemni, aut privata missa celebranda.

De frequenti celebratione missæ.

S. CYPRIANUS sæpius meminit quotidiani sacrificii: *Ut*, inquit, *sacerdotes, qui sacrificia DEI quotidie celebramus, hostias DEO, & victimas præparemus.* Huc etiam interpretatur petitionem orationis dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in CHRISTO sumus, & eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo gravio-*

Ep. 57.

re delicto, dum abstenti, & non communicantes a cœlesti pane probibemur, a CHRISTI corpore separemur. Hæc quidem de quotidiana communione agunt; sed sacrificii celebrationem supponunt, extra quod nisi extrema morbi necessitate, aut privatim domi olim communioni locus ab ecclesia haud fuit. Ex illis, quæ disputavit laudatus sanctus martyr contra Aquarios, qui in eucharistia aquam solum offerebant, colligitur, consuevisse temporibus illis christianos sacrificium bis quotidie mane & vespere offerre: cum enim gentiles ex odore sensissent, illos jejunos vino usos esse, ideoque eos comprehendissent, & in custodiam dedissent, morem eum adoptarunt, ut aquam loco vini, ne proderentur, mane offerrent. Posset tamen etiam juxta morem complurium ecclesiæ sæculorum sumi de celebratione missæ mane vel vespere non eodem die, sed pro ratione temporum, alias mane; diebus autem jejuniorum serius, cum vel ad nonam vel vesperam solveretur, aut longius etiam in vigiliis protraheretur jejunium, & tunc demum sacrificium absolveretur. Huc pertinent
An. 529. distinctæ missæ juxta concilium Vasen-
can. 3. se, nempe matutinæ, quadragesimales, pro defunctorum commemoratione, & publicæ. Sed in oriente diebus jejunii saltem quadragesimalis oblatio non fiebat, nisi sabbato, & dominica, quibus non jejunabatur apud Græcos, qui sabbatum etiam, ut nos dominicam,
can. 49. celebrabant: *Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato, & solis dominicis*, ut statuitur in concilio Laodiceno. Hinc etiam ad eos duos dies in Quadragesima festa seu memorias martyrum transferebant,

ferebant, quemadmodum in eodem concilio ſtatuitur: *Quod non oportet in Quadrageſima natalitium martyrum celebrare, ſed in ſabbatis, & diebus dominicis eorum memoriam facere.* Non fit in hoc concilio mentio miſſæ præſanctificatorum, qualem ad hodiernum uſque diem per totam Quadrageſimam exceptis ſabbatis, dominicis, & feſto annunciationis celebrant, ut in concilio Trullano ſtatuitur; nos autem ſemel in paraſceve majoris hebdomadæ: dum conſecratio haud fit; ſed ſacerdos utitur præſanctificatis, id eſt, hoſtiis antea conſecratis: quo ſpectat liturgia apud RENAUDOTIUM ſub nomine S. MARCI. can. 51. can. 52. T. I. p. 79.

Alias vero etiam per annum, ut jam alibi oſtendi, non quotidie ubique ſacrificium, aut communio fiebat, diverſa tam in oriente, quam occidente praxi, fixo ſacrorum conventuum tempore, ac diebus vel ſingulis, vel pro ratione feſtorum, frequentia etiam populorum: quamobrem iisdem etiam diebus repetitum fuit ſacrificium in diverſis, aut eadem eccleſia. Illius generis exemplum habetur apud S. BASILIUM: qui completa liturgia in quadam remotiore eccleſia, ad alteram concedens ſermonem habuit, & ut videtur ipſe ſacrificium repetiit. Celebre eſt S. LEONIS decretum, quod jam indigitavimus ad DIOSCORUM Alexandrinum: *Ut autem in omnibus obſervantia noſtra concordet, illud quoque volumus cuſtodiri, ut cum ſolemnior quaque feſtivitas conventum populi numeroſioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit: quam recipere ſemel una baſilica non poſſit, ſacrificii oblatio ſimul indubitanter iteretur, ne his tantum admiſſis ad hanc* Ep 28. vet. edit. Ep. 11.

devotionem, qui primi advenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti. Necesse est autem ut quædam populi sua devotione privetur, si unius tantum missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut, quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis fide, & actionibus congruamus. Debuit ergo insolitus mos fuisse Romanæ ecclesiæ non modo per diversos titulos, & ecclesias, sed eadem etiam in ecclesia repeti sacrificium. An autem ab iisdem sacerdotibus, quæri posset: quandoquidem de solemni missæ celebratione agitur, ubi more antiquo omnes simul sacra operanti assistebant, & concelebrabant; & sic ubi quotidie sacrificium offerre in more positum fuit, etiamsi semel tantum ageretur, quotidie tamen omnes obtulisse recte dicebantur. *Nostri autem sacerdotes*, inquit SIRICIUS P. *DEO quotidie sacrificant, ut in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis DEO nostro placeamus.* Et INNOCENTIUS I. „Tenere ecclesia omnino debet, ut sacerdotes, „& Levitæ cum suis uxoribus non coeant, „quia mysterii quotidiani necessitatibus occupantur... Nam si priscis temporibus de „templo DEI sacerdotibus anno vicis suæ non „discedebant, sicut de ZACHARIA legimus; quanto magis sacerdotes ecclesiæ, vel „Levitæ, pudicitiam ex die ordinationis suæ „servare debent, quibus vel sacerdotium, vel „ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel „a baptismatis officio vacent.„ Quod intelligi

Ep. ad Himerium. c. 7.

Ep. ad Victricium Rothom.

ligi non poteſt ſecundum hodiernam praxin miſſarum privatarum; ſed ſaltem de quotidiana cum ſacrorum præſide in eodem ſacrificio communione & celebratione, ſacroque fidelium conventu: quomodo de ſe S. AMBROSIUS teſtatur, quotidie ſacrificium offerre. Et de parente GREGORIO NAZ. filius teſtatur, nec etiam ægrotum a frequentatione myſterii ceſſaſſe. Quam in rem jam alia occaſione attuli canonem concilii Toletani IV. *Ut ſacerdos, & Levita ante altare communicet &c.* Et quando ſæculo VII. in concilio Meridenſi ob penuriam ſacerdotum permiſſum eſt, diebus dominicis ſolummodo, a presbytero, cui plures commiſſæ fuerunt parochiæ, repeti ſacrificium, eadem eſt ratio, ſecundum id, quod a S. LEONE conſtitutum retuli, ut in eadem etiam eccleſia ob novum populi concurſum repetatur ſacrum. Quæ poteſt dici *miſſa revocata*, ut vocat FORTUNATUS citatus a MABILLONIO. Et GREGORIUS TUR. *Vade, vigila totam noctem in honore, ac revoca miſſas, & liberaberis a plaga.* Cum nimirum populus antea dimiſſus denuo ad miſſas revocatur. Cujus exemplum hodieque in die natalis Domini ordinarium eſt, ut jam in ſacramentario Gelaſiano habentur tres pro ea ſolemnitate miſſæ. Fueruntque aliquando etiam in feſto S. JOANNIS Baptiſtæ tres miſſæ celebratæ, ut apud AMALARIUM habetur, ejuſque rei veſtigia quædam D. de MOLEON in itinere ſuo liturgico deſignat. Ac olim in cœna Domini mane, & veſpere ſacrificium celebrabatur: quin imo plures notavit P. MARTENIUS, primam pro pœnitentibus, alteram pro ſacri chriſmatis confectione: ut tertia fuerit,

Orat. 19.

can. 18.

can. 19.

De vit. S. Germ. c. 60.

Lit. Gall. L. I. c. 6.

De glor. Mart. c. 51.

De offic. L. III. c. 38.

De ant. eccl. diſc. c. 22.

rit, quam nobis cum ordine Gelasiano exhibent antiqui codices annorum 900. Noviomensis B. MARIÆ Remensis, & S. REMIGII, & Gellonensis ad vesperam dicendam: quartam addunt pontificale Pictaviense annorum 800. & codex Siculus apud MORINUM de pœnitentia, & regius n. 1865. pro baptizandis, quibus forsan nonnullis in locis ultimum hac die scrutinium fiebat. Apud laudatum MARTENIUM de antiqua ecclesiæ disciplina in divinis officiis alia passim aliorum festorum occurrunt exempla, in quibus duæ aut tres missæ dicebantur. Et P. HERRGOTT in veteri disciplina monastica non semel etiam communem notat usum in monasteriis matutinæ missæ fere quotidianum, uti nunc in cathedralibus frequenter fit.

Accidit postea, ubi privatæ missæ ingruerunt, ut etiam sæpius in die ab uno sacerdote repeterentur. In legibus EDGARI cavetur, ne ultra tres missas in die celebret sacerdos. Nescio an huc pertineant tres a GREGORIO TUR. in tribus altaribus celebratæ missæ, quod ipsemet, ut vidimus, contra canones factum fatetur. WALAFRIDUS STRABO de S. LEONE III. refert, quod quandoque septem, aut usque novem missas legerit. Idemque refert, suo tempore variare praxin, aliis unam tantum, aliis duas, aliis tres, aut quantum devotio suggereret, dicentibus. De S. UDALRICO in ejus vita legitur apud MABILLONIUM, quod aliquando unam, alias duas, aut tres celebrarit. In concilio Londinensi prohibentur sacerdotes bis sacrum facere, nisi in necessitate: ubi cavetur, ne ablutio nisi post secundam missam sumatur, nisi diaconus, aut alius ad-

N. 35.

De rebus eccl. c. 21.

T. VII. act. p. 423.

an. 1200. can. 2.

sit

ſit miniſter, qui eam ſumat. Paulo poſt in concilio Lambetenſi idem prohibetur, niſi in diebus nativitatis, & reſurrectionis dominicæ; & quando corpus in propria eccleſia fuerit duntaxat tumulandum &c. niſi forte ſacerdos canonica neceſſitate ſit compulſus, quæ ſic declaratur & limitatur; *Si in feſtis IX. lectionum vel in Quadrageſima, vel in quatuor temporibus, vel ſponſalia fieri oporteat, vel ſubveniendo ſocio infirmo, vel pro eccleſiæ ſuæ negotio, vel propria neceſſitate manifeſte abſente &c.* Conſt. 3.

Alias carpuntur merito, qui vel quotidie ſemel rite non diſpoſiti celebrant. Tales perſtringit RATHERIUS Veronenſis in ſuo ſynodico, qui quotidie miſſas celebrant, licet in crapula, & incontinentia vivant. Idem PATRICIUM inceſſit, quod ſacrificium tam ſæpe frequentet, cum tamen in euchariſtia ſimplicem figuram ſtatuat, negata nimirum reali præſentia. In concilio Ticinenſi epiſcopi monentur, non ſolis dominicis, & principalioribus feſtis, ſed ſingulis, ſi fieri poſſit, diebus celebrare. Ex concilio Compoſtellano refert ſancitum MABILLONIUS, ut ſacerdotes omnes epiſcopi atque presbyteri miſſam quotidie celebrarent, additque: *Et quidem id maxime probandum, ſi modo ſacerdotum omnium mores tanti myſterii dignitati, ac ſanctitati reſponderent, abſitque ſordidus quæſtus, & lex conſuetudinis, quæ in trivialem uſum degenerat. Atque utinam ita comparati eſſent omnes ſacerdotes, qui quotidie ſacra celebrarent. Sed quam metuendum ne pauci.*

T. XII. ſpicil. p. 38.

an. 850. *can.* 2.

an. 1056.

Præfat. in ſæc. VI. O. S. B. §. 12.

§. XXIV.

§. XXIV.

Missaque privata, ejusque stipendio.

Missæ privatæ ut rite celebrentur sedulo curandum sacerdoti est, maxime ne solum lucri causa ob stipendium, quod legitimum consuetudine temporum, ac locorum est constitutum.

Missarum privatarum quoddam genus fuit in carceribus apud martyres, aut in domibus etiam privatis, raro exemplo, nonnunquam in antiqua ecclesia celebratis, non tamen sine legitimo clericorum ministerio, saltem diaconi. *Ita ut presbyteri quoque*, ut habet S. CYPRIANUS, *qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent.* Adhuc in RICULPHI statutis decernitur, ut parochi duos aut tres clericos habeant, quibuscum missas teneant, & ut respondeant. In variis postea conciliis, dum missæ privatæ ingruerunt, statutum, ut, si non clerici, saltem laici cum decenti habitu, ac superpelliceo ministrent. In WIGBODI memoriali ad presbyteros sub CAROLO M. statuitur, ne presbyter missam cantet solus, aut in locis non consecratis. Idem in statutis GUILBERTI episcopi Cabilonensis apud BALUZIUM cavetur. FULBERTUS Carnotensis existimavit, missam celebrandam haud esse, nisi duo saltem, vel tres essent præsentes. Saltem sine ministro recentiori praxi id non licet. Quam STRABO legitimam vocat missam, ubi est minister, ac sacerdos, offerens & communicans.

Ep. 5. c. 12.

c. 30.

T. II. capitul. pag. 1377.

Ep. 53.

De orig. & progr. rer. eccl. c. 22.

Quoad

Quoad locum autem nonnisi in ecclesia ab episcopo consecrata, vel benedicta, vel in oratorio, quamvis non benedicto, saltem ab episcopo ad sacrificii usum deputato, aut cum ipsius licentia, celebrare licet. Quoad rem ipsam omnia diligenter in missali ac rubricis præscripta observare, imprimis vero curare omni modo debet sacerdos, ne quam omittat notabilem partem, imprimis ad ipsum sacrificium pertinentem, oblationem e. g. aquæ cum vino mixtionem, elevationem, fractionem hostiæ, mixtionem, ne quid de consecratione, aut sumtione dicam. Quam si perficere nequeat, presbyter, ut jam notavi, alius succedere debet: *Ut cum a sacerdotibus*, ut habet concilium Toletanum VII. *missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cæptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exequi officii cæpti.* Et in concilio XI. desideratur: *Ut semper præsto sit, qui posset deficiente eo, qui cantat, aut offert sacrificium, idem complere munus.*

Can. 2.

Can. 14.

Quoad stipendium pecuniarium unicum in prima ecclesiæ antiquitate reperi apud EPIPHANIUM in conversione JOSEPHI Judæi exemplum, non a christiano, sed morituro Judæorum patriarcha episcopo datum ad offerendum sacrificium. Oblationesque ad altare fuerunt factæ olim pro mortuis panis tantum, & vini. Cui successit eleemosyna pecuniaria sæculo, ut putat MABILLONIUS octavo saltem in missis privatis, non tamen ubique passim ante sæculum duodecimum. In regula CHRODEGANGI *c.* 32. sic habetur: „ De eleemosynis accipiendis ita „ „ con-

Epiph. Pan. c. 30. *c.* 6.

Præf. in sæc. III. O. S. B. n. 62.

„ constituimus, ut si aliquis uni sacerdoti pro „ missa sua, vel pro confessione, aut infir- „ mitate, seu pro quolibet caro suo, aut vi- „ vente, aut mortuo aliquid in eleemosynam „ dare voluerit, hoc sacerdos a tribuente ac- „ cipiat, & exinde, quod voluerit faciat. „ In concilio Paris. cavetur: *Ne pro annalibus, vel triennalibus, vel septennalibus missarum faciendis laici vel alii dare aliquid, vel legare cogantur in testamento: & ne super his aliqua pactio, vel exactio, vel sub aliqua alia specie palliata, a sacerdotibus, vel aliis mediatoribus fiat; & ne superflua multitudine talium annalium se onerent sacerdotes, ad quae explenda honeste sufficere non possint, & propter quae ipsos oporteat habere conductitios sacerdotes, vel alia eis vendere facienda. Nec, ut a praedictis se exonerent, siccas missas faciant pro defunctis sub eadem districtione prohibemus, ne sacramenta ecclesiastica, vel sacramentalia ullo modo vendantur, sicut in concilio Lateranensi est institutum.* Est hic concilii Tridentini prae oculis habendum decretum, prohibentis cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones, quae a Simoniaca labe non longe absunt. Est hic attendenda locorum consuetudo, ac determinata taxa; nec licet sacerdoti accipere pinguem eleemosynam, & alteri sacerdoti pro minori committere sacrificium celebrandum. Et quae sunt alia passim a theologis explicata juxta bullas praesertim URBANI VIII. & ALEXANDRI VII.

an. 1212. *c.* 11.

Sessione XXII.

§. XXV.

§. XXV.

Clerici imprimis ſacerdotes pro officio ſuo aſſiſtere tenebantur ſacrificio, donec ipſi privatas miſſas celebrarent; laici vero pro varia diſciplina, & obligatione ſaltem feſtis diebus audiendi miſſam, ac participandi ſacrificio. De modo, & obligatione aſſiſtendi ſacrificio.

Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quilibet eccleſiæ deputatus clericus, ut ſtatuitur in concilio Toletano I. *ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo eccleſia eſt, aut caſtello, aut vico, aut villa, & ad eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, clericus non habeatur, ſi caſtigatus per ſatisfactionem ab epiſcopo noluerit promereri.* In concilio Agathenſi non minus ſevere decernitur: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit, ab epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſe contemſerint, aut eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita ut, cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.* Clerici primi gradus, qui in hoc canone memorantur, utique ſunt ſacerdotes, qui, ut ſæpius memini, publico ſimul aſſiſtebant ſacrificio (etiamſi ipſi juxta vices ſuas non ſacrificarent, ut ſucceſſu temporum uſuvenit, privatim) ita ut unicum offerent ſacrificium, & communicarent, ſimul perficerent liturgiam publicam cum epiſcopo, aut presbytero per vices ſacrificanti. Quod paulatim

Can. 5.

Can. 2.

paulatim fieri desiit, cum privatæ missæ ingruerent, ut tandem etiam, veluti nunc fit, sub missa principali publica, ac solemni missas legere concederetur. In statutis Cluniacensibus PETRI Venerabilis specialiter quoad festum nativitatis prohibentur missæ privatæ, ante finem solemnis in aurora celebrari solitæ. Alias vero jam antea in collectione usuum Cluniacensium ULRICI monachi illius congregationis, qui floruit sæculo undecimo, permittitur post evangelium missæ majoris, ac solemnis privatas agere; quamvis non communiter id fieret, uti apud alios ordines, præsertim mendicantes.

c. 72.

T. IV. spicil. Dacherii p. 31. c. 14.

Ad hodiernum diem alicubi vestigia veteris moris communionis sub missa solemni apud monachos habentur, aut propria electione, aut statutis, moribusque ordinum. Alicubi participant etiam sub utraque specie saltem clerici assistentes altari, ut in monasterio Cluniacensi, & S. DIONYSII prope Lutetias. Alii etiam communionem in missa solemni post decantatum officium a sacerdote celebrante sumunt, uti communiter fit in die cœnæ Domini a clero, quod olim a piis laicis, qui præsentes erant sacrificio, fiebat etiam quotidie. Qua de re matrem suam MONICAM collaudat S. AUGUSTINUS. Quamvis essent, qui etiam assistentes officio discederent habito sermone, aut tempore communionis: in quos S. CHRYSOSTOMUS invehitur.

L. IX. conf. c. 9.

Hom. de Epiph.

Quare opus fuit legibus, queis saltem diebus dominicis, & festis stringerentur fideles ad assistendum, ac participandum sacrificio, ut in concilio Agathensi statuitur: *Missas die dominico a sæcularibus teneri speciali ordinatione*

Can. 47.

natione præcipimus: ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Alias suis locis constitutiones conciliorum, & summorum pontificum attuli. Atque inde factum, ut missa pro die tali sumeretur, observante MABILLONIO, pluribus, in capitularibus regum Francorum, exemplis. Docetque id obtinuisse aliquando etiam diebus jejuniorum, videlicet Quadragesimæ, in triduo rogationum, singulis feriis secundis, quartis, & sextis, a festo S. MARTINI usque ad natale Domini. *De lit. Gall. L. I. c. 4.*

WALAFR. STRABO testatur, suo tempore fuisse, qui communicarent singulis missis, quibus assistebant, quos non damnat, sicut nec eos, qui, licet plures audirent missas, semel tamen solum communicabant. Tales si vel oblationem facerent ad altare, vel communicarent, celebrare dicebantur, etiamsi fœminæ essent ministerio altaris nunquam admotæ. *De orig. & progr. rer. eccl. c. 22.* Sic GREGORIUS Turonensis de muliere quadam: *Per annum*, ait, *integrum assidue orationi vacabat, celebrans quotidie missarum solemnia, & offerens oblationem pro anima viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem in die, in qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset.* *De glor. conf. c. 65.* Et S. GREGORIUS M. refert de muliere, singulis hebdomadis pro marito, qui captivus longe abductus fuerat, hostiam offerente, toties catenis suapte ab eo decidentibus. *L. II. in evang. hom. 37. n. 8.* „Cumque (sunt ejus verba) „diu teneretur in vinculis, eum uxor sua, „cum ex eadem captivitate non reciperet, ex- „tinctum putavit. Pro quo jam velut mortuo „hostias hebdomadibus singulis curabat offer- „re. Cujus toties vincula solvebantur in ca- „ptivitate,

„ ptivitate, quoties ab ejus conjuge oblatæ „ fuiſſent hoſtiæ pro animæ ejus abſolutione. „ Sic autem demum promiſcue ſuos auditores alloquitur tandem: „ Hinc ergo fratres cha- „ riſſimi, hinc certa conſideratione colligite, „ oblata a nobis hoſtia ſacra quantum in no- „ bis ſolvere valeat ligaturam cordis, ſi ob- „ lata ab altero potuit in altero ſolvere vin- „ cula corporis. „ Loquitur ad concionem populi, potiſſima parte ex laicis conſtantem, atque de oblatione facta a muliere pro conjuge per hoſtiam ſacrificii, ipſaque illius particeps ſimul cum ſacerdote libaſſe dicitur.

§. XXVI.

De Agapis.

Agapæ initio ad exemplum CHRISTI cum euchariſtia conjunctæ, anniverſario ſaltem cœnæ Domini die, alias poſt ſacrificii celebrationem juxta veterum traditionem primis eccleſiæ ſæculis ſunt habitæ.

Per agapas convivia intelligimus fraterna eccleſiaſtici conventus ſecundum nominis etymon, & primævum uſum, de quo apoſtolus, ubi, qui in eas jam tum irrepſerant, abuſus exprobrat: *Convenientibus vobis in unum*, inquit, *jam non eſt dominicam cœnam manducare, unusquisque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut eccleſiam DEI contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Cœna noſtra*, inquit TERTULLIANUS, *de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim*

1. Cor. XI. 20.

Apol. c. 39.

Ἀγάπη

Αγάπη id quod est penes Græcos dilectio. Quantiscunque sumtibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumtum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Hæc quidem satis cum apostoli verbis conveniunt, sed nihil inde conjicitur, ante eucharistiam fuisse celebratas; cum ad apostolicam traditionem semper fuerit relatum, ut ante omnem cibum primum corpus Domini in os christiani intraret, uno anniversario cœnæ dominicæ die excepto, uti ex S. AUGUSTINO refert ESTIUS: cujus est memorabilis eam in rem sententia a nobis hic non omittenda. „Quamquam enim opinetur AUGUSTINUS „ Corinthios per abusum mensis suis sacra mi- „ scuisse, tamen ut certo anni tempore post „ alios cibos eucharistia sumeretur a fidelibus „ eum morem ad rationabilia majorum refert „ instituta. Quod autem hoc ordine res fa- „ cta fuerit in cœtibus primitivorum fidelium, „ imprimis ea ratio suadet, quod, uti di- „ ctum est, illa cœna, quam PAULUS vo- „ cat dominicam, repræsentatio fuerit cœ- „ næ Domini cum apostolis, & inde nomen „ acceperit; unde consentaneum est, ut insi- „ gnior esset commemoratio (quomodo loqui- „ tur ibidem AUGUSTINUS) celebratam „ fuisse eodem ordine, quo CHRISTUS suam „ cum discipulis cœnam celebravit. Quem „ profecto constat prius cœnasse cum disci- „ pulis, ac deinde corporis, ac sanguinis sui „ sacramentum eis tradidisse. Præterea dicit „ apostolus, aliquos præsumere cœnam, aliis „ non exspectatis. Quod utique non fieret, „ si (quod Græci volunt) omnes jam ante con- „ gregati eucharistiam accepissent. Ex quo „ satis intelligitur, convivium illud haberi so- „

In I. *Cor*, *XI.* 20.

„ litum in principio velut primum actum il-
„ lius conventus fidelium, de quo hic agi-
„ tur. Idem plane ex iis apparet, quæ mox
„ ſubjiciuntur de indigna ſumtione corporis,
„ ac ſanguinis Domini: deque probatione an-
„ te ſumtionem neceſſaria. Nam hæc locum
„ non haberent, ſi convivium, & quæ in eo
„ peccata erant, facta fuiſſent poſt ſumtam
„ euchariſtiam. Neque enim judicatur quis
„ indigne ſumſiſſe propter peccata poſtea com-
„ miſſa. Denique hanc ſententiam confirmat
„ ea conſuetudo, quæ uſque ad AUGUSTI-
„ NI tempora in multis eccleſiis obſervata
„ fuit, ut in anniverſario die cœnæ Domini
„ myſteria a non jejunis ſumerentur, videlicet
„ ad imitationem, & commemorationem ejus,
„ quod in illa cœna factum fuerat. „ Citat
Can. 29. eam in rem concilium Carthaginenſe III. *Ut ſacramenta altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur.* Ubi tamen mox convivia in eccleſia celebrari vetantur,
Can. 28. quemadmodum & in concilio Laodiceno, &
Can. 29. poſtea in Trullano expreſſe vetitum eſt etiam in cœna Domini a non jejunis ſacrificium celebrare. Citat & PELAGIUM, PRIMASIUM, SEDULIUM, & alios, ut communiorem hunc uſum probet, alii autem veteres paſſim conjungunt quidem convivia hæc ſacro conventui; ſed ſynaxi poſtponunt, imprimis S. CHRYSOSTOMUS in hunc locum: *Statis autem*, inquit,
Hom. 27. in 1. Cor. *diebus menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi, poſt ſacramentorum communionem omnes commune inibant convivium divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis,*

&

& omnibus communiter vescentibus. Et alibi: *Fideles enim omnes in conventibus suis cum audissent doctrinas post preces, post sacramentorum communionem soluta concione non mox domum concedebant, sed divites, & abundantiores alimenta, & edulia a domibus suis afferentes pauperes vocabant, communesque faciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsa ecclesia.* Atque ita a communione mensæ, & pietate loci undequaque ad charitatem accendebantur. Nec ullus veterum præsertim Græcorum Patrum contrarium tenuit. Poteſtque dici, ipsum apoſtolum hoc in Corinthiis vituperare, quod essent, qui cœnam suam præsumerent ad manducandum, nimirum ante euchariſtiam. Et fortasse eundem abusum perſtringit, acriter sane, JUDAS in sua epiſtola: *Hi sunt in epulis, ἀγάπαις, suis maculæ, convivantes sine timore semetipsos pascentes nubes sine aqua &c.* Sunt, qui etiam 2. *Petr. II.* 13. loco ἀπάταις, ἀγάπαις legant, uti revera vulgatus vertit: ubi non minus vehementer inceſſuntur: *Percipientes mercedem injuſtitiæ voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis suis, in conviviis suis luxuriantes vobiscum.*

Hom. 22. in illud: Oportet esse hæreses.

Jud. 12.

Semper deinceps usum ab abusu secrevit ecclesia, quamdiu ἀγάπαι ejusmodi duraruunt, præsertim ab euchariſtia remotæ, cum qua initio etiam nomen commune habuerunt, ut ex S. IGNATIO discimus: *Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare.* Cujus rei S. CLEMENS ALEXAND. rationem reddit præcipuam: „In cœlis eſt hoc cœleſte convivium: terrenum „

ad Smyrn. n. 8.

L. II. Pædag.

„ autem, cœna dictum est: & fit quidem propter charitatem cœna: sed cœna non est „ charitas, verum signum benevolentiæ ad „ communicandum, largiendumque propen„ sæ. „ Idem tamen ibidem abusum vehementer damnavit: „ Escæ enim ventri, ex „ quibus hæc carnalis, & exitialis vita pen„ det, quam audent nonnulli agapen voca„ re, effrenata lingua utentes, nempe quæ„ dam prandioli nitorem, & jus redolentia: „ sacram agapen, pulchrum, ac salutare o„ pus olim verbis nescio quibus, & liquido „ jure dedecorantes. „ TERTULLIANUS in psychicis seu catholicis agapas amare exagitat. Eustatiani in concilio Gangrensi damnantur, quod contemnant, agapas ex fide facientes.

De jejunio. c.16.

C. 11.

CAPUT III.

De sacro apparatu ad celebrationem sacrificii.

§. XXVII.

Præparatio interior, exteriorque ad sacrificiū.

Nonnisi interius, exteriusque quoad animam, & corpus rite dispositus, ac præparatus ad tremendum hoc sacrificium appropinquare præsumat sacerdos.

Qualis esse debeat sacerdos sacrificaturus, ipsa, quam sustinet ad altare, non sua, sed CHRISTI persona demonstrat:

Ergò prius sacrifex quotiens hæc sacra recenset,

Ut

Ut se conformet CHRISTO carnis cruce pen∫et,
Cum vitiis crucifixa caro prius emoriatur,
Vivificata DEO mens ∫urgat, eumque ∫equatur,
Sic bene cum moritur, con∫urgit, ei quoque vivit,
Sicque redemtus abit homo, quo ∫uus auctor abivit.

Ut librum de ∫acramento euchari∫tiæ concludit HILDEBERTUS. Pertinent huc, quæ de præparatione ad euchari∫tiam diximus ∫uo loco, eo magis, quo divinius e∫t ∫acerdotis munus ∫acris operam dantis, proprio ore con∫ecrantis, ac manibus contrectantis, offerenti∫que cœle∫tem victimam. *Quale delictum e∫t*, inquit apud S. CYPRIANUM FIRMILIANUS, *ut non ablutis per ecclesiæ lavacrum ∫ordibus, nec peccatis expo∫itis, u∫urpata temere communione contingant corpus, & ∫anguinem Domini.* Quod maxime ∫acerdotes, ∫acri altaris mini∫tros, ∫pectat; unde nec ∫acro ordini admoveri potuerunt olim etiam publica pœnitentia perfuncti, quicunque gravi aliquo ∫celere contaminati; nec iterum redire ad altare ∫emel eccle∫ia∫ticæ pœnitentiæ addicti clerici potuerunt. Recentiore autem di∫ciplina ∫altem cavetur ∫acris canonibus, ut pura con∫cientia accedant, & ∫i quo crimine contaminarint ∫e∫e, pœnitentiæ ∫acramento, & ab∫olutione ∫acerdotali DEO ∫e reconciliatos, mundo∫que præ∫tent, ut inter alia concilia Tridentinum præ∫cribit, tenetque cum occidentali etiam eccle∫iæ orientalis con∫uetudo, apud varias illius ∫chi∫maticæ eccle∫iæ ∫ectas. Apud ∫olos Coptitas per annos ferme ducentos duodecimo,

Ep. 75. *Seß. XIII. c. 7.*

& decimo tertio sæculo confessio peccatorum non solum omittebatur, sed etiam per nefariorum patriarcharum audaciam sublata est. At, ut observat RENAUDOTIUS, more antiquo restituto confessio tantopere commendari cœpit, ut quotidiana prope fieret, omnesque pietatis studiosi eam assidue frequentarent, nec auderent, licet lethalium peccatorum immunes, ad communionem nisi prævia confessione accedere.

Hoc faciendum est sacerdotibus, ut sæpius exomologesin etiam quotidianorum peccatorum faciant, quo mundiores semper reddantur, ac crescat devotio semper exercitiis pietatis accendenda, præsertim ingruente sacrificio per sacras preces, & alia pia opera. Præscribitur in missali Romano, ut matutinum, & laudes præmittantur celebrationi missæ. Quæ semper saltem in officio publico unacum aliis horis pensi canonici congrua ad sacrificium præparatio fuit habita; præter alias preces tam publicas, quam privatas Romano etiam præscriptas more, quem totus observat occidens; cum in oriente etiam apud sectas schismaticas tam publica, quam privata præparatio major sit, quam apud nos. „Cum
Lit. or. T. II. p. 49. „ enim (inquit RENAUDOTIUS) secun-
„ dum orientalium disciplinam, quæ apud eos
„ perpetua traditione commendatur, sacerdo-
„ tes non quotidie liturgiam celebrent: uni-
„ ca semel in die singulis in ecclesiis celebre-
„ tur, neque sacerdos sacris operetur absque
„ diacono, thure, & cantu, quo fit, ut no-
„ stris missis multo sit prolixior, illum, qui
„ liturgiam celebraturus est, plura observare
„ oportet, quæ tum canonibus, tum rituali-
„ bus præscribuntur. Sacerdos Syrus eam no-

„ ctem,

ctem, quæ liturgiam præcedit, vigilando in „ ecclesia, aut in secretario ducit insomnem „ orationibus, & sacræ lectioni vacans, ne per „ somnium ludibrio aliquo contaminetur. Si u- „ xorem habet, abstinere ab illa debet per dies „ aliquot: jejunasse etiam vespera præcedente, „ aut saltem vino, & omni liquore, quo ca- „ put tentari potest, abstinuisse. Similem con- „ suetudinem pernoctandi, antequam liturgia „ celebretur, vigere apud Nestorianos Meso- „ potamenos testati sunt, qui Bagdado sæpe „ huc venerunt sacerdotes. „ Hucusque RENAUDOTIUS, qui idem alibi de aliis sectis schismaticis Græcis, præsertim Coptitis, testatur. *T. I. p. 176.* Quæ nobis orthodoxis sacerdotibus ruborem incutere deberent, quotidiano missæ sacrificio tepentes, & vix naturalis cum corporis castimonia jejunii servantes abstinentiam, cum canone 19. conc. Altisiodorensis etiam diaconus vel subdiaconus prohibeatur post acceptum cibum vel poculum missas tractare, aut in ecclesia, dum missæ dicebantur, stare. Et a S. WALAFRIDO germani duo laici increpantur, qui ad eum in festo S. MARTINI advenerant, quod ante missarum solemnia bibere præsumsissent. *Vit. Walarici. c. 15.* Quid jam dicam de spiritu devotionis, ac sanctitatis decore, munditieque, cujus minus saltem, quam tantum sacrificium flagitat, solliciti sunt non raro sacerdotes.

§. XXVIII.

Singularis ornatus sacrarum vestium in sacrificio missæ maxime decet, ac cum primum licuit adhibitus est ab ecclesia, adhibeturque religiose. Quoad vestes.

Quæ de veſtibus clericorum diximus de ſacramento ordinis, hic ſunt recolenda, quæ non potuerunt non eſſe primis perſecutionum temporibus communes, non ſolum cum reliquis chriſtianis, ſed etiam cum paganis quoad uſum communem, ac etiam ſacrum. Nec poſtea ſtatim aliquid fixum, & ſingulare certa aliqua lege eſt conſtitutum, niſi quod ſub primis ſtatim chriſtianis imperatoribus, eorumque etiam indulgentia ornatus, & ſplendoris ratio ſit habita.

L. II. hiſt. Ex EUSEBIO diſcimus, CONSTANTINUM imperatorem MACARIO epiſcopo Hieroſolymitano veſtem auro textam dediſſe ad ſacrum uſum. Idem EUSEBIUS in ſermone habito, dum frequenti epiſcoporum conventu eccleſia Hieroſolymitana dedicabatur, eos ſuſpicit ornatos ac indutos ſacrum *L. X. c.4.* podera τὸν ἅγιον ποδήρη. Et veſtitus ſacro miniſterio deputatus, religioſum habitum, & ſingularem prodit. Jam in concilio Laodice*can. 22.* no diſtinctio vel inter ipſos clericos eſt decreta: *Quod non oportet miniſtrum ferre orarium, neque fores relinquere.* S. HIERONYMUS vel ex ipſis ſacerdotalibus veſtibus veteris teſtamenti id ſaltem concludit: *Non* *L. XIII. in c. 44. Ezech.* *quotidianis, & quibuslibet pro uſu vitæ communis pollutis veſtibus nos ingredi debere in ſancta ſanctorum, ſed munda conſcientia, & mundis veſtibus tenere Domini ſacramenta.* Subditque mox aliquid in hanc rem, ceu uſitatum, & in more poſitum ſuo ævo: *Porro religio divina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in uſu vitaque communi.* Ipſe nobis teſtis eſt, & deprædicat in epitaphio NEPOTIANI, eum tunicam, qua in ſacrificio uſus fuerat, ſibi teſtamento

reli-

reliquisse. Et alibi: *Quæ sunt rogo*, ait, *inimicitiæ contra DEUM, si episcopus, presbyter, & diaconus, & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint.* In concilio Carthaginensi IV. statuitur: *Ut diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis alba utatur.* Nescio an S. HIERONYMUS similiter albam communem ordinis ecclesiastici in sacrificio ornatum intelligat, veluti hodieque usitatum est, an vero colorem ordinarium vestium designet? Diversitas enim colorum, ut hodie habetur, recentioris est ætatis, nec hodieque ubique locorum idem, uti vel ex D. de MOLEON *itinere liturgico* variis in locis discere licet, & in MARTENII itinere lit. *P.II. p.* 74. ISIDORUS unum eundemque colorem designat, sed purpura intertextum: *Tunica*, inquit, *sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* FORTUNATUS S. GERMANUM Parisiens. unacum toto clero cum vestibus albis sistit: *Sed & bi bene vestibus albent.* In liturgia S. GERMANI color candidus præscribitur in administratione baptismi, & solemnitate paschali. Describitur etiam pallium, seu rationale, quod collum circumdet,& super pectus descendat: albæ diaconorum candidæ in signum puritatis interioris, super quam stola sit. Episcoporum, & presbyterorum habitus casula dicitur, & manipulus, qui albas cingebant, secus ac diaconi. Erat alba semper in ecclesia usitatissima vestis tam pro sacris, quam etiam communi habitu, imprimis diaconorum. Ex qua decurtata putat FLEURIUS, rochetum, quod vocari solet, venire. Amictus rarius in antiquis ecclesiasticis monumentis fit mentio.

L. I. contr. Pelagian.

can. 41.

L. XIX. orig. c. 22.

L. II. c. 10.

Hist. eccl. L. 50.

L. I. ep. 136. tio. Amiculi meminit S. ISIDORUS Pelusiota, sed alterius generis : „ Id autem (inquit) amiculum, quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino, contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. Et cum per adorandorum evangeliorum apertionem accedit, tum demum episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit : hinc nimirum Dominum ipsum pastoralis artis ducem, ac DEUM, & herum adesse significant. „ Sic ille mysticam rationem designat, quam solent pallio archiepiscopali nunc tribuere, quod satis convenit cum isto amiculo, temporeque S. ISIDORI communis fuit ornatus sacerdotum, a quo distinguit linteum diaconorum : *Linteum illud*, ait, *cum quo diaconi in sanctis mysteriis munus suum obeunt, humilitatem Domini, qui discipulorum pedes lavit, & extersit, nobis in memoriam redigit.* Linteum hoc stola est, olim orarium dictum. De quo etiam S. HIERONYMUS: *Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores linteolum non habere.* Hic erat naturalis, & communis usus, in ecclesia etiam inter sacra necessarius, sed splendidiore ornatu, religioso usu, & mystico etiam significatu, uti hodie est etiam manipulus, sudarium olim, atque mappula dictus: „ Quæ sæpe fluentem oculorum pituitam tergat, & oculorum lipitudinem removeat, „ ut ait IVO sermone de significatione indumentorum sacerdotalium. ROBERTUS PAULULUS etiam fanonem vocat: „ Ad extremum (inquit) sacerdos fanonem in sinistro brachio ponit, quem & manipulum, & suda-

Ibid.

In c. 3. Mich.

De cæremoniis &c.

„ rium

rium appellaverunt, per quem olim ſu- „ dor, & narium ſordes extergebantur. „ Jam ergo non amplius uſum illum præſtabat, niſi myſtice deſignando: *Quo ſudorem mentis detergendo*, ait INNOCENTIUS III. *& ſoporem cordis excutiat*, *ut depulſo tædio*, *vel torpore*, *bonis operibus diligenter invigilet*. Caſula ſimiliter promiſcuus olim erat veſtitus, totum obtegens corpus, uti & antiquæ ſacræ caſulæ fuerunt, nunc ad commodiorem uſum conciſæ. Quemadmodum & cappa ſeu pluviale ad tuendum adverſus pluvias, & frigora comparatum, in eo diſtinctum tantum olim a caſula in ſacro uſu, quod anterius apertum ſit, antiquam formam hodieque retinens, præterquam quod capitis operculum non habeat, unde cappa dicitur, nec habet locum in ſacrificio miſſæ, referturque apud GRATIANUM de conſecr. decretalis, qua ſub pœna excommunicationis prohibetur celebrare tecto capite. D. de MOLEON in ſuo itinere liturgico uſum quemdam tam caſulæ, quam cappæ antiquæ formæ tum alibi cum nominatim Rothomagi memorat in miſſa, & aliis divini officii partibus. Idem etiam alibi MARTENIUS in itinere liturgico obſervat. GOARIUS euchologii Græcorum eandem caſulæ apud Græcos formam notat.

L. I. c. 59.

Diſt. I. c. 57.

p. 378.

P. II. p. 149. 157.

p. 114.

Sacras veſtes ſacrificantium indicat LEO IV., dum miſſam celebrare prohibet *ſine amictu*, *ſine alba*, *ſtola*, *fanone*, *& caſula*. RICULPHUS in ſuis ſtatutis eadem ornamenta ſacri miniſterii recenſet unacum corporali, & cingulo, illud ad continendum ſacra ſymbola, hoc ad præcingendas veſtes aptum, & ſemper uſitatum ab omni retro antiquitate tam in occidente, quam oriente: ubi

T. VIII. conc. p. 34.

T. IX. conc. p. 416. c. 7.

ubi inter Mahumedanos ad discrimen geri fuit præceptum, atque adhibitum in sacris etiam apud illos eadem, ac apud nos mystica significatione, ut notat RENAUDOTIUS, qui ex ABUSEBAH in tractatu de scientia ecclesiastica *c.* 61. has sacras vestes affert: „ Vestimenta sacerdotalia sunt septem juxta „ numerum ordinum ecclesiæ. 1*mo.* Vestis „ longa sive tunica. 2*do.* Epomis seu ami- „ culum instar AARONIS sacerdotis, quem „ DEUS in tabernaculo legali, super hume- „ rali amictum esse jussit. 3*tio.* Zona, qua „ sacerdos medius præcingitur. 4*to.* & 5*to.* „ Manicæ, quibus sacerdotis manus ad susci- „ pienda sacra mysteria muniuntur. 6*to.* Ἐπι- „ τραχήλων sive stola, quam ex collo suo „ sacerdos appendit. 7*mo.* Camisia sive alba, „ quæ, si fuerit episcopus, limbo ad summum „ pretioso prætexetur, secus eo carebit. Induet „ autem sacerdos vestes antequam ad altare „ accedat: si fuerit episcopus, eo tantum „ tempore induetur, quo oblationem inferet, „ ante absolutionem, ut ita aliquod discrimen „ intercedat ratione dignitatis, inter episco- „ pos, & sacerdotes. „ De his, aliisque etiam GOARIUS, qui sacras vestes accurate descripsit, videri potest, ac JO. MORINUS secunda parte operis de sacris ordinationibus præter laudatum RENAUDOTIUM, qui dicit, earum vestium sacras significationes explicare passim auctores, additque: „ Omnes „ autem illæ vestes, quantum ferre potest ec- „ clesiarum facultas, pretiosæ fuerunt olim „ & sunt etiamnum. Servantur magna cura, „ neque extra ecclesiam, aut secretarium trans- „ ferri debent, juxta antiquos, & sæpe re- „ novatos, qui apostolis, antiquisque patri-

Lit. orient. T. I. p. 178. &c.

Ib. p. 180.

bus tribuuntur. Benedictione episcopali con- „
secrantur, ut omnia, quæ ad sacrum mini- „
sterium pertinent. Si ab hæreticis, hoc est, „
a diversæ communionis hominibus usurpa- „
tæ fuerint sacerdotales vestes, eas profanas „
existimant, & expiant certis orationibus, „
vel flammis absumunt. „ MABILLONIUS præsens Romæ liturgiæ Maronitarum ita describit in suo Musæo Italico sacrum vestitum a nostro diversum: sacerdos sacra celibraturus duplici manipulo utitur, uno in dextera, altero in sinistra. Amictum super albam gerit, stolam ante pectus pendulam, non decussatam. Diaconus stolam gerit ex utraque sinistri humeri parte, nempe ante & retro pendentem. Et de missa solemni in collegio Græcorum, cui Romæ interfuit celebratæ ab archiepiscopo ejusdem nationis *p.* 83. agens: *Is*, inquit, *pro alba linea vestem ex panno pretioso habebat, planetam antiquo ritu. Nullus sacerdoti manipulus, neque etiam diacono, aut subdiacono: qui ambo stolam ex humero sinistro utrimque pendentem gestant, sed ita, ut anteriorem partem manu dextra excipiant.* Vid. D. de MOLEON Voyage lit. p. 449. 450.

T. I. p. 81.

§. XXIX.

In sacris vasis ad sacrificium quidem semper non tam pretium, quam sacer usus fuit spectatus; utrumque tamen etiam ad decorem, & ornatum pie, ac religiose observatum.

Et vasa sacra.

Ex martyrio S. LAURENTII, a PRUDENTIO descripto, patet, famam apud ethnicos

ethnicos fuisse de pretiosis ad sacros conventus vasis apud christianos :

Hym. 2. de coronis.

Hunc esse vestris orgiis
Moremque, artemque proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Nihil quidem tale protulit sanctus martyr, quin post trium dierum inducias veros thesauros, ac sacra Spiritus S. vasa pauperes ostentavit virgines, & viduas :

Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem CHRISTUM putes :
Gemmas corusci luminis
Ornatur hoc templum quibus.

L. I. cont. Parmen.

Gesta purgat. Cæciliani ad calcem Optati.

Nihilominus constat etiam illis temporibus fuisse pretiosa ex auro, & argento vasa. Erant ex auro, & argento quamplurima ecclesiæ ornamenta, ut narrat OPTATUS MILEV. de MENSURIO sub persecutione Diocletiana episcopo Carthaginensi, cum ad causam dicendam Romam avocaretur, hæreretque, quid de vasis illis ageret. Senioribus ecclesiæ ea concredere tandem decernens, recensione eorum prius perscripta. In qua quæ fuerint complexa, ex alia recensione, circa idem illud tempus persecutoribus a PAULO episcopo Cirthensium exhibita, colligere licet : *Erant autem calices aurei duo : calices sex argentei : urceola sex argentea : circumcellum argenteum : lucernæ argenteæ septem : cereofala duo &c.* Quæ omnia ad cultum ecclesiæ & altaris spectabant. Scribitque S. GREGO-

RIUS

RIUS Tur. tempore infestationis Diocletianæ vasa sacra argentea in cryptis, in quibus christiani delitescentes sacra peragebant, effossa esse innumera. *De glor. MM. c. 38.* Ecclesiæ pace reddita mirum in modum accrescebat apparatus iste munificentia imperatorum, largitate fidelium, ac cura, pietateque præsulum, ut dignitati mysteriorum consulerent. De CONSTANTINO tum laudatus S. OPTATUS MILEV. *L. II. cont. Parmen.* ac passim in ejus vita EUSEBIUS, quantum splendori, & ornatui contulerit, testes sunt. Idemque de subsequentibus imperatoribus constat, ut JULIANUM APOST. cupido ea diripiendi incesserit, atque FELIX thesaurarius, eorum magnificentia in ecclesia Antiochena in stuporem abreptus, teste THEODORETO exclamavit: *Vide quibus vasibus libatur Filio MARIÆ!* *L. III. hist. c. 8.* Constat equidem, & alibi a me multa sunt exempla allata, urgentibus necessitatibus piissimos quosque præsules tuto conflasse hujusmodi thesauros, & expendisse pretium; quod in S. EXUPERIO Tolosatium episcopo deprædicat S. HIERONYMUS: *Ep. ad Rusticum.* *Nihil illo ditius, qui CHRISTI corpus in canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro.* Idque BARONIUS, *ad ann. 216.* & alii fatentur, non fuisse infrequens. Memorabile vero est, quod in concilio Triburiensi, *Can. 18.* quo ipso canone de sacris altaris vasis agitur, refertur: *Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ, de quibus BONIFACIUS martyr, & episcopus interrogatus, si liceret ligneis vasculis sacramenta conficere? Respondit: Quondam sacerdotes aurei vasculis ligneis utebantur, nunc econtra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.* ZEPHY-

RINUS papa vitreis calicibus missas celebrari constituit. Deinde URBANUS primus omnia sacri ministerii vasa fecit argentea, ligneorumque vasorum usum ab altaribus eliminavit. Refertur hoc in pontificali DAMASI. Assertius est, quod in synodo *An. 787. can. 10.* Calcuthensi statuitur: *Ne de cornu calix, aut patina fieret ad sacrificandum, quod de sanguine sunt.* Hodie ab omnibus requiritur calix, & patena saltem quoad cuppam ad minus stanneus: nec admittuntur lignea, lapidea, ferrea, ærea, vel vitrea. Necessarium est etiam corporale, quo olim calix tegebatur, ut hodieque in ecclesia Lugdunensi, & apud Carthusianos fieri notat D. de MOLEON in itinere liturgico *p.* 186. purificatorium, & palla linea, benedicta nisi in necessitate. Calix vero imprimis consecratus esse debet juxta cap. *Calix de consecr.*

Opusc.26. Omninoque curandum, ut vasa omnia nitida sint, & munda. S. PETRUS DAMIANI graviter in sacerdotes invehitur, quod calices de stanno, aut alio viliori metallo conficiant, & alia ornamenta sacra similiter negligant. „Illud etiam (inquit) quantæ confusionis opprobrium est, quod nonnulli sacri altaris utensilia tantæ negligentiæ, & tam segnis incuriæ, ut stanneos, vel etiam paris cujuscunque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant: in squalido linteo dominicum corpus offerant, & involvant: & quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere salvatoris. Quid porro de conscissis, ac putrescentibus sacrorum altarium prandeis, quid de diversis va-

„sis

ſis ad eccleſiaſtica miniſteria neceſſariis, quid „ denique de ſacerdotalibus eloquar indumen- „ tis? Quid poſtremo de codicibus dicam, in „ quibus nimirum hæc ipſa quoque legere in- „ offenſe non poſſumus, quæ tenaci adhuc „ memoria reſervamus. „

§. XXX.

Sacrificium cum ſit divinus cultus, altare quidem ſuum ubique, dum neceſſe eſt, habere potuit in eccleſia DEI, ubi juge offeratur ſacrificium; requiruntur tamen ad hoc ſingulariter conſecrata ex lapide olim unum, deinceps plura in eccleſiis, ad unam, aut plures miſſas conſtituta cum congruo ornatu. Et altare.

Omnes itaque, inquit S. IGNATIUS, *velut in unum templum DEI concurrite, vel ut ad unum altare, velut ad unum JESUM Chriſtum.* Nomenque θυσιαςήριον paſſim in ejus epiſtolis occurrit, ſicut & apud reliquos primorum ſæculorum doctores, ubi multo maxime fuit, quantum per temporum injurias licuit, hoc ſacrificium frequentatum. *Et ideo*, inquit S. IRENÆUS, *nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter ſine intermiſſione.* ORIGENES terret nos Judæorum exemplo, ſi hoc negligamus juxta dominicam inſtitutionem, & præceptum ſacerdotale munus. *Mandata quidem*, inquit, *certa ſunt, & evidentia, ut obſervare debeamus cuſtodias tabernaculi, & altaris, & ſacerdotii.* TERTULLIANUS paſſim idem incul-

Ep. ad Magneſ. n. 7.

L. IV. c. 34.

Hom. X. in Num.

cat, estque, ut jam indicavimus, tritum in primæva ætate & nomen, & officium commune, ut etiam in carceribus, & ubicunque locus, ac occasio erat primis illis temporibus, hoc primum ac necessarium religionis munus perficeretur. *Ita*, inquit S. CYPRIANUS, *ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alterent: quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.* Loquitur de sacrificio apud martyres in carceribus frequentato, ne nimirum in illis angustiis huic deesse viderentur religionis officio palmari, saltem quoad compleri potuit eo rerum articulo, iisque ecclesiæ pressæ temporibus, ubi locus quilibet aptus fuit in campo, in deserto, in navibus, in hospitiis, in carceribus, ut ex S. DIONYSIO ALEXAND. EUSEBIUS refert, de solemnitate paschali agente. S. CHRYSOSTOMUS nobis testis est, quam nihil horruerint christiani solemnia quævis etiam in carceribus apud martyres agere: „ Multi (inquit) contemta præsenti vita frequenter eos visitando, psalmodias, sacraque pervigilia celebrabant. Erant familiaritates illæ spiritualis eruditionis, atque consolationis plenæ; & clausa ecclesia, carcer ecclesia factus est. „

Ep. 5.

L. VII. c. 22.

Hom. in Juvent. T. II. p. 581.

Aliter deinceps pro dignitate sacrificii caveri debuit, quando pace ecclesiæ reddita publica patuerunt templa, ac religionis exercitium. In concilio Carthaginensi anni 401. ad evitandas superstitiones vetitum est, ne erigerentur altaria in campis, aut viis, ceu memoriæ martyrum, nisi certum sit corpus aliquod, aut reliquias martyrum adesse: quod aut illic habitarit, aut locum illum possederit martyr,

Can. 14. 15.

martyr, aut ibi passus sit. Pariter in domibus privatis pro reverentia sacrificii prohibitum deinceps fuit celebrare, nisi singularibus de caussis, & occasionibus, ut de S. AMBROSIO, THEODORETO, & aliis jam, de eucharistia agens, retuli, ita tamen, ut celebritas, ministeriumque solemne non deesset, quantum haberi potuit. Et si quando defuit altare, extraordinarii casus fuerunt: veluti de S. LUCIANO memini, qui supra pectus in carcere celebrasse dicitur, & THEODORETUS manu diaconi se usum loco altaris, cum singularis sanctitatis anachoreta, privatus longo tempore multorum annorum sacrificio, vel semel ejus particeps esse cuperet. Sed hæc sunt eorum temporum, quibus hæc singula articulatim non fuerunt ordinata, ut est factum postea, quando jam consecrare non licet nisi supra altare lapideum, & quidem per episcopum, aut ex commissione papæ per sacerdotem consecratum, saltem portatile, ornatum, ac tectum mappa linea triplici, aut una duplicata.

Hist. relig. p. 853.

Olim licet in ipsis templis unicum altare fuerit, & sacrificium eodem die convenientibus clero simul & populo non passim repetitum, a S. LEONE tamen, ut mox dicemus, ut, quoties ecclesia repleta esset, repeteretur sacrificium, fuit indultum, & ex S. GREGORIO M. discimus, suo tempore cum tredecim altaribus esse dedicatam ecclesiam. Illud etiam singulare antiquæ disciplinæ est commemorandum ex concilio Altisiodorensi: *Non licet super uno altario in uno die duas missas dicere: nec altario, ubi episcopus missas dixerit, ut presbyter in illa die missas dicat.* Quibus verbis, ut observavit

Ep. 11. *ad Dioscorū.*

L. VI. ep. 49.

Can. 10.

De lit. Gall. L. I. c. 6. MABILLONIUS, prærogativa quædam episcopo præ cæteris presbyteris tribuitur, ut scilicet in illo altari, in quo missam celebrasset episcopus, presbytero non liceret ipsa die sacrificium offerre. Ergo id presbyteris licebat aliis post alios, alioquin additio de episcopis frustranea esset. At uni eidemque presbytero, imo nec episcopo fas erat in uno eodem altari plures missas dicere. Unde cum GREGORIUS Turonensis antistes maledicentiæ in FREDEGUNDEM ab æmulis fuisset accusatus apud Brennacum villam pagi Suessionensis, *restitit ad hoc causa, ut dictis missis in tribus altaribus, se de his verbis exueret sacramento, & licet canonibus essent contraria, pro causa tamen regis impleta sunt*, ut ipse narrat. *L. V. c. 49.*

In altari porro requiritur crux cum imagine CHRISTI: Lux gemina, cujus tantam statuunt theologi necessitatem, ut potius a celebratione foret abstinendum, quam penitus absque lumine uno saltem celebrare.

§. XXXI.

De lingua qua celebrandum.

Ut avita, ac primigenia, etiamsi vulgo ignota, in liturgia conservaretur lingua, consultum omnino fuit pro dignitate, ac reverentia sacrificii.

Hic mirum in modum paratragœdiantur Protestantes, ac si, nescio quibus de causis, ac dolo malo in sacra liturgia lingua Latina retineatur, cum id suapte acciderit, & ad reverentiam tanti sacrificii faciat statis precibus ac uniformibus, ubique ecclesiarum illud peragere. Ex quibus si non verba omnes intelligunt,

gunt rudes, myſteria tamen edocentur, & ſacro verbi divini pabulo ſua nutritur quæque natio lingua. Quod ſolum loco illo, quem ex apoſtolo nobis objiciunt, habetur. *Sed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam: quam decem millia verborum in lingua.* Quod ſolerter faciunt paſtores tam privatim, quam publice quoad ea omnia, quæ & generaliter ad incruentum pertinent ſacrificium, & ſpecialiter ad ritus miſſæ, myſteriaque paſſionis dominicæ, ſacrificiique crucis, quod hic recolitur, ac repræſentatur; ut aſſiſtendo miſſæ meditentur fideles, devote, ac reverenter habeatur ſacrificium, nec profanationi paſſim ſacrata exponantur verba. Quapropter in concilio Tridentino definitum eſt: *Si quis dixerit, lingua tantum vulgari miſſam celebrari debere, anathema ſit.* Non ſtudioſe ea lingua electa eſt, quæ non intelligatur; ſed vetus apud omnes gentes olim uſitata, & etiamnum ubique cognita, & pervagata retinetur, qua late per orbem patet eccleſia, mutuaque conſervatur fidelium catholicæ eccleſiæ communio hac conformitate linguæ, tum in aliis rebus eccleſiaſticis, atque officiis divinis, tum maxime hac ſacratiſſima communionis dominicæ parte, ut ubique una voce unanimiter omnes DEUM adorent, & ſacrificio propitium reddant. Quod nemini fidelium clam eſt, tametſi non omnibus omnia pervia ſint ſecundum litteram, modo in ſpiritu cuncti conſpirent, & cum ſacerdote animo intus conjungantur in iis, quæ exterius voce proferuntur, eo religioſius cuſtodiendis, quo ſunt ſacratiora. Non quod ſtudioſe celentur fidelibus, quæ digniſſima ſunt, ut ſciant; ſed quod ſpiritualiter e-

1. Corint. XIV. 19.

Seſſ. 22. can. 9.

doctos esse rudes, sufficiat, ubi id obtineri non potest, ut omnes linguam discant sacram, nec consultum, ut omnium linguarum vicissitudinibus sacra committatur liturgia. *Etsi missa*, inquit concilium Tridentinum, *magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur.*

Sess. 22. can. 8.

Eadem est in toto oriente ratio, inter quos quidem Syri Syriace, Græci Græce, Coptitæ Coptice, Armeni Armenice, Æthiopes Æthiopice sacra faciunt, ut inter alios USSERIUS objecit; sed facile revictus fuit a RENAUDOTIO, ut in ipsum telum recideret, quod, etsi nulla harum linguarum apud illas nationes vulgaris sit, tamen in liturgiis retineantur. „Ex illis igitur (concludit tandem) „manifestum est, USSERIUM, reliquosque Protestantes, qui de sacris vernaculis „longos, & laboriosos commentarios ediderunt, nihil egisse, cum ne una quidem ecclesia toto oriente assignari possit, quæ vulgari, & quam plebs vernaculam habeat, lingua ad liturgiam celebrandam utatur. Accusant Romanam, quod Latinam solam admittat; accusari eodem jure possunt orientales omnes, qui obsoletis quoque, & quas „eruditi soli sciant, linguis, sacra faciunt. „Dolo malo, ut fidelibus mysteria non pateant, id apud nos fieri calumniantur Protestantes; ac certe doli nullius suspicio olim „esse potuit, cum Romæ, tota Italia, Africa, „multisque aliis in provinciis Latine omnes „plerumque loquerentur. Cum post Barbarorum incursus Latina lingua primum inquinata, tandem penitus extincta est, non idcirco visum est orationes sacras, quæ quoti-


Dissert. de lit. orient. c. 6.

„die

die ad altaria recitabantur, vernaculis com- „ mutare: plebis institutioni provisum est „ per homilias, & catecheses in vulgarem „ stilum conversas: antiqua consuetudo serva- „ ta est. Pari modo Coptitæ, Syri orthodo- „ xi, Nestoriani & Jacobitæ, Græci, Æthiopes, „ linguam longo usu consecratam, quamvis a „ vulgari alia, abolitam retinuerunt. „ Hæc collusioni, plerisque illis hæresi, aut schismate a nobis diremtis, tribuere nequeunt; quodsi vero hæc omnia nihili vertant Barbararum gentium, aut Neoticarum exempla, unum antiquius sanctissimi viri SABÆ, cujus vitam ZACHARIAS episcopus Mitilenensium suppar scripsit, exemplum ex sæculo quinto vergente suppetit, de Armenis ad institutum monasticum confluentibus. Quos a parvo oratorio transtulit, ut psalmodiæ regulam dialecto Armeniorum in ecclesia exequerentur, mandavitque iis evangelium, & reliquam officii seriem in synaxibus Armenica lingua inter se recitare, tempore autem divinæ oblationis cum iis, qui Græca lingua utebantur, convenire. D. de MOLEON in *It. lit. p.* 439. ex ore presbyteri Syri refert, orientales celebrare hodie officia divina, & missam Arabica vulgari lingua, canonem autem Græca.

T. III. mon. Gr. Cotelerii p. 264.





SECTIO II.

DE CULTU SANCTORUM, IMAGINUM, & RELIQUIARUM.

CAPUT I.

De intercessione, & cultu Sanctorum.

§. XXXII.

Intercessio Sanctorum.

Sanctorum in cœlis pro nobis apud DEUM oratio, ac intercessio semper est agnita, ac magni habita, nec a Protestantibus penitus rejecta.

Ex scriptura veteris, ac novi testamenti a nostris passim hoc est demonstratum, atque ad hodiernum usque diem retinent hoc dogma, ipso in suo Judaismo detecto ANDREA EISENMENGERO, qui ineunte hoc sæculo labore ingente Judæorum doctrinam indagavit, fatente, eos se recipere ad merita sanctorum defunctorum, quos pro vivis supplices ad DEUM preces deferre putent, ac propterea eosdem religiose venerentur; christianos vero tanta semper hujus rei tenuit persuasio ac fiducia, ut mutuo sibi polliciti sint hanc opem adhuc in terris. *Memores no-*

stri,

ſtri, ſcribit S. CYPRIANUS M. ad S. CORNELIUM P. *invicem ſimus, concordes atque unanimes utrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras, & anguſtias mutua charitate relevemus: & ſi quis iſthinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.* ED. MARTENIUS de antiquis monachorum ritibus laudat piam ejuscemodi, & antiquam monachorum ſub S. WINWALOCO viventium conſuetudinem: „ Ut expletis omnibus uniuscujusque ſynaxeos horis DEUM orent, ut unus ex iis, quem vellet ipſe DEUS, ab iſta miſera vita eximeretur, qui unus pro omnibus fratribus eſſet apud DEUM interpellator in cœlis; „ ut habet GURDESTINUS in S. WINWALOCI vita. Haud abſimile eſt, quod apud laudatum S. CYPRIANUM de S. CELERINO habetur: cujus ſoror cum in perſecutione lapſa eſſet, comperiſſetque is amicorum quemdam LUCIANUM nomine, qui CHRISTUM confeſſus cum aliis adhuc in carcere duraret, acceſſit eum ſupplex, ut, qui prior ſive ipſe, ſive alius confeſſorum coronam martyrii accepiſſet, a DEO veniam lapſus ſororis impetraret. Et ipſe S. CYPRIANUS ad virgines DEO devotas de habitu virginum, *ſpiritualiter*, inquit, *pergite, pervenite feliciter, tantum mementote tunc noſtri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.* Alia occaſione locum ORIGENIS ex homilia X. in Numeros retuli, ubi poſtquam aperte orationem martyrum pro nobis ſtatuiſſet, veretur, ne, ceſſantibus martyrum

Ep. 6. 7.

L. II. c. 2.

Ep. 21.

hoſtiis

hostiis pro peccatis, veniam, ac remissionem consequamur. In actis S THEODOTI M. apud BOLLANDUM ipse martyr flentes, qui eum ad locum supplicii sequebantur christiani, solatur, ad glorificandum CHRISTUM JESUM hortatus, qui ipsi victoriam dedisset: *Deinceps enim*, inquit, *in cælis cum fiducia pro vobis DEUM deprecabor.* Et S. AUGUSTINUS de S. FRUCTUOSO & sociis: „ Audistis (inquit) persequentium interrogationes, audistis confitentium responsiones, cum sanctorum passio legeretur. Inter cætera quale erat illud beati FRUCTUOSI episcopi? Cum ei diceret quidam, & peteret, ut eum in mente haberet, & oraret pro illo, respondit: Me orare necesse est pro ecclesia catholica ab oriente usque ad occidentem diffusa. Quis enim orat pro singulis? Sed neminem singulorum præterit, qui orat pro universis. Ab eo nullum membrum præteritur, cujus oratio pro toto corpore funditur. „ Hic sanctus ille est martyr, per cujus tormenta PRUDENTIUS spem concepit, fore, ut in die illo judicii misericordiam a CHRISTO impetret. Nihil hic de illis dicam sanctis martyribus, qui morti proximi DEUM rogarunt, omnibus ut annueret, quod eorum nomine fuerit petitum, uti habetur in actis S. BAUDOLI, S. CAPITOLINÆ, S. BLASII, quæ dubia, aut spuria sunt. Fidelium potius vota, & fiduciam referamus; imprimis illud, quo apud BARONIUM celebrium Scillitanorum concluduntur acta: *Consummati sunt CHRISTI martyres mense Julio, & intercedunt pro nobis ad Dominum nostrum JESUM Christum, cui honor,*

Ad diem 18. Maji. p. 163. b.

Serm. 273.

De coron. hym. 6.

ap. Boll. 20 Maji. p. 196. 3. Febr. Ms. cit. a Tilmont. T. V. p. 649. ad a. 202.

nor, & gloria cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

Atque ut alios etiam, quam martyres, recenseamus, celeberrima est S. JACOBI episcopi Nisibensis memoria, cui scriptores omnes antiqui iteratam liberationem urbis illius ab obsidione terna sub SAPORE in acceptis ferunt: in quo, cum adhuc viveret, & post mortem singulare præsidium semper urbis positum fuit, ut contra morem Romanorum CONSTANTINUS in urbe eum sepeliendum filiis committeret teste GENNADIO, atque post mortem etiam SAPOR ipse, teste AMMONIO, studiose evitaret urbis illius obsidionem. S. GREGORIUS NISSÆN. S. THEODORO M. Amaseno tribuit immunitatem provinciæ illius ab incursione Scytharum imminentium anno superiore, quo in ejus laudem homiliam habuit, variaque fieri testatur miracula illius intercessione in expulsione dæmonum, curatione morborum &c. S. GREGORIUS NAZ. ut iterum ad confessores redeam, non ita diu post mortem ipsius optima quæque ab eo exspectat: *Vita*, inquit, *defunctus, nunc res nostras, ut persuasum habeo, cœlitus inspicit, ac virtutis causa laborantibus manum porrigit, eoque magis, quod corporis vinculis liberatus est.* Et de S. BASILIO: *At nunc ille quidem in cœlis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens; neque enim ita nos reliquit, ut prorsus reliquerit.* Sed infinitus essem, si alia apud sanctos patres passim occurrentia in hanc rem, tot in honorem sanctorum homiliis habitis, & sermonibus, prosequerer. Tantum digitum intendam ad homilias S. CHRYSOSTOMI

De script. eccl. c. 1.

L. 20.

Hom. de Theod. M.

Orat. 24.

Orat. 20.

MI de LAZARO, cujus & historia vel parabola ad hoc etiam demonstranda est; sed, ut ibi sanctus doctor exponit, nisi nos obices sanctorum orationibus ponamus, virtutis neglecto studio. Digitum etiam tantum intendo in epistolam 310. libri II. S. NILI, ubi multiplex auxilium a sanctis in omni genere malorum obtinendum recenset. Prostantque innumera omnis antiquitatis monumenta, quin & scripturæ etiam veteris testamenti exempla, ad quale EUSEBIUS post ORIGENEM in libro de oratione provocat ex libris Machabæorum, de JEREMIA, postquam etiam PLATONIS non dubitavit testimonium afferre: *Defunctorum animos, posteaquam ex corpore migraverint, rerum humanarum curam vi quadam propria suscipere.*

Hom. 3. & 4.

L. XII. præparat.

Quin etiam Protestantes quidam saltem in genere pro ecclesia in cœlis orare, uti in publica apologia confessionis Augustanæ, aperte largiuntur. Hoc etiam sæculo fuerunt, ut refert G. WALCHIUS, qui faterentur, beatos in cœlis curam suorum necessariorum habere, atque pro relictis post se orare etiam specialiter. Quam quæstionem nuperrime CHRIST. GERBER agitavit; nec obscure id sibi videri existimat. Additque, se ideo etiam ad finem vitæ suæ aspirare, ut experiatur, an, ut mente conceperit, res se habeat. Quod si secus sit, scire se tamen, cœlestem Patrem hanc suam fidem noxæ haud deputaturum. At nos, minime incerti, non ambigimus, quod in sermone de S. LAURENTIO dicit S. LEO: *Cujus oratione, & patrocinio adjuvari nos sine cessatione confidimus.* Et experti grati cum SYNESIO agnoscimus: *Quos angelicis coronasti, o rex, fulgoribus,* *tuos*

Luth. streit T. III. p. 164.

Id. T. V. p. 1191.

Serm. 83.

Hym. 3.

tuos sacros ministros, hi meas beati adjuverunt preces: hi meos multos adjuverunt labores.

§. XXXIII.

Frustra invocatio Sanctorum negatur admissa intercessione: quasi via, ac ratio non suppetat, etsi nobis occulta, qua ad Sanctos nostra perferantur vota, aut divinæ gloriæ derogetur, si ad DEUM ipsum per Sanctos preces deferamus. Invocatio.

Illi etiam ex Protestantibus, qui intercessionem, ac supplicationem nostri causa apud DEUM admittunt, tergiversantur post Henricianos, & alios sæculi XII. hæreticos (a Vener. HILDEBERTO, PETRO Cluniacensi, S. BERNARDO, & aliis mox rejectos, circa invocationem, qua vota, ac necessitates nostras coram Sanctis deponimus) quasi inde aliquid derogetur divinæ majestati, quando humilis servus proximum quemdam, & amicum meritis, & intercessione apud Dominum valentem implorat, ut interveniat, & preces ad divinum deferat tribunal. Aut quasi nulla ratio suppetat, qua Sancti suspiria, & supplicationes nostras intelligant: cum nec modus naturalis cognoscendi animæ in altera vita, multo minus divina potentia, aut status beatorum in cœlis hic aliquid, quod momentum ferat, in contrarium patiatur. Qua de re inter ipsos Protestantes fuerunt, qui de statu beatorum in altera vita minime alienam existimarunt hanc cognitionem. *Vid. Walchii* Luth. Streit. *T.*

Facile

V. c. 5. §. 120. 121.

Facile autem de actu ad potentiam, ubi nulla involvitur implicantia, concluditur, si revera adfuisse sanctos piis fidelium votis cognoscantur; uti dudum S. AUGUSTINUS ante motas istas controversias agnovit. *Hinc*, inquit, *solvitur illa quæstio, quomodo martyres ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui, quid agant vivi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorum apparuisse FELICEM, cujus inquilinatum pie diligis, cum a barbaris Nola oppugnaretur, audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis.* Illustre est apud GREGORIUM NISS. exemplum de milite quadraginta martyrum auxilium implorante: „ Ægrotabat autem (ut rem narrat) altero pede, & claudicabat, eratque affectio diuturna, & immedicabilis. Porro postquam diu martyrio, & in loco requietionis sanctorum fuit, precesque ad DEUM fudit, sanctorum quoque intercessionem imploravit: & ecce noctu apparet ei vir veneranda specie, & post alia, quæ dixit, Claudicas, ait, o miles, & curatione eges? Sed da ut tangam pedem & apprehensum in somnis pedem fortiter attraxit, & cum nocturna visio hoc faceret, vigilantibus talis excitatus est sonitus, qualis existere solet osse ex naturali sua sede revulso, deinde violenter restituto, ut & illi, qui una dormiebant, & ipse etiam miles confestim somno solveretur, sanusque more aliorum incederet. Hoc miraculum ego ipse vidi, cum ipso milite versatus, qui ubique, & apud omnes hoc beneficium a martyribus acceptum divulgabat, & prædicabat. „

De cura pro mortuis. c. 16.

Orat. in SS. 40. MM.

S. BA-

S. BASILIUS de iisdem sanctis martyribus adhuc amplius testatur: *Qui aliqua angustia premitur, ad quadraginta martyres confugit; qui lætatur, recurrit ad eosdem; ille quidem, ut a malis liberetur; hic vero, ut res sibi secundæ esse pergant.* Ita semper fecerunt pii fideles, nihil anxii, quomodo vota sua ad sanctos perferrentur, quorum potentem agnoscebant, experiebanturque apud DEUM intercessionem. S. JULIO, cum ad martyrium duceretur, miles quidam HESYCHIUS occurrens, *Memor esto mei*, ait, *nam & ego subsequor te, plurimum etiam saluto PASICRATEM, & VALENTIONEM famulos DEI, qui nos jam per bonam confessionem præcesserunt ad Dominum.* Respondit martyr: *Mandata tua jam audierunt, quos salutasti.* Hom. in 40. MM.

Modum designasse opus haud est, *siquidem*, ut cum S. GREGORIO NAZ. loquar, *illud persuasus sum, sanctorum animas res nostras sentire.* S. JULIANUS archiepiscopus existimavit, per angelos eis orationes nostras deferri. Sed quid, si ipsi beati cum corporeo hoc mundo connexi olim, etiam corpore soluti multo magis hac cognitione polleant? Ipse HUGO GROTIUS in voto pro pace ecclesiæ prophetas in exemplum adducit, qui non tantum futura præviderint, sed etiam quæ ipsis absentibus gerebantur dum adhuc in terris degeret e. g. ELISÆUS, quod egit GIEZI; EZECHIEL in media Chaldæa, quod gestum in templo Hierosolymitano &c. quod semper tum Judæi, cum christiani omnes fuerint persuasi. Certe nullus dubito, tam opera naturæ quam providentiæ, & gratiæ, quæ nos tam perplexos, Prognost. L. II.

& pie etiam curiosos tenent, beatis in cœlis explorata esse omnia, quorum potissima pars nos latet.

Lib. XIII. Præpar.

Quidquid vero sit, invocare sanctos semper solemne fuit: *Nam*, inquit EUSEBIUS, *& eorum sepulchra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas eorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.* Quomodo autem etiam in sacrificio eorum fiat memoria, audi S. CYRILLUM HIEROS. *Primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut DEUS eorum precibus, & legationibus orationem nostram suscipiat.* Martyrum imprimis fit in incruento illo sacrificio memoria, quia & ipsi hostias se effuso sanguine præbuerunt, & divino assistunt altari: „ Ut enim, „ (inquit ORIGENES) qui secundum MOSIS legem assistebant altari per sanguinem „ taurorum, & hircorum remissionem mini„ strare peccatorum videbantur; sic eorum a„ nimæ, qui propter testimonium JESU se„ curi percussi sunt, cœlesti altari non ad„ stant frustra, sed precantibus remissionem „ peccatorum ministrant. „ Hinc tanto studio ad martyres accedebant, etiam viventes adhuc in eorum apud divinum tribunal sese commendantes orationes, ut vidimus, & de THEODOSIA virgine EUSEBIUS illustre refert exemplum; *Ad vinctos*, inquit, *quosdam accessit, qui regnum DEI libere confitentes ante prætorium sedebant, tum ut eos salutaret, tum ut, quod credibile est, eosdem rogaret, ut, cum ad DEUM pervenissent, sui memores esse vellent.* Non raro post mortem apparuerunt, ut impetrasse vota significarent: „ Basilides dixisse fertur, PO-

Cat. 23. n. 4.

De exhort. martyrii.

De martyribus Palæst. c. 7.

„ TAMIÆ-

TAMIÆNAM (ut habetur in ejus sinceris apud RUINARTIUM actis) tertio post martyrium die noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque, se ipsius causa Dominum orasse, atque id, quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad superos migraturum. „ Vidimus S. CYPRIANUM id pietatis officium a virginibus petiisse. Memorabile est, quod de S. DANIELE STYL. refertur, qui, cum adhuc viveret, rogatus a leproso, ut sanitatem restitueret, interrogavit primum, cur a vili homine opem, & non a CHRISTO JESU ipso tantam rem imploraret? An credat & per ministros suos DEUM ea operari miracula? Quod cum se credere annueret, sanctus illico restituit sanitatem. Ita multo magis nos credimus, & speramus a sanctis, jam nihil hujus vitæ humilitatis habentibus, sed pro vita beate traducta, sancteque consummato cursu gloriose in cœlis cum DEO regnantibus obtinere, quod petimus, nimirum per ipsos a DEO. *Idcirco*, ut S. CHRYSOSTOMUS monet, *sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde aliquam benedictionem assequamur. Etenim sicut milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta sunt, regi monstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi manibus absecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunque voluerint, apud regem cœlorum impetrare possunt.* S. AMBROSIUS: „ Obsecrandi angeli pro nobis ad præsidium sunt dati. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi, „ quæ

pag. 122.

Apud Surium 11. Dec.

Hom in S. Juvent., T. II. p. 583.

Lib. de Viduis.

„ quæ habuerunt peccata, laverunt. Isti enim „ sunt DEI martyres, nostri præsules, spe„ culatores vitæ, actuumque nostrorum. Non „ erubescamus eos intercessores nostræ infir„ mitatis adhibere: quia ipsi infirmitates no„ stras etiam cum vicerint, cognoverunt. „

De eorum potenti auxilio ambigere nobis non licet; sed de eo tantum, an non eorum indigni simus patrocinio. *Etiam*, inquit S. EPHREM in confessione, & suiipsius reprehensione, *sanctos, ut pro me intercedant, imploro; sed, an eorum pro me preces suscipiantur, dubito. Audivi enim EZECHIELEM dicentem, neque NOE, neque JOB, neque DANIELEM, si oraverint, impetraturos. Interpello cunctos prophetas, at, ne instar impiorum illorum Israelitarum rejiciar, metuo. Ait enim ad HIEREMIAM DEUS:* Noli orare pro populo isto. SS. PP. ad sanctorum etiam semper imitationem nos stimulant, ne eorum indigni simus patrocinio. „ Tot igitur (inquit
Serm. 17. " S. GAUDENTIUS Brixiensis) justorum " patrocinio adjuvandi, tota fide, omnique " desiderio supplices, secundum eorum ve" stigia curramus, ut ipsis intercedentibus " universa, quæ poscimus, adipisci merea" mur, magnificantes CHRISTUM Do" minum tanti muneris largitorem. „ Idcirco sancti etiam, & humiles viri alios interposuerunt, de quorum meritis confidebant, veluti de SULPITIO SEVERO constat per S. PAULINUM preces, & vota sua apud S. FELICEM M. deponente, testa-
pag. 96. turque ipse PAULINUS in responsione ad eundem, atque etiam voti sancto illi patrono facti commonefacit. Pariter S. AM-

BRO-

BROSIUS matronam voti memorem reddit S. LAURENTIO facti, a quo filium impetraverat. Et idem nobis testis est, voti fratris SATYRI in naufragio eidem S. LAURENTIO facti. PRUDENTIUS, ut prosperum iter Romam haberet, S. CASSIANO M. votum vovit, atque feliciter redux illud exsolvit, martyrium ejus conscribendo. Hujusmodi etiam officiis sanctos sibi propitios reddere studebant. THEODORETUS sanctorum vitas scribens finit fere invocatione eorum, atque apud DEUM intercessione, captata, ut ita dicam, narrando eorum pia gesta, sanctamque vitam, & gloriosos triumphos, benevolentia.

de exhort. virgin. L. I. de excessu Satyri.

§. XXXIV.

Etsi solum adoremus DEUM; nihil tamen impedit, quo minus & sanctis pro eorum dignitate, & meritis cultum præstemus a latria diversum.

Et cultus.

Est antiquissima contra christianos calumnia, eos colendo sanctos adorare. Smyrnenses proconsulem Romanum instinctu Judæorum rogarunt, ne cadaver S. POLYCARPI traderet christianis, ne relicto magistro suo crucifixo hunc deinceps colere inciperent: *Stulti*, ut respondit ecclesia Smyrnensis, *qui ignorarent, nos nec CHRISTUM unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium DEI adoramus: martyres vero tanquam*

Apud Euseb. L. IV. c. 15.

discipulos, & imitatores Domini, meritò amore prosequimur, ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga regem, ac magistrum suum declararunt. Quorum nos quoque consortes, ac commilitones fieri omnibus modis optamus. Simile responsum habetur apud S. AUGUSTINUM diaconi S. FRUCTUOSI, instante judice: „Numquid „& tu FRUCTUOSUM colis? Et ille: „Ego non colo FRUCTUOSUM, sed „DEUM colo, quem colit & FRUCTUO„SUS. Quomodo nos admonuit: ut mar„tyres honoremus, & cum martyribus DEUM „colamus.„ ORIGENES ad similem objectionem a CELSO factam respondet de cultu angelorum: *Hos*, inter alia ait, *spiritus angelos ex officio suo nominare docti, invenimus propter divinitatem quamdam interdum deos vocari a sacra scriptura; sed non sic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona DEI nobis afferant; omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt ad DEUM, verum omnium Dominum, per majorem omnibus angelis summum pontificem, vivum verbum, ac DEUM.* Et S. IRENÆUS de miraculis loquens illa ætate frequenter patratis in ecclesia: „Non „(inquit) invocationibus angelicis facit, nec „incantationibus, nec aliqua prava curiosita„te, sed munde, & pure, & manifeste ora„tiones dirigens ad Dominum, qui omnia fe„cit, & nomen Domini nostri JESU CHRI„STI invocans, virtutes secundum utilitates „hominum, sed non ad seductionem perficit.„ Videtur ad hæreticos respicere, qui dicti angelici sunt, *in angelorum cultu inclinati*, ut

Serm. 273.

L. V. contra Celsum.

L. XIV. c. 57.

ait

ait S. AUGUSTINUS. Et TERTULLIANUS de discipulis SIMONIS MAGI dicit, quod angelis artem magicam exercentes servierint, quæ idololatria a PETRO apostolo in ipso eorum magistro est damnata: atque concilium Laodicenum definivit: *Non oportet christianos relicta DEI ecclesia abire, & angelos nominare, & congregationes facere; quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum JESUM Christum, & accessit ad idololatriam.* Hujus canonis meminit THEODORETUS: „Quoniam illi (inquit) angelos jubebant adorare, ipse (apostolus) contrarium præcipit, ut & dicta, & facta exornent recordatione CHRISTI Domini: & DEO, inquit, & Patri gratiarum actionem offerte per ipsum, non per angelos. Hanc etiam legem sequens Laodicena synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege sanxit, non adorandos esse angelos, nec relinquendum Dominum JESUM CHRISTUM. „ Hæc est, fuitque semper catholica doctrina; quidquid contra calumniati sint, atque olim etiam ethnici cultum suum dæmoniorum specie bonorum angelorum excusare sint visi; quomodo eos loquentes inducit S. AUGUSTINUS: *Non colimus mala dæmonia, angelos quos dicitis ipsos, & nos colimus virtutes DEI magni, & ministerium DEI magni.* Quos ibi dedocet errorem; atque alibi etiam tam circa angelos, quam martyres cultum distinguit imprimis contra FAUSTUM Manichæum, qui catholicos calumniabatur: postquam enim, præsertim quoad oblationem sacrificii præcipui latriæ cultus, errorem dem-

De præscript. c. 33.

Can. 35.

In ps. 96.

L. VIII. de civ. D. de vera relig. c. 55.

L. XX. cont. Faustum c. 21. fisset, tandem ita loquitur: „ At vero illo „ cultu, qui Græce latria dicitur, Latine uno „ verbo dici non potest, cum sit quædam pro„ prie divinitati debita servitus, nec colimus „ nec colendum docemus, nisi unum DEUM.

Orat. in SS. MM. „ Nos minime gentium adoramus martyres, „ sed tanquam veris DEI adoratoribus habe„ mus honorem. Non colimus homines, sed „ eos admiramur, qui tempore persecutionum „ in DEI præclare cultum assumti sunt. In „ loculis, ac sepulchris pulchre elaboratis de„ ponimus, structurisque magnificas eorum „ requietionis excitamus domos, ut eorum, „ qui præclare vita functi sunt, honores æmu„ lemur. Nec vero mercede vacuum in eos ex„ hibemus studium, sed eorum apud DEUM „ patrocinio fruimur. „

Hær. 75. c. 7. S. EPIPHANIUS similem calumniam proterens, atque distinguens, quomodo in sacrificio peccatorum pariter ac justorum seu sanctorum mentionem faciamus: *Justorum autem*, inquit, *& patrum, ac patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, episcoporum, anachoretarum, ac cœtus illius universi, ut Dominum JESUM CHRISTUM singulari quodam honore prosequentes, ab cæterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum illius majestati tribuamus: dum illud cum animo nostro reputamus, non esse Dominum cum ullis mortalibus adæquandum; quamvis singuli infinita quadam. aut etiam ampliore justitia præditi sunt.* Ita autem in sanctis honoratur, ac glorificatur ipse DEUS, per cujus gratiam, & dona sanctam illi duxerunt vitam, nos eorum exemplo exstimulamur ad parem virtutem. „ Pulchrum quidem est

„ pietatis

pietatis (scribit ad SERENUM S. ISIDORUS Pelusiota) martyres votivis donis ornare, quemadmodum tu facis. Pulchrius autem, ac præstantius fuerit eos per ea, quæ cum virtute, ac laude gesserunt, colere. „ THEODORETUS veluti præsentes adoritur recentiores sycophantas: *Nos, o viri*, inquit, *nec hostias martyribus, nec libamina deferimus, sed ut sanctos, DEIque amantes honoramus.* In concilio Nicæno II. inter alia insigne refertur ANASTASII Antiocheni testimonium, ubi discrimen adorationis DEO, & creaturis etiam beatis impensæ licet sub eodem nomine aperte designatur, contra quemdam, ut vocatur, scholasticum, qui haud dubie cavillabatur, ac nomen captabat: „ Nemo (ait) offendatur adorationis significatione. Adoramus enim homines, & sanctos angelos; non tamen servimus illis: *Dominum enim*, inquit MOYSES, *DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* „ Sed adhuc significantius S. LEONTIUS in apologia pro christianis adversus Judæos: *Non erubescis*, inquit, *videns me in toto terrarum orbe templa idolorum destruere, & templa martyrum ædificare? Si idola adorarem, cur martyres, qui idola destruxerunt, adoraremus?* S. JOANNES DAMASCENUS contra Iconoclastas nomen quidem servat, sed distinctionem probe designat, & causam cultus unice in DEUM redundantem: *Sanctissimam DEI genitricem, semperque virginem MARIAM, tanquam veram DEI matrem adora, & venerare omnes sanctos, uti servos illius.* Oratione prima de imaginibus discrimen adorationis præcise determi-

L. I. ep. 174. *Serm. 8. de martyr.* *T. VII. conc. p. 246.* *Ib. p. 235.* *De hæres. p. 118.*

nat, quæ latria dicitur, & soli DEO impenditur, & quæ servis ac amicis DEI propter ipsum DEUM. Et S. THEODORUS STUDITA: „Latriæ adoratio una est, ea„que in DEO solo; in aliis autem aliæ. „Nam & reges, & principes a nobis ado„rantur, sed non sicut dii, & quamvis unius „sit formæ adoratio, at non unius formæ in„telligentia. Homines enim sunt, honoris„que dumtaxat cultus illis impenditur, aut „propter legem, aut propter metum, aut „propter affectum. Quare qui adorationis „discrimen nosti, qua per effigies prototy„pa adorantur; tribue hanc quidem ut pro„priam, proprie & privatim soli Deitati: „reliquas vero secundum analogiam eorum, „quorum sunt exempla DEIparæ ut DEIpa„ræ, sanctorum ut sanctorum.„ Agnoscent tandem aliquando, qui nova philosophiæ cultura haud ignorant, quæ sit quoad determinationes notionum in vocibus facultas, & cavillari desinent cum ethnicis, Judæis, JOVINIANO, VIGILANTIO, & aliis hæreticis veteribus: qui sanctos non DEO æquiparamus, sed unice ob DEUM ejus amicos, atque apud eum patronos nostros colimus: *Vigiliis*, ut in sinceris S. SATURNINI actis habetur, *hymnis, ac sacramentis etiam solemnibus honoramus, ut eorum patrocinia, atque suffragia in conspectu Domini orando quæramus, honorando mereamur.* Commemorasse etiam juvat votum GALLÆ PLACIDIÆ, apud GRUTERUM & MABILLONIUM, THEODOSII Cæsaris filiæ, *sanctissimo ac beatissimo JOANNI evangelista GALLA PLACIDIA AUG. cum suo filio PLAC. VALENTINIANO AUGUSTO,*

Antirrh. I. T. V. Sirm. p. 82.

apud Ruinart. p. 130.

p. M. XVIII. Mus. Ital. T. I. p. 39.

STO, & filia sua JUSTA GRATA HONORIA AUG. liberationis maris votum solvit.

§. XXXV.

Cultus B.mæ DEI genitrici MARIÆ præcipuus & singularis debetur, ac præstitus est semper, ecclesia olim medium tenente Antidicomarianitas inter & Collyridianos, deinceps honore ejus impedito in ecclesia magis magisque successu temporis aucto. DEIparæ imprimis.

Optima hic est regula mox ex THEODORO STUD. allata: *Quare qui adorationis discrimen nosti . . . tribue hanc quidem ut propriam proprie & privatim soli Deitati: reliquas vero secundum analogias eorum, quorum sunt exempla DEIparæ ut DEIparæ, sanctorum ut sanctorum.* Ipsamet humillima licet virgo in cantico suo *Magnificat* prophetico spiritu edixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est*, ut DEI operationi ac dignationi, non suis meritis, aut præstantiæ propriæ tribueret:

- - - - Quod me dignatus in altum
Erigere ex humili celsam cunctisque beatam
Gentibus & saclis voluit DEUS æquus haberi.

ut JUVENCUS canit, estque ratio manifesta causaque cultus præcipui ac singularis, quem hyperduliam vocant theologi, ut distinguant a cultu aliis sanctis præstando, qui simpliciter *L. I. Evang. hist.*

pliciter vocatur dulia, ut inde discrimen pateat, & excellentia beatissimæ virginis MARIÆ, quæ sola sine exemplo portare meruit regem ac Dominum, ac mater DEI effici, simul ac virgo semper intacta. Ut ecclesia ejus honorem tuita est contra ELVIDIUM, & alios antiquos hæreticos ejus perpetuæ virginitatis etiam post partum inimicos, quos Antidicomarianitas vocabant oppositos Collyridianis, qui opposito errore nimium, & superstitiosum cultum ei præstabant. Utriusque sectæ causa S. GREGORIUS NISS. a concilio quodam Antiocheno in Arabiam inter alia ire est jussus, ubi ambæ sibi contrariæ hæreses grassabantur, ut ipse testatur, atque S. EPIPHANIUS utramque hæresim pariter oppugnat singulari, & prolixa epistola, ubi Collyridianos potissimum impetit, atque etiam opere contra hæreses, medium commonstrans, ne plus natura cæteris hominibus haberetur, aut divinum aliquid in ea coleretur. Ubi inter alia, *Sanctum*, inquit, *erat MARIÆ corpus, fateor, non tamen DEUS illa fuit; Eadem & virgo fuit; minime tamen nobis ad adorandum proposita, licet honorata* τετιμημένη. Unde addit, CHRISTUM MARIAM *Jo. II.* appellasse mulierem, ne quis beatam virginem excellentioris alicujus naturæ crederet. Totum autem determinat uno verbo: *MARIA in honore sit, Dominus adoretur*: ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ Κύριος προσκυνείσθω. Qui est, ac fuit semper genuinus ecclesiæ sensus olim contra superstitiosos Collyridianorum ritus, inde dictos, quod serpentem cultu impio B. V. afferrent.

Ep. 78. & 79.

Hær. 59.

n. 11.

Orta postea Nestoriana hæresis dignitatem DEIparæ B. V. M. auferre conata apud ortho-

thodo-

thodoxos auxit potius cultum, & honorem, ut ex S. CYRILLO ALEX. & aliis patet, imprimis autem ex liturgiis Græcis. Non quod Nestoriani etiam recentiores cultum hunc neglexerint in publicis officiis, uti ostendit RENAUDOTIUS; sed quod dignior, præstantiorque ab aliis fuerit exhibitus, & forte a Jacobitis, seu Monophysitis, qui nimium nomen θεοτόκος extendebant. Unde haud dubie est, quod MARTINO I. pontifici, ac martyri imputaretur, quod debitum DEIparæ virgini negaret honorem: quod ille scelus a se amolitus anathema omnibus dixit, quicunque DEIparam non supra omnes creaturas honoraret. Semperque deinceps crevit apud omnes veneratio erga DEIparam, postquam in concilio generali asserta est ipsius matris DEI dignitas in ecclesia eidem Ephesi dedicata, ubi multis elogiis est ornata a patribus profitentibus, ad ejus se sepulchrum confidere, necdum, ut videtur, persuasis, eam corpore etiam in cœlum esse sublatam, quod alii quidem, imprimis S. JOANNES DAMASC. ut pie traditum referebant; primus autem GREGORIUS TUR. atque in antiqua jam liturgia Gallicana memoratur in missa Assumtionis ejusdem B. MARIÆ Virginis magis magisque tum publicis in officiis, multiplicatis, ut suo loco paulatim festis, cum etiam privato cultu, & variis pietatis exercitiis, invocationeque solemni aucta semper fidelium devotione, & fiducia in Matrem gratiæ, & potentem apud Filium advocatam, maxime sæculo decimo sub quod tempus tria potissimum in ejus honorem instituta commemorat MABILLONIUS Mariani cultus specimina, videlicet sabbato ejus memoriam,

De lit. orient. T. I. p. 256.

Ep. ad Theodor.

De glor. MM. c. 4. & 9. L. III.

Præf. in sæc. V. O. S. Bened.

moriam, & abstinentiam etiam extra jejunia; officium parvum; & numeratas preces seu salutationes angelicas, ad numerum dictas, quod coronam vel rosarium vocant. Refert laudatus MABILLONIUS inter alia ex
Opusc. 33. c. 3. PETRO DAMIANI morem in nonnullis ecclesiis inolevisse, ut specialiter in ejus honorem per omne sabbatum missarum celebrentur officia, nisi forte festivitas, vel feria quadragesimalis obsistat, ut constanter servat hodieque ecclesia.

Quo ipso in loco PETRI DAM. laudatur monachus salutationem angelicam usque ad ea verba *in mulieribus* recitantem. Et passim jam occurrit orationi dominicæ juncta salutatio angelica *Ave Maria.* Sed necdum sæculo XV. reperit MABILLONIUS appendicem salutationis, quæ a *S. MARIA* incipit, & hactenus constanti usu teritur ad intercessionem B. V. M. impetrandam pro hora mortis præsertim, ac instante periculo; non nova, sed frequentata magis praxi in publicis, & privatis orationibus, ac necessitatibus quibuscunque: quomodo etiam GRE-
Orat. 18. GORIO NAZ. S. JUSTINA M. præstigiis tentata ad illicitum S. postea CYPRIANI martyris amorem memoratur: Desperatis omnibus aliis remediis ad DEUM confugit, atque adversus detestabilem amorem sponsum suum patronum, ac defensorem assumsit CHRISTUM, *hac atque his plura commemorans, virginemque MARIAM supplex obsecrans, ut periclitanti virgini suppetias ferret.* Quæ sunt laudato loco sancti doctoris verba.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Cultus ac invocatio superstitiosa olim fuit vetita juxta apostolum non ea, quam pie fideles impendunt cœlestibus DEO assistentibus spiritibus administratoriis in salutem nostram. Angelorum.

Jam supra canonem retuli Laodicenum, ubi superstitiosus damnatur angelorum cultus. Ubi fuerunt, qui loco *angelos angulos* legerent, bona an mala fide, nescio; certe contra Græcam lectionem, ubi ea corruptio prona haud est; & contra antiquorum imprimis THEODORETI testimonium, quod retuli, simul ostendens, qualis cultus damnetur, eorum, qui legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes legem fuisse per eos datam, ut dicit THEODORETUS in locum D. PAULI, ubi jam similem damnat cultum pravum, atque dehortatur: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum.* Qui idem dicit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Ubi quidem idem tractat ad divinitatem verbi divini demonstrandam argumentum, quod postea SS. PP. contra Arianos, ut ex adoratione soli DEO debita, ac verbo divino præstita, DEUM ostenderent. „Nemo (inquit S. „ ATHANASIUS) a DEO, & ab an- „ gelis, aut aliqua alia re creata precatus „ fuerit, nemoque cuiquam dixerit, det tibi „ DEUS, & angelus: sed quæ precamur, „ a Patre, & Filio precamur, ob eorum uni- „ tatem, unicamque donationem. „ At nihilominus

Coloss. II. 18.

Hebr. I. 13.

Orat. IV. contra Arianos.

minus idem de communi essentia Patris & Filii, & Spiritus sancti, aut si hic ei negetur foetus, alii passim sancti patres qui contra Arianos S. HILARIUS in psal. 129. 137. & Matthæi cap. 18. S. AMBROSIUS oratione contra AUXENTIUM de basilicis tradendis, & libro de viduis, & quis non ex sanctis patribus erga angelos salutis nostræ apud DEUM ministros, ac custodes gratum suum, ac devotum exhibuit animum, imploravit præsidium, atque apud DEUM intercessionem, ad quem orationes nostras deferunt. *Veni angele*, ita pie precatur ORIGENES, *suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: & suscipiens eum quasi medicus bonus confove atque institue, parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens: & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis: & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* Ita singulariter semper preces nostræ creditæ sunt per angelos in cœlum deferri: *Quæ*, inquit ARETAS Cæsareensis in Cappadocia episcopus, *natura quidem bonæ fragrantiæ sunt, sed melioris fragrantiæ eæ redduntur per angeli, qui eas porrigit, auxilium.* „ Nimirum (ut S. EPHREM „ dicit) cœlestem suspiras patriam: ubi om„ nes quoque angeli, & sancti DEI in ma„ gno gaudio regnant, pro nobis deprecan„ tes Dominum, ut digni habeamur, qui pos„ simus intrare in gaudium illud. „ Jam SOZOMENUS memorat *Michaelia* seu sacella suo tempore ubique terrarum S. MICHAELI dicata; & licet primis illis temporibus ob

Hom. I. in Ezech.

Comment. in Apocal. c.21. T.9. Bibl. PP. p. 760.

De locis beatis.

L.II. c.2.

super-

ſuperſtitiones non ſolum paganorum, ſed etiam hæreticorum non ita cultus ejusmodi manifeſtus fuerit, fuit tamen ſemper devota mens, & pium erga angelos ſtudium, ac veneratio, tam noſtræ ſalutis ſollicitos, atque apud DEUM interceſſores.

§. XXXVII.

Martyrum.

A prima eccleſiæ origine imprimis ſanctis martyribus religioſe eſt impenſus cultus, non obſtantibus infidelium calumniis, aut invidia eorum, qui perſecutionem intentabant pro religione, ac pietate.

Ex antiquiſſimis, quæ extant, martyrum SS. IGNATII, POLYCARPI, & aliorum actis conſtat, quam pia fuerit fidelium contentio ac religio erga martyres in ipſa morte, ac poſt mortem, patebitque adhuc amplius, quando de reliquiis ſanctorum ac feſtis agemus. Ipſeque APOSTATA JULIANUS apud S. CYRILLUM ad apoſtolos revocat hujus cultus epocham, & a JOANNE repetit exordium, ac teſtis eſt, quam increbuerit hic cultus, ac veneratio. *Verum*, inquit, *iſtud quidem mali a JOANNE cepit initium. Quæcunque autem vos adinveniſtis additis ad illum priſcum mortuum novis mortuis, quis pro dignitate ſatis execretur? Sepulchris, ac monumentis impleſtis omnia, licet apud vos nusquam dictum ſit circa ſepulchra verſandum eſſe, eaque colenda.* Quibus reſpondens ſanctus doctor non dubitat argumento etiam ad hominem ex HOMERO, ac Græca hiſtoria uti; ſed diſcrimen o-

Cont. Julian. L. X. p. 339.

Ib. p. 335.

 ſtendit,

stendit, quod non divinos honores, ut ipsi suis heroibus, tribuant christiani. Quo etiam alteram calumniam retundit ex Hebræorum disciplina. *Illorum igitur*, ajebat, *sermonibus si aures præbuissetis, non infelici loco prorsus essetis, sed deterius quidem quam antea, cum inter nos versamini. Levia tamen sustineretis, ac tolerabilia. Unum pro multis diis non hominem, imo multos potius infelices homines coleretis.* CHRISTUM innuit crucifixum, & qui pro ipsius nomine tormenta, ac mortem sustinuerunt fortes, ac gloriosi martyres; ac si christiani eos veluti ipsi gentiles deos suos colerent. Ad quod respondens ostendit, quam alienum hoc sit a christianis: *Neque*, ait, *deos esse dicimus, neque divino cultu scilicet illos adorare solemus, sed affectus, & honoris: quin potius summis honoribus illos ornamus, puta quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eousque servaverint, ut animam ipsam contemserint.* Legi hic imprimis merentur homiliæ THEODORETI, quæ sunt contra gentiles, ac septima quidem octava, & nona in hoc versantur argumento contra eandem gentilium calumniam, quos itidem propriis confodit armis ex cultu, quem ipsis magnis, & celebribus viris, sed impium impenderunt, ac sæpe nihil imo pessime merentibus, secus ac christiani faciant: „Pro Pandiis enim (inquit) Diasiis„que ac Dionysiis, & aliis vestris, PETRI „& PAULI, & THOMÆ, & SERGII, „& MARCELLI, & LEONTII, & „PANTALEONIS, & ANTONINI, „& MAURICII aliorumque martyrum so„lemnitates peraguntur, & pro illa veteri „pompa, turpique rerum, ac verborum ob„scœ-

L. VI. p. 201.

Ib. p. 203.

Serm. 8.

ſcœnitate modeſtæ celebrantur feſtivitates, „ non ebrietatem, & jocos, riſusque exhibentes, ſed divina cantica, ſacrorumque ſermonum auditionem, & preces laudabilibus „ lacrymis ornatas. (Et ſequenti ſermone) Horum Domino laudes decantamus, & qui integra ſunt valetudine, hanc ſibi conſervari, „ qui autem morbo quopiam conflictantur, „ hunc depelli petunt. Petunt & liberos, qui „ his carent, &, quæ ſteriles ſunt, rogant, ut „ martyres fiant; qui donum adepti ſunt, ſalvum id ſibi ſervari poſtulant. Qui peregrinationem aliquam auſpicantur, ab his petunt, ut viæ ſibi comites ſint, ducesque itineris; qui ſoſpites redierunt, gratias referunt: non illos adorantes ut deos, ſed tanquam divinos homines eos adorantes, intercesſoresque ſibi ut eſſe velint poſtulantes. „ *Serm. 9.*

Meminit etiam anathematum, ac donariorum ſuſpenſorum a fidelibus, qui beneficia a martyribus acceperunt: „ Alii enim oculorum, „ alii pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento auroque confecta . . . Hæc „ autem morborum depulſionem indicant, cui „ teſtandæ ab iis poſita ſunt, qui ſanitatem „ receperunt. Cum enim, dum adhuc in vivis „ ſunt, antequam conſummarent martyrium, „ quæ eſt gratiſſima DEO victima, talia perſæpe præſtiterint, quid non ab eis ſperandum, poſtquam glorioſum decurrerunt, conſummaruntque agonem: ſi apoſtoli, & martyres, adhuc in corpore conſtituti, poſſunt „ orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? „ Nec dubitat de eorum apud CHRISTUM interpellationibus pro nobis S. AUGUSTINUS: *Omnes* *Serm. 8.*

In ps. 85. n. 24.

martyres, inquit, *qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster.* Non raro is inter scribendum etiam imprimis ad S. CYPRIANUM M. orationem dirigit, & luculentus imprimis testis est, qualis martyribus exhibeatur cultus: *Religiosorum*, inquit, *obsequia in martyrum locis ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tanquam deorum.* Et alibi: *Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi PETRE, aut PAULE, aut CYPRIANE, sed, quod offertur, offertur DEO, qui martyres coronavit.* Discrimen tamen indicat, quo martyrum, & aliorum mortuorum in sacrificio fit memoria: *Ubi* inquit, *non pro ipsis oratur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Jam suo loco notavi cultum hunc hodie singularem sanctis martyribus haberi, ut eorum solum in sacro canone memoria habeatur, haud dubie quia ipsi se gratas DEO pro CHRISTO, cui illic hostia immolatur, exhibuerunt victimas.

L. VIII. de civ. DEI. c. 27.

L. XX. cont. Faustum. c. 21.

Videtur aliquando fuisse dubitatum, an etiam qui pro fide ab hæreticis martyrium sustinent, martyres sint habendi, quomodo ob Arianorum in catholicos crudelitatem a patribus Sardicens. ad JULIUM P. fuit rescriptum: „Cum „ raperent episcopos, presbyteros, diaconos „ & omnes clericos in exilium mitterent, ad „ deserta loca transducerent, & fame, siti, „ nuditate, & omni egestate necarent; alios „ clausos carcere, & squalore, & putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis stringe-

Apud S. Hilar. Frag. 2.

„ rent,

rent, ita ut cervices eis arctissimis circu- „ lis strangularentur. Denique ex ipsis qui- „ dam vincti in eadem injuste defecerunt pœ- „ na; quorum ambigi non potest martyrio „ gloriosam mortem extitisse.„ S. BASILIUS *Ep.* 243. indigne fert secus fieri: *Quod gravissimum est, nec qui vexantur, mala in martyrii fiducia perferunt, neque plebs in martyrum loco athletas colit, quia christianorum nomine persecutores ornati sunt.* Idem alibi queritur, sed solatur monachos ab Arianis vexatos: *CHRISTI ostendunt nomen, ut ne confessionis quidem solatium habeant, qui vexantur: multis, ac simplicioribus injuriam quidem nobis fieri fatentibus; at in martyrii loco nobis mortem pro veritate toleratam non adscribentibus . . . Persuasum mihi est, majora vobis, quam iis, qui tunc martyrium passi sunt, a justo judice præmia servari; siquidem illi & ab hominibus certam, & exploratam laudem consequebantur, & a DEO mercedem exspectabant; vobis autem in paribus præclare factis honores a populis non deferuntur.* Spectat hoc eos, qui quidem multa pro fide sustinent, sed non tormenta ac mortem. Quin aliæ etiam religionis ac pietatis causæ gloriam martyrii, si vita auferatur, conferunt: quomodo apud WILHELMUM Malmesburiensem, & alios scriptores Anglos EADWARDUS Anglorum rex pius, propterea quod novercæ pessimæ instinctu sicca transfossus sit martyr audit, & sanctus, ut MABILLONIUS *Præf. II. in* notavit, & in eam rem esse exempla pœne *sæc. III.* infinita dicit. Singulare vero est S. JOAN- *Ord. S. B.* NIS NEPOMUCENI pro secreto ac sigillo sacro confessionis, martyris.

§. XXXVIII.

Et aliorum Sanctorum.

Post persecutionum sæcula, ac martyrum epochas, publicus aliorum etiam sanctorum, confessorum, & virginum cultus in ecclesia celebrior evasit.

Quoniam sanctos suos primis ecclesiæ temporibus DEUS solebat martyrii corona beare, quæ est præcipua cœlitum laureola, ecclesia tunc in ea adornanda publico cultu occupata fuit, ut quædam successio hic notari queat in veneratione publica martyrum primum, deinde confessorum, ac virginum, uti nunc peculiariter vocari solent; cum olim confessores martyres etiam apto nomine sint vocati, qui CHRISTUM confessi coram persecutoribus fortes & constantes extiterunt, etsi mortem in tormentis non oppetierint.

At dici non potest, nullum honorem aliis sanctis esse delatum, quod publica memoria in sacris conventibus, ac sacrificio martyrum tantum fuerit, quemadmodum etiamnum in canone missæ soli martyres occurrunt. Jam memini, S. CYPRIANUM se precibus virginum commendasse, quando in illis honoranda post mortem sit virginitas. Fuerunt in concilio Atrebatensi sæculo X. hæretici damnati, qui solos apostolos, & martyres colendos dixerunt, atque statutum, ut etiam confessoribus debitus impendatur honor. Et certe, ne quid de S. JOANNE apostolo dicam, fuit etiam singulari haud dubie in honore S. GREGORIUS THAUMATURGUS, uti deinceps SS. ANTONIUS, ATHANASIUS, BASILIUS, AMBRO-

T. XIII. spicil. p. 47.

AMBROSIUS, PHILOGONIUS, EUSTATIUS Sebastenus, & teste S. GREGORIO Niss. fratris PETRI Sebasteni mox post mortem festum fuerit celebratum. Et S. GREGORIUS Naz. in oratione funebri de S. CÆSARIO fratre testatur fore, ut deinceps singulis annis honor ei impendatur a posteris etiam. Sic etiam legitur PAULUS post S. GAUDENTIUM successor S. PHILASTRII sacrificium quotannis celebrare cœpisse in altari sub S. PHILASTRII nomine dedicato, populo etiam honorare eum diem præcipiens abstinendo a laboribus, quod successores pariter fuerunt prosecuti. Qui honores S. MELETIO statim post mortem fuerint impensi, produnt acta concilii œcumenici II. Cpolitani I. sub quo Cpoli mortuus, magna pompa Antiochiam delatus, anniversaria solemnitate fuit honoratus totius populi concursu, uti ex homilia S. CHRYSOSTOMI, de S. MELETIO, anniversaria illa die habita, constat: ubi omnes ad ejus invocationem invitat his inter alia verbis: „ Oremus itaque omnes simul tam magistratus, quam privati, tam mulieres, quam viri, tam senes, quam juvenes, tam servi, quam liberi beatum ipsum MELETIUM harum precum socium adhibentes. Est enim ei nunc major fiducia, & amor in nos ferventior, ut hæc nobis augeatur charitas, & nos omnes id consequamur, ut quomodo hic prope arcam istam adstamus; ita illic quoque prope beatum, & æternum ejus tabernaculum esse, & bona æterna nobis reposita consequi possimus. „ S. HIERONYMUS adhuc vivum dum ad strenue certamen certandum, & cursum con-

Ep. ad Flavian. de Helladio Cæsar. Orat. X.

Surius 18. Julii. p. 212.

T. II. p. 523.

Ep. 5. ad Heliodor. summandum hortatur, *Quo*, inquit, *victor revertaris in patriam; quo Jerusalem cœlestem vir fortis coronatus incedas.* Et porro compellat: *Tunc & parentibus tuis ejusdem civitatis jus petes, tu & pro me rogabis, qui te, ut vinceres, incitavi.* Et PAULAM *Ep. 22.* de obitu BLESILLÆ similiter solatur: *Pro te Dominum rogat, mihique, ut de ejus mente securus sum, veniam impetrat peccatorum.* Et S. AUGUSTINUS de NE- *L. IX. c. 3.* BRIDIO defuncto proxime: „Nunc ille „vivit in sinu ABRAHAM. Quidquid illud „est, quod illo significatur sinu, ibi NE„BRIDIUS meus vivit, dulcis amicus „meus, tuus autem Domine adoptivus, ex „liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius „tali animæ locus? Ibi vivit, unde multa „interrogabat hommuncionem inexpertum. „Jam non ponit aurem ad os meum, sed spi„rituale os ad fontem tuum, & bibit, quan„tum potest, sapientiam pro aviditate sua „sine fine felix. Nec sic eum arbitror ine„briari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu „Domine, quem potat ille, nostri sis me„mor.

Sunt quidem hæc vota non publica, nec cultus publicus, qualia priora exempla de SS. CÆSARIO, PHILASTRIO, MELETIO; atque etiam illa tantum particularium quarundam ecclesiarum fuit devotio. Unde haud desunt pii ac docti viri, qui pri- *Vid. Bona de reb. lit. L. I. c. 15. L. II. c. 12.* mum ex confessoribus S. MARTINUM statuunt, cui publicus in ecclesia fuerit attributus cultus, solemnis nimirum apud plerasque exteras etiam ecclesias, non solum Galliarum, sed aliarum etiam regionum saltem

tem in occidente. Ubi cito, cum ejus celebritate ſanctitatis, cultus ac veneratio undique obtinuit, alibi etiam veluti in Italia religioſius quam in ipſa Gallia teſte GREGORIO Turonenſi ex FORTUNATO: cum jam Romæ tempore SYMMACHI P. circa annum 500. eccleſia ejus nomini fuerit dedicata, cujusmodi plures, ac monaſteria fuerunt tempore S. GREGORII, in cujus ſacramentario, & in calendario antiquo Romano FRONTONIS ejus feſtum occurrit; cum in antiquiſſimo BUCHERII calendario, & LEONINO, GELASIANOque ſacramentario martyrum ſolum habeantur feſta, ſi forte S. SILVESTRUM excipias. Qua de re dicemus ſuo loco de feſtis tam peculiaribus, quam etiam univerſali omnium ſanctorum, quod primum martyrum tantum fuit, dedicato Romæ in eorum honorem Pantheo, quæ eccleſia S. MARIÆ ad martyres eſt, cujus dedicatio in ſacramentario S. GREGORII occurrit; in ſacramentario autem Veronenſi per BLANCHINIUM edito feſtum omnium ſanctorum martyrum, & confeſſorum cum octava novitatis nota habetur, quod ANASTASIUS bibliothecarius BONIFACIUM IV. ſæculo demum ſeptimo inſtituiſſe memorat.

De glor. MM. L. I. c. 16.

Conc. Binii. T. III. p. 686.

§. XXXIX.

Ne temere cultus præberetur ceu ſanctis, cura paſtorum eccleſiæ eſt imprimis Romani pontificis in canonizatione ſanctorum ſumma.

Canonizatorum.

Olim quoad martyres facilior fuit ratio, quorum manifesta fuit causa pro fide, ac religione christiana vitam profundentium. Fueruntque in hoc genere diptycha, varii quidem generis tabulæ publicæ inter missarum solemnia perlectæ, continentes præter offerentium nomina, & clericorum superioris ordinis, ecclesiarum, imprimis præcipuarum, præsulum una communione fruentium, etiam sanctorum, martyrum potissimum, aut catholicorum principum, ac magistratuum, morientium item in fide orthodoxa, & pietate christiana, quibus, ut jam dixi alicubi, sæculo nono, & proxime sequentibus confessores fuerunt adjuncti: unde martyrologia non solum, & calendaria ecclesiastica emanarunt, sed etiam, SCALIGERO judice, litaniæ sanctorum. Diptychorum vero ipse BASNAGIUS originem e secundo ecclesiæ sæculo repetit. Nec in eo contrarius nos habet, quod eorum usum canonizationi recentiori respondere non putet, quoad commemorationem nimirum tam vivorum, quam mortuorum præsertim episcoporum in signum communionis ecclesiasticæ, ac memoriæ in sacra liturgia: quæ, ut mox vidimus, & non semel attigimus, diversa fuit a memoria sanctorum martyrum præprimis, quibus memoriæ undique fuerunt erectæ, & eorum acta sollicite conscripta, in ecclesiis lecta, quæ *Fasti* a TERTULLIANO vocantur, ad alias etiam ecclesias missa, ut unaquæque certior fieret de iis, qui mortem pro CHRISTO passi fuerunt, atque cultum impenderet alibi etiam, quam ad sepulchra, & loca martyrii, ubi templa, ac altaria super tumulos in honorem martyrum erecta canonizationis loco fuerunt. Intervenisse etiam fraudem,

Histoire de l'Eglise. Liv. 18.

fraudem, ac astum dæmonis, vel solum S. MARTINI exemplum documento est, qui, teste SULPITIO SEVERO, conjurato maligno spiritu intellexit ossa cujusdam ob crimen neci traditi delitescere, ubi fideles martyrem honorare se putabant, ara erecta, quam destrui continuo fecit sanctus præsul. Potuit adeo etiam error ejuscemodi in martyrologia irrepere, ut vel ex correctione martyrologii patet tum a BARONIO, cum aliis, novissime etiam a BENEDICTO XIV. suscepta; quin cavillandi hæreticis locus sit, qui omnia istic exasperant, & in ludibrium vertunt, subvertuntque amara, & audaci crisi, numerum etiam sanctorum, imprimis martyrum; quod operose contentioseque fecit DODWELLUS, pro libidine constringendo in arctum, sanctisque cum CHRISTO in cœlis regnantibus detrahendo, invidendo honorem ac gloriam, quem habent publico ecclesiæ cultu.

Non adeo temere, ut isti calumniantur, impendi hic cultus solet, tantum credulæ, aut superstitiosæ plebeculæ opinione, sed auctoritate episcoporum, quale ex concilio Agrippinensi refertur apud IVONEM *P. III. Decreti c.* 54. citaturque a PROSPERO de LAMBERTINIS, BENEDICTO XIV. in libro primo de servorum DEI beatificatione, & beatorum canonizatione, unacum aliis in eam rem statutis; præsertim autem Romani pontificis cura, vigilantia, & auctoritate in ecclesiam universam, aut conciliorum œcumenicorum: unde universalis cultus per ecclesiam propagatur, quem episcopi suis tantum in diœcesibus forte constituerunt, vicinis, aut longinquis celebritate sanctitatis, aut miraculorum incitatis ad eundem cultum. Quemadmodum vero primis ecclesiæ

p. 417. &c.

sæculis

fæculis memoriis, ac aris erectis istiusmodi cultus fuit institutus, ita subsequentibus temporibus corporis elevatione: quod etiam suapte per miraculum nonnunquam factum legitur, veluti de S. DROCTOVEO primo abbate S. GERMANI de Pratis; alias autem nonnisi gradatim fiebat, uti exemplum refert S. GREGORIUS Turonensis: *Scissum nuper pavimentum, quod calce, atque comminuta testa quasi silice durissima fusum erat, unius sepulchri cacumen apparuit: quo paululum elevato tellus scissa apicem alterius patefecit. Illoque emicante secutus est tertius tumulus, qui nunc juxta initium ostensionis suæ gradatim elevantur super terram; sed nunc jam primus liber a mole terrena liberum se præstat visibus humanis. Duo adhuc sequuntur; sed annis singulis proficiunt ad egressum* Ita etiam corpus S. OTHMARI, teste MABILLONIO, fuit elevatum, atque canonizatum consensu episcopi, ac concilii Constantiensis.

De glor. Confess. c. 52.

Sæc. III. Bened. P. II. p. 164.

Prima autem solemnis canonizatio auctoritate Romani pontificis JOANNIS XV. fuit S. UDALRICI episcopi Augustani an. 993. ad preces LIUTULFI episcopi ejus loci in concilio Romæ præsentis, data bulla in hanc rem subscripta a quinque episcopis, novem presbyteris cardinalibus, & tribus diaconis. Observat tamen MABILLONIUS, nomen canonizationis necdum tunc fuisse usitatum. Epistola vero LUTGERI episcopi Monasteriensis ad RIXFRIDUM episcopum Ultrajectensem de canonizatione S. SUIBERTI tempore LEONIS III. aperte conficta est, ubi ita enarratur, ut nunc ab annis quadringentis fieri solet, majoribus cæremoniis abundans, quam sub ipso adhuc

T. VII. act. Bened. præf. n. 99. &c.

IN-

INNOCENTIO II. & ALEXANDRO II. aut quomodo a PETRO DAM. ad finem vitæ S. ROMUALDI enarratur: aut qualis apud SPELMANNUM occurrit formula. Ex quo etiam constat, OFFAM regem Merciorum ad ADRIANUM an. 794. pro canonizatione S. ALBANI M. recurrisse. Quod deinceps a fine sæculi decimi semper fuit factum. Habeturque sæculo XI. non unum exemplum, uti S. SIMEONIS Trevirensis: cujus causa habetur epistola POPPONIS archiepiscopi ad BENEDICTUM IX. qui legatum Treviros misit unacum litteris canonizationis, in quibus nomen ejus martyrologio inserendum, ac quotannis festum celebrandum statuitur. Quare POPPO 17. Novembris an. 1042. solemniter declaravit, fore deinceps S. SIMEONEM inter confessores honorandum: quem ut augustiorem redderet cultum, in ejus honorem ecclesiam fundavit in loco, quo reclusus, ac sepultus fuit: quæ etiamnum subsistit sub nomine S. SIMEONIS. Eodem sæculo an. 1053. LEO IX. cum consensu concilii Romani in numerum Sanctorum retulit GERARDUM Tullensem episcopum. Deinceps semper augustior evasit canonizatio, qualisque hodie sit, & quam accurate omnia transigantur longo tempore, ac examine, inter alia docet laudatum voluminosum BENEDICTI XIV. opus, ut certe omnis cavillandi locus adversariis dematur, sitque hic illustrissimus actus ad decorem non solum ac splendorem ecclesiæ Romanæ, sed etiam ad illius comprobandam fidem, ac notas veræ ecclesiæ imprimis sanctitatis perennantis in membris, ac miraculis ecclesiæ sanctitatem commonstrantibus.

T. 2. conc. p. 713.
T. I. p. 309.

Vid. Mabill. T. 8. Act. p. 329.
Boll. ad 1. Jun.

CAP. II.

CAPUT II.

De cultu imaginum.

§. XL.

Cultus imaginum qualis.

Prorsus abest ab idololatria gentilium pius apud christianos imaginum cultus respectivus, relatione ad prototypon facta.

Quidquid idolis suis præfiguraverint gentiles, aut spectarint adoratione corporum cœlestium solis, lunæ, & stellarum, dæmonum item, ac heroum, ulliusque alius visibilis & corporei numinis, vel tanquam summi, vel medioxumi DEI sive excluso, sive non excluso sensu, ac conceptu de spirituali quadam, & invisibili divinitate, seu de re quapiam extra ipsa idola posita; sive totidem suprema numina omnia ea habuerint, sive subordinata quædam, intelligentias e. g. in corporibus cœlestibus velut residentes, unde imagines eorum, ac simulacra habebant ad cœlestem ex astris derivandam virtutem; sive etiam ab heroibus, & dæmonibus eandem opem præstolantes colerent, cultuque divino prosequerentur, immanis erat idololatria tum naturali, cum divina lege Mosaica severissime prohibita, adoratio aliorum præter DEUM Israelis, aut *idoli* efformatio, ut vertunt LXX. locum Exodi XX. *Non facies sculptile* εἴδωλον: cujus id est ab imagine discrimen, quod hæc sit vera rei repræsentatæ similitudo; illud autem falsæ similitudo, id referens, quod revera non est:

eſt : ut cum gentiles Jovem Deum effingebant, & adorabant, qui revera DEUS non erat; aut ſtatuas Palladis, vel Veneris veluti numinum colebant, deos fœminii ſexus effingentes, quales dii eſſe non poſſunt. Dupliciter ergo aberrabant, verum non colendo numen, præterque unum ſummum plurima falſa, & ſub falſis imaginibus. Unde in veteri teſtamento ejusmodi nominibus veniunt, quæ nihil deſignabant אלילים ab אליל nihilum, res vana, ac nihili, *quia nihil eſt idolum in mundo* juxta apoſtolum: ac, ut quidam contendunt, אל--אלים. Seu etiam, ut GENEBRARDUS accipit, tanquam diminutivum ab אל Deus pro deunculis, diis nullius poteſtatis ac roboris. Quomodo TERTULLIANUS in libro de idololatria idolum diminutivum facit a vocabulo εἶδος forma, ſpecies, quaſi exilem formam, ac tenuem: aut שקר quod eſt falſitas, mendacium, ut obſervat HIERONYMUS in Oſeæ 7. ſicut dicitur Habacuc II. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* Sic ergo imagines veræ CHRISTI, aut ſanctorum idola non ſunt, quia veræ ſunt imagines; nec etiam illæ DEI, & angelorum imagines, quæ referunt imaginem, quibus apparuiſſe aliquando in ſcripturis memorantur, aut proprietates e. g. in natura humana exprimuntur ſaltem metaphorice. Sic ISAJAS ſe vidiſſe teſtatur DEUM ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum inter alatos Seraphim. Et MICHÆAS: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris, & a ſiniſtris.* Sic DANIEL vidit antiquum

Vid. Stockium voce אלל. I. *Cor. VIII.* 4.

Iſ. VI. 3. *Regum XXIII.*

Dan. VII.

tiquum dierum in throno ſedentem, cujus capilli cani erant &c.

Nullas ejusmodi imagines DEI, nec etiam ſtatuas, aut ſculptilia, ſed picturas tantum, Græci dicuntur habere, licet LEO ALLATIUS contrarium aſſerat. Sæculo VI. clerus Antiochenus SEVERO id crimini dat in epiſt. ad concilium Cpolitanum: *Præſumtum eſt autem ab ipſo & hoc, o beatiſſimi: nam columbas aureas, & argenteas in figuram Spiritus ſancti ſuper divina lavacra, & altaria appenſas unacum aliis ſibi appropriavit dicens, non oportere in ſpecie columbæ Spiritum ſanctum nominare.* Sed dici poteſt ad alium finem eas fuiſſe, quam ad cultum publicum. Quod nihil refert ad rem præſentem, cum eandem ac nos impendant venerationem, vindicarintque Græci imaginibus, ut paulo poſt videbimus, tantum id nunc indagaturi, qualis ſit apud eos pariter ac apud nos, cum vox προσκύνησις ac adoratio olim adhibita offenſioni fuerit, & ſuperſtitionem etiam S. GREGORIUS M. tollendam exiſtimarit celebri ad SERENUM epiſcopum Marſilienſem epiſtola, qui, quod cerneret imagines adorari in eccleſia, eas confractas ſuſtulit. Atque ſanctus pontifex zelum quidem laudat, quod impedierit adorari opera hominum; ſed imagines fieri eum impedire non vult, tantum ne adorentur, ſæpiusque repetit, non debere imagines adorari. Quod ſane intelligi debet: uti ſynodus VII. ubi cultus imaginum ſtabilitus eſt, etiam CHRISTI imaginem non latria adorandam dicit, aut non aliter adorari, quam adoretur liber evangeliorum, & vaſa ſacra. Sic in actis martyrum Scillitanorum SPERATUS interrogatus:

L. III. de conſ. c. 15. §. 16.

L. IX. ep. 105.

Act. VII.

Act. Sinc. p. 78.

gatus: *Qui sunt libri, quos adoratis legentes?* Nihil cunctatus respondit: *Quatuor evangelia Domini nostri JESU Christi, & epistolas S. PAULI apostoli, & omnem divinitus inspiratam scripturam.* In laudato concilio Nicæno II. œcumenico VII. luculenter id explicatur testimonio LEONTII: *p. 236.*
„ Cum ergo videris christianos adorare cru- „
cem, scito, quia crucifixo CHRISTO ad- „
orationem offerunt, & non ligno; nam si „
naturam ligni coluissent, profecto & arbo- „
res, & nemora adorassent, sicuti & tu quon- „
dam, Israel, adorabas hæc dicens arbori, „
& ligno: Tu es DEUS meus, & tu me ge- „
nuisti. Et nos iterum non sic dicimus cru- „
ci, neque figuris sanctorum, dii nostri estis. „
Non enim sunt dii nostri, sed similitudines, „
& imagines CHRISTI, & sanctorum ejus, „
ad recordationem, & honorem, & deco- „
rem ecclesiarum propositæ, & adorandæ. „
Qui enim honorat martyrem DEUM hono- „
rat, &, qui Matrem ejus adorat, ipsi hono- „
rificentiam exhibet. „ In eodem concilio habentur insignes epistolæ GERMANI Cpolitani patriarchæ, prima ad JOANNEM episcopum Synnadensem, in qua CONSTANTINO imperatori explicat rectum imaginum cultum, altera ad CONSTANTINUM ipsum, tertia ad episcopum Claudiopolitanum, discrimen ab idololatria aperte declarat. Epistola, quam in eodem argumento ad GREGORIUM III. dedit, non habetur, sed hujus responsio, ubi idem, quod mox explicavimus, discrimen idoli ac imaginis asseritur: *Nam*, inquit tandem, *modus idololatriæ manifestus est. Christianis autem DEI cultoribus omnium dominator est adorandus.* Por- *p. 287.*

ro si quis Judaico more ad accusationem motus, quæ olim contra idolorum cultores dicta sunt, diffamaverit, & idololatriam ecclesiæ nostræ adscripserit ex venerabilium imaginum deifico, & mirabili ad meliora ducatu, nihil aliud arbitremur, quam ut canis latret. Sed legendus est S. JO. DAMASCENUS lib. IV. de fide orthodoxa, & ejus orationes de imaginibus. Imprimis vero acta ipsa concilii Nicæni, ubi plurima in hanc rem referuntur ad rectam cultus imaginum formam relativam ad prototypa: *Nomen rei*, ut S. STEPHANUS CONSTANTINO imp. dixit, *per imaginem nobis exhibitæ adoramus, ad ipsos auctores, & prototypa ascendimus.*

Lopin. T. I. analect. Græc. p. 497.

§. XLI.

In vet. aut novo Testamento.

Sculptile facere in decalogo ob idololatriam, ejusque proximum apud Judæos periculum prohibitum est, atque vigente adhuc idololatria primis ecclesiæ sæculis parcior etiam hinc fuit imaginum usus.

Omnem imaginum etiam sculptarum usum Judæis esse vetitum dici non potest, cum in ipso tabernaculo, & templo Cherubini, Seraphini, boves, leones &c. essent fabricati, atque serpens æneus DEI jussu ad sanitatem aspicientium erectus. Sed sculptile facere, prout tunc usu veniebat ad idololatriam (in quam ruebant Judæi etiam in deserto, dum moratur in monte MOYSES, vitulum aureum pro DEO adorantes) omnino nefas fuit, & summe prohibendum. Hinc postquam positum esset: *Non erunt tibi dei alii*, proxime additur:

ditur: *Non adorabis ea, neque coles.* Indiscriminatim etiam merito omnis imago, ac similitudo Israelitis fuit vetita tam pronis ad idololatriam gentilium, inter quos degebant, atque tam frequenter in idololatriam prolabebantur. Quare etiam ORIGENES testis est, nec pictores nec sculptores tulisse apud se Judæos, ne locum idololatriæ darent. Similitudines autem rerum, quæ erant in hoc orbe, jure excipiebantur omnes, cum nulla esset, qua non abutebantur idololatræ. „ Proinde (inquit) „ & similitudinem vetans fieri omnium, quæ „ in cœlo, & in terra, & in aquis, ostendit „ & causas, idololatriæ scilicet substantiam „ cohibentes: subjicit enim: *Non adorabitis* „ *ea, neque servietis illis.* Serpentis autem æ- „ nei effigies postea præcepta MOYSI a Do- „ mino, non ad idololatriæ titulum pertine- „ bat, sed ad remediandos eos, qui serpen- „ tibus infestabantur. Et taceo de figura re- „ medii. Sic & Cherubim, & Seraphim aurea „ in arcæ figuratum exemplum, certe simplex „ ornamentum, accommodata suggestui longe „ diversas habendo causas ab idololatriæ con- „ ditione, ob quam similitudo prohibetur. „ Frequenter etiam, qui contra Iconoclastas egerunt, Græci præsertim, prohibitionem hanc, quoad divinam præcise naturam nulla figura exprimendam interpretabantur, veluti GERMANUS Cpolitanus in laudata, atque inter acta concilii VII. relata ad THOMAM Claudianopolitanum episcopum epistola: & S. JOANNES DAMASC. prima de imaginibus oratione, ne scilicet creaturam pro creatore adorarent. Unde pro Judæis, non pro christianis, dicit eam esse legem, quibus divina sit cognita natura, nulla figura, aut

L. IV. contra Cels. sum.

L. II. adv. Marcion. c. 22.

p. 309.

limitibus contracta: subditque: *Cum ille, qui in forma DEI existens, forma servi suscepta ad quantitatem qualitatemque sese contraxerit, ac corporis figuram induerit, tunc eum in tabellis exprime, & conspiciendum prabe, qui conspici voluit.*

Tr. cont. Iconolast. Non diffitebantur, ut idem nos docet, fuisse primis sæculis in ecclesia imagines, sed ceu reliquias gentilismi inter fideles habere non erubescebant. Cum nuspiam major religio hic, ac cautio fuerit servata merito, quam primis illis sæculis, ob periculum idem, quod in veteri testamento fuit; ne videretur immensus, aut incomprehensibilis DEUS a nobis etiam modo sensibili, & terreno accipi: *Act. XVII. 29.* *Non est existimandum*, inquit apostolus, *auro vel argento, vel lapidi artis sculptura, & cogitationi hominum divinum esse simile.* *L. VII.* Quare recte ORIGENES contra CELSUM de deorum apud gentiles imaginibus: „Ne imagines quidem eorum (ait) putamus „statuas, ut qui DEUM incorporeum, & „invisibilem nulla figura circumscribamus. „ *Can. 36.* Quo spectat celebris Illiberitanus canon: *Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Quod accipiendum videtur de DEI, aut CHRISTI imaginibus; congrua illis temporibus cautione, ne gentiles in templis nostris imagines videntes, eadem nos idolomania, ac ipsi, teneri existimarent. Atque vel hinc colligitur, fuisse eo tempore apud christianos imagines. Sed conjici videtur ex MINUCII FELICIS OCTAVIO pro disciplina arcani non palam fuisse: *Cur nullas aras habent christiani, templa nulla, nulla nota simulacra?* Acute autem ibidem

ibidem CÆCILIUM delusit MINUCIUS ob S. Crucis cultum: *Cruces*, inquit, *nec colimus*, *nec optamus*. Id autem tunc maxime cautum, ne divinitatis imago fieret sensibilis: *Apud nos autem*, inquit S. CLEMENS ALEXAND. in cohortatione ad gentes, *haud quidem e sensibili materia sensile simulacrum*; *sed quod sola mente percipitur est DEUS*, *qui solus vere DEUS est*.

Non ita aliæ humanæ, CHRISTI etiam, imagines offensioni esse poterunt, sed tantum superstitiosæ quarundam sectarum. Sic Carpocratiani, teste IRENÆO, pictas, sculptasque CHRISTI habebant imagines, quas a PILATO factas asserebant: in quibus id tantum carpit, quod eas cum imaginibus gentilium ad superstitiosas observationes adhiberent; ut nihil dicam, quod de ALEXANDRO SEVERO LAMPRIDIUS narrat in larariis principum gentilium effigiem CHRISTI esse asservatam. Nec pro asserto ponam, quod THEODORUS lector commemorat de imagine DEIparæ, quam LUCAS evangelista pinxisse ferebatur, atque EUDOCIA ab urbe Hierosolymitana ad PULCHERIAM misit. Et EUSEBIUS memorat, apostolorum PETRI & PAULI, CHRISTIque ipsius pictas imagines ad suam usque memoriam vidisse.

L. I. c. 25. *c. 29.* *L. I. hist.* *L. VII. c. 18.*

Dicit hoc de celebri Syrophœnissæ statua agens. De qua alii etiam historici SOZOMENUS, RUFFINUS, & PHILOSTORGIUS, qui testatur, in diaconicum ecclesiæ fuisse translatam. Continebat autem memoriam a CHRISTO fluxu sanguinis liberatæ mulieris, quæ hoc beneficium ad posteros transmiserit statua ænea, ubi ad pedes

L. V. c. 21. *L. VII. c. 14.* *L. VII. c. 3. hist.*

imaginis CHRISTI ipsa prona jacebat. Ea postea sub JULIANO Apost. in frusta confracta, reliquiis etiam, teste PHILOSTORGIO, religiose servatis. Et SOZOMENUS addit, cum JULIANUS suam statuam loco JESU Christi substitueret, fulmen caput, & medium discississe pectus, trunco usque ad sua tempora adusto adhuc subsistente. Occurrit apud TERTULLIANUM mentio imaginis CHRISTI ovem perditam in humero portantis in calicibus depictæ. Et CLEMENS Alex. designat, quasnam figuras a superstitionibus alienas annulis insigere debeant, columbæ, piscis, navis remigantis, citharæ, neutiquam idolorum, quod ad superstitionem declinandam potius, quam cultum pertinet, nisi symbolicum, qui non admodum abludit a cultu relativo, quem urgemus.

De pudicit. 7.

Pædag. L. III. c. 11.

Sed semper præ oculis habendum, modum hujus cultus a disciplina ecclesiæ pendere pro temporum ac locorum conditione. Quin imo fratres Walenburgenses pronunciant: „ Catholicum salvari posse, qui nunquam sanctos invocat, qui nunquam reliquias, aut sanctorum imagines veneratur, imo qui in animum induxit, nunquam ad sanctos, sed ad solum CHRISTUM, & DEUM confugere. „ Citat in eandem prope sententiam SUAREZIUM, PETAVIUM, THOMASINUM, BELLARMINUM, Nicol. SANDERUM, Nat. ALEXANDRUM. Bened. BACHINIUS abbas Cassinensis, dum censores Romani in approbandis illius epistolis polemicis adversus Jac. PICENINUM hoc assertum retineret. Quod accipiendum est juxta statuta, praxin, & munia

Tr. IV. de unit. eccl. c. 40. n. 4.

nia ecclesiastica cuique incumbentia. *Vid. conc. Trid. sess. XXV.*

§. XLII.

Imaginum usus in ecclesia, ac veneratio, decrescente idololatria, in cultu publico sensuque humano crevit paulatim, ac effloruit. Usus earum primum parcior.

Martyrum certamina, ac gloriosos triumphos picturis celebrare antiquissimus in ecclesia fuit mos. Ex homilia GREGORII NISSÆN. de S. THEODORO M. id palam est: *Fortia facta martyris*, inquit, *repugnantias, cruciatus, efferatas, & immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem, beatissimam consummationem athletæ, certaminum præsidis CHRISTI humana formæ effigiem, omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificio depingens, certamina, atque labores martyris nobis expressit.* S. ASTERIUS, qui ad finem sæculi IV. vixit, martyrium S. EUPHEMIÆ ex pictura didicit, proque concione fidelibus exposuit insigni sermone, quem per expansum Nicænum II. concilium actione quarta & sexta descripsit. PRUDENTIUS similiter S. CASSIANI M. triumphum carmine, ut in pictura descriptum accepit, celebravit. Fuerunt tamen adhuc, qui hic de periculo non vane nonnunquam timuerunt, caveruntque, abusum reformidantes haud dubie, & tollere studentes. Taceo superstitionem etiam paganorum, & Judæorum ad statuam ABRAHAMI angelos suscipientis annuatim concurrentium, quam CON-

p. 579. *Hom.* 11. *T. VII. conc. p.* 739. 855. *Hym* 9. *de coronis.*

L. I. c. 4. STANTINUS, teste SOZOMENO, sustulit. Et quod OPTATUS MILEV. refert
L. III. contra Parmen. de PAULO, & MACARIO, qui dicebantur venturi, *ut interessent sacrificio*, & cum altaria solemniter aptarentur, proferrent imaginem, quam primo in altari ponerent, & sic sacrificium offerretur, quo rumore ita perculsi sunt animi, ut sacrificium velut *Sacrilegum*, ac detestandum aversarentur. *Sed compertum est falsum fuisse rumorem.* Fuitque potius Donatistarum calumnia, quam etiam S.
Ep. 48. *V. E.* AUGUSTINUS innuit: *Visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perfecta est.*
Baron. ad an. 348. §. 35. Quidquid vero sit, imaginem hanc MABILLONIUS, & alii potius CONSTANTIS imperatoris, quam aliquam sacram imaginem fuisse haud abs re conjiciunt. Atque inde etiam, ex honore nimirum regum vel imperatorum imaginibus exhiberi solito, quæ coronis ornabantur, celebrabantur ludi, apud easque jus asyli erat &c. argumentum dudum S. JO. DAMASC. ad confirmandum sacrarum imaginum cultum desumebat, adducta etiam S. CYRILLI HIEROSOL. auctoritate; quo loco tamen de viva potius DEI
Catech. XII. n. 5. imagine agit his verbis: *Lignea terreni regis imago honoratur, quanto magis rationabilis imago DEI?* Extat epistola EUSE-
Apud Boivin. not. in Gregor. p. 795. BII ad CONSTANTIAM CONSTANTINI sororem de tabula nescio qua a fœmina per vias ostentata, ubi habitu philosophico duæ repræsentabantur imagines, quas illa PAULI, ac JESU CHRISTI asseverabat, cupiebatque CONSTANTIA sibi ab EUSEBIO mitti. Quod ille faciendum haud duxit, piam fœminam ab imaginibus abducere ad ipsum prototypon conatus.

tus. Quod Iconoclastæ proferebant argumentum, a patribus autem synodi Nicænæ II. levi brachio rejiciebatur, ceu profectum ab hæretico Arianæ scilicet factionis. Sed spectatis rei circumstantiis, ac temporum illorum, quando adhuc paganicæ superstitionis reliquiæ poterant in transversum agere mentes, & sensus etiam fidelium, non imprudens consilium EUSEBII videri queat. Veluti etiam quod S. EPIPHANIUS egisse se memorat in epistola ad JOANNEM episcopum Hierosolymitanum, a S. HIERONYMO Latine reddita, de imagine quadam in villa Palæstinæ Anablatha: „ Inveni „ ibi (sunt EPIPHANII verba) velum „ pendens in foribus ejusdem ecclesiæ tin- „ ctum, atque depictum, & habens imaginem „ quasi CHRISTI vel sancti cujusdam. Non enim „ satis memini, cujus imago fuerit. Cum er- „ go hoc vidissem, in ecclesia contra aucto- „ ritatem scripturarum hominis pendere ima- „ ginem, scidi illud, & magis dedi consilium „ custodibus ejus loci, ut pauperem mortuum „ eo obvolverent, & efferrent. „ Quod factum displicuisse loci incolis ipse testatur. In concilio Nicæno VII. suspecta fuit hæc epistola ab Iconoclastis prolata. S. JO. DAMASCENUS hoc ob superstitiosum cultum ab eo factum existimat, quemadmodum S. ATHANASIUS hujusmodi honores reliquiis sanctorum in Æpypto impensos improbavit. Certe in libris de hæresibus S. EPIPHANII nuspiam aliquid contra imagines occurrit, ipsique S. EPIPHANII discipuli in ecclesia ejus nomine extructa inter alias picturas etiam S. EPIPHANII imaginem posuerunt. Videtur colligi posse ex allatis S. EPIPHA-

T. VII. conc. p. 495. 498.

Ep. inter Hieron. 110.

Orat. I. de imaginibus.

NII verbis, ipsam imaginem non satis piam ac congruam fuisse. Quod accidisse ex THEODORO lectore patet sub GENNADIO Cpolitano, pictoris cujusdam manu ideo exarente: *Qui loco Jovis servatorem pingere præsumserat, quem GENNADIUS precibus suis curavit:* Dicit autem qui ista scribit, *aliam formam servatoris veritati magis consonam esse, quæ crispis sit, & modicis capillis.*

L. I. hist.

Ita religio servabatur in imaginibus CHRISTI, & sanctorum pingi solitis. Quod tunc frequenter fuit factum etiam domesticis in oratoriis teste S. EPHREM. Et ex chronico JOSUE STYLITÆ apud ASEMANNUM discimus pietatem ALEXANDRI præfecti Edesseni an. 497. qui prope granarium crucis imaginem fieri curavit, ad quam succensis 5. lampadibus operarii diebus dominicis devotioni vacarent. Privati quique Romæ in suis domibus parvas SIMEONIS STYLITÆ habebant statuas, ut THEODORETUS refert.

Ep. ad Jo. monach. *T. I. bibl. orient. p. 267.*

Vit. PP. p. 882.

Quoad picturas ecclesiarum imprimis S. PAULINI pietas hic enituit, ut ipse testatur:

Nat. IX. S. Felicis.

Propterea visum nobis opus utile, totis
Felicibus domibus pictura illudere sancta;
Si forte attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra &c.

Et ad SEVERUM scribens carmina etiam jungit picturis apposita in baptisterio:

Adstat perfectæ MARTINUS regula vitæ:
PAULINUS veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

SUL-

SULPICIUS SEV. in baptisterio imagines S. MARTINI & PAULINI adhuc viventis depingi curaverat, quod de sua improbat sanctus ille ac humilis præsul, atque carmine isto discrimen luculentum ejusmodi imaginum designat. Alioquin autem idem præter imagines sanctorum, ipsius etiam sanctissimæ Trinitatis Patrem vocis de cœlo delapsæ, CHRISTUM sub agni, ac Spiritum sanctum columbæ specie, historiasque e sacris scripturis pingi curavit. Cujus usus etiam S. AUGUSTINUS meminit de consensu evangelistarum: qui alibi superstitionem hic pronam damnat: „Novi (inquit) multos esse „ sepulchrorum, & picturarum adoratores: „ novi multos esse, qui luxuriosissime super „ mortuos bibant, & epulas cadaveribus ex- „ hibentes, super sepultos seipsos sepeliant, „ & voracitates, ebrietatesque suas deputent „ religioni. „ Hoc pius quisque ac religiosus indignatur, sanctum autem usum idem sanctus doctor pro merito collaudat, & ex devoto pectore pias depromit voces de pictura quadam S. STEPHANI: „ Dulcissima pictura „ est hæc, ubi videtis S. STEPHANUM „ lapidari, videtis SAULUM lapidantium „ vestimenta servantem. „ S. NILI insignes duæ sunt lectæ in concilio Nicæno II. de picturis, & imaginibus in ecclesiis epistolæ, ad pietatem, & religionem compositis: ubi etiam votum senis cujusdam commemorat filium captivum auxilio præsentaneo S. PLATONIS martyris conterranei recuperantem insigni miraculo parenti restitutum: *En de repente noster PLATO in equo vectus instat, atque oculis occurrens, & una secum alium equum a vectoribus vacuum ducens, puero pervigili*

Ep. 32.

L. I. c. 10. *&* 11.

De mor. eccl. cath. L. I. n. 75.

Ser. 316.

L. IV. ep. 61. 62.

L. IV. ep. 61.

li patet, cujus sancti effigiem planissime cognoscebat, in imaginibus sæpissime perspectam; statimque illi præcipit, ut e medio omnium assurgens equum accipiat, illique insideat, & repentine araneæ instar vincula dissoluta sunt, & solus ipse per invocationem in libertatem vindicatus. ANASTASIUS SYNAITA apud JOANNEM DAMASC. refert divinam vindictam in Saraceno, sagittam in imaginem S. THEODORI contorquente, cujus humerum dextrum perforavit, statimque sanguis scaturiens ad imam partem decidit, cunctis prodigium, quod acciderat, sagittamque humero sancti infixam, ac cruorem manantem contuentibus. Testes adhuc superstites erant, ipseque sanctus imaginem vidit, *& re considerata hanc in scriptis retulit*, ut loquitur. Similem historiam de Judæo refert S. GREGORIUS TURON. Qui plura testimonia habet de picturis, & imaginibus in ecclesiis, quorum aliqua cum aliis MABILLONIUS refert, atque ex eodem alibi confirmat usum historias sacras primorum christianorum, sanctorumque virorum tumulis apponentium, *de cultu sanctorum ignotorum* etiam declarans, quæ, & quatenus sanctitatis ac martyrii sint indices.

Orat. 3. de Imagin.

De glor. MM. c. 22.

De lit. Gall. L. I. c. 8. It. L. III. n. 16.

§. XLIII.

Frustra ejectus ab Iconoclastis in oriente.

Incentoribus Judæis, atque Saracenis in oriente Iconoclastarum furor impiorum imperatorum in pseudo-synodo Cpolitana potentia suffultus, piis tamen studiis ac zelo orthodoxorum, auctoritateque concilii

cilii œcumenici VII. repreſſus, ſtetit religioſus imaginum cultus.

„ Permiſſo, atque propagato imaginum „ uſu (ſunt verba MABILLONII) ex præ- „ concepto CHRISTI Domini, ſanctiſſimæ „ ejus Matris, aliorumque ſanctorum amore „ facile inducti ſunt fideles tum ad ornandas, „ & nitide habendas eorum imagines, decen- „ tique loco exponendas, tum ad eos exe- „ crandos, qui eas contemtui, ac ludibrio „ habuiſſent. Hoc autem ſtudio non ſolum af- „ fecta eſt rudis ac religioſa plebs, ſed e- „ tiam eccleſiæ paſtores, & epiſcopi eas hoc „ præcipue nomine probaverunt, quod & idio- „ tis eſſent librorum loco, ad diſcenda CHRI- „ STI Domini, atque ſanctorum ejus egregia „ facta, & quibusque utiles ad memoriam eo- „ rum refricandam. Et quidem hæc fere pri- „ ma fuit priſcæ eccleſiæ religio in imagines „ ſacras. Deinde ventum eſt ad oſcula, ad „ ſalutationes, ad geniculationes, thuris, & „ thymiamatis ſuffitum, cereorumque accen- „ ſiones: quæ omnia primum quidam ut ſu- „ perſtitionis germina averſari, alii tolerare „ tanquam rudis ſimplicitatis facta, alii de- „ nique ut ſinceræ pietatis officia probare, mo- „ do animus in exemplaria dirigeretur. „ Tum refert, quomodo accenſus ſit Iconoclaſtarum furor, ac immanitas. Id quod articulatim THEOPHANES proſequitur, quemadmodum Judæi Califæ YEZID perſuaſerint, deſtructis, in eccleſiis chriſtianorum, picturis omnibus, ſive in muris ſive in ſacris vaſibus, ac ornamentis altaris felix ac diuturnum fore imperatoris regnum. Cui is promiſſioni fidem adhibens, litteras per ſuum imperium dedit, quibus

Præf. I. in ſæc. IV. O. S. B. §. 3.

Chronogr. p. 267. & ſeq.

quibus picturæ omnes non solum in ecclesiis, verum etiam locis publicis ad urbium ornamentum delerentur. Paucis postea annis LEO
An. 724. ISAURICIUS perculsus funestis in mari casibus, quos impie pro iræ divinæ argumentis habuit, ob cultum imaginibus CHRISTI, & sanctorum præstitum, ita a Muselmannis persuasus, coacta populi concione palam cultum imaginum idololatriam proclamavit, ac de-
An. 730. cretum postea contra imagines edidit, & imagines diruendi in vestibulo magni palatii ipse primus exemplum dedit. Quem filius CONSTANTINUS COPRONYMUS postea etiam impietate superavit, contemtu sanctorum ac ipsius CHRISTI JESU. Is Cpoli
An. 754. concilium in palatio, 339. episcoporum, congregavit, ubi anathema dictum cunctis imagines adorantibus.

Strenue se tunc opposuit S. GERMANUS patriarcha Cpolitanus, & Romani pontifices GREGORIUS II. III. & IV. Et postea NICEPHORUS, cum LEO Armenus catholicos dire persequeretur, instigato etiam JOANNE quodam cum promissione patriarchatus Cpolitani. Et cum NICEPHORUS in concilio episcoporum an. 814. causam catholicam strenue ageret, iratus LEO ei THEODOTUM subrogavit, qui cum factione Iconoclastica sequenti anno conciliabulo habito furorem tum in imagines, cum in earum defensores renovavit. At causam catholicam inter alios strenue egerunt ANDREAS Cretensis, SS. JOANNES DAMASC. MAXIMUS, THEODORUS STUDITA, STEPHANUS Byzantinus, CHRISTOPHORUS Alexandr. &c. quorum extant eam in rem scripta, ac insectationes contra

Sarace-

Saracenos, & christianos Iconoclastas. Imprimis vero veterum etiam monumenta in actis concilii Nic. II. sub IRENE, & CONSTANTINO Impp. ac THARASIO patriarcha, ubi fides & doctrina ecclesiæ circa cultum imaginum est definita his conceptis verbis: *Definimus in omni certitudine, ac diligentia, sicut figuram pretiosæ, ac vivificæ crucis, ita venerabiles, ac sanctas imagines proponendas, tanquam de coloribus, & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis DEI ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, & viis: tam videlicet imaginem Domini DEI, & salvatoris nostri JESU Christi, quam intemeratæ dominæ nostræ sanctæ DEI genitricis, honorabiliumque angelorum, & omnium sanctorum simul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad prototyporum memoriam, & desiderium, & ad osculum & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impartiendam: ita ut istis sicuti figuræ pretiosæ, & vivificæ crucis, & sanctis evangeliis, & reliquiis sacris, monumentis incensorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum (πρωτότυπον) transit: & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet sanctorum patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ catholicæ ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit*

T. VII. conc. p. 555.

scepit

ſcepit evangelium Hæc in aliis deinceps conciliis orientalibus, etiam Cpolitano IV. ſeſs. VIII. contra THEODORUM CRITHINUM, qui præceptum CHRISTI urgebat, ſunt confirmata, ut in principiis theologiæ dogmaticæ expoſui; indeque multo illuſtrior factus eſt in oriente imaginum cultus; licet non penitus Iconoclaſtæ ſtatim ſint exterminati, contra quos adhuc PHOTIUS inſigni epiſtola 64. depugnandum habuit.

§. XLIV.

Et occidente.

In Galliis quidem, & alibi in occidente male acceptum decretum concilii Nicæni II. eſt, ſalva tamen fidei unitate, contra Iconoclaſtam CLAUDIUM *Taurinenſem* ſtrenue defenſo dogmate de imaginum cultu.

De Romanis pontificibus jam diximus imperatoribus Iconoclaſtis ſeſe opponentibus Romæ etiam, antequam in concilio Nic. II. cultus imaginum ſtabiliretur, habitis eam in rem conciliis. Cujusmodi ſub GREGORIO III. an. 732. celebratum fuit, ubi ſtatuitur, ut, quicunque morem eccleſiæ contemneret circa venerationem imaginum, ſive eas tollendo, deſtruendo, profanando, ſive contemtim loquendo, privatus corpore, & ſanguine Domini, ſeparatusque communione eccleſiaſtica exiſteret. Cui decreto omnes ſubſcripſerunt qui aderant epiſcopi 93. cum presbyteris, diaconis, univerſoque clero Romano, ac nobilibus conſulibus, reliquoque populo, junctis etiam auctoritatibus præcedentium pontificum, ut ex ANASTASIO biblio-

bibliothecario, actis deperditis, cognoscimus: qui nihil dicit de concilio sub GREGORIO II. eandem in rem habito, de quo ADRIANUS P. in epistola ad CAROLUM M. testatur, rationes etiam, & auctoritates in medium proferens, quibus usus sit GREGORIUS II. ad demonstrandum antiquum, & legitimum cultus imaginum in ecclesia usum. Meminitque idem concilii sub STEPHANO P. pariter pro defensione imaginum habiti. Approbaverat ADRIANUS P. ac confirmaverat, teste ANASTASIO, acta concilii Nicæni II. eaque ad CAROLUM M. & alios ecclesiæ Latinæ principes transmisit. Episcopi Galli offensi voce προσκυνήσεως seu adorationis, querelas suas apud CAROLUM deposuerunt. Qui negotium commisit nonnullis colligendi capitula quædam ex sanctis patribus de cultu imaginum, unde enatum est opus in quatuor libros divisum, quos Carolinos vocant, concilio Nicæno II. oppositum, ac si ab avita Romanæ ecclesiæ traditione deviasset, ad quod ADRIANUS P. articulatim respondit. Nihilominus paucis post annis congregata in causa potissimum FELICIS Urgelitani synodo Francofordiensi an. 794. rejecta est Nicæna II. synodus: *Quam*, ajunt patres, *de adorandis imaginibus Cpoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus sanctorum ita ut deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi patres, omnimodis adorationem, & servitium renuentes, contemserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

T. VII. conc. p. 29. 30.

Cap. 2.

Qui allatum mox concilii II. Nicæni decretum fidei legerint, facile intelligent, aut

non habuisse præ oculis, aut ignoratione linguæ Græcæ, vel malefida interpretatione deceptos fuisse Patres: cum tam expressis verbis latriæ cultus excipiatur, ac generalis vocis προσκυνήσεως significatus determinetur. Auctor tractatus Gallici de studio conciliorum errore facti in eo deceptos putat PP. Francofordienses, & auctores etiam librorum Carolinorum, quod non relativum tantum, sed etiam absolutum cultum tribuendum a Patribus Nicænis decerni falso existimaverint. Vultque distingui *jus*, & *factum* in decisione Nicæna: jus, id est, quod honorari possint imagines, dogma spectare, quod in dubium vocari nequeat, nisi quis hæreticus esse velit. Quæstionem autem facti in eo versari, an reapse honorari imagines debeant, an non, quod ad disciplinam spectet, & consequenter resistentem non ideo hæreticum constitui, sed ad summum schismaticum, Patres Francofordienses quæstionem juris non attigisse, sed solum quæstionem facti; res autem disciplinæ variationem accipere secundum diversos mores, ac usus locorum. Imagines esse fractas in oriente jussu CONSTANTINI COPRONYMI; opus ergo fuisse imagines restaurare, & populorum exponi venerationi, qualis necessitas in occidente haud fuerit, ubi imagines profanatæ haud sint. Patribus ergo Francofordiensibus causas fuisse opponendi sese cultui imaginum, qui ipsis novus videbatur, quod Alemanni, qui concilio adfuerunt, recens essent adducti ad fidem catholicam per S. BONIFACIUM archiepiscopum Moguntinum sub PIPINO patre CAROLI M. qui timerent, ne neophyti isti facile in idololatriam intuitu imaginum relabe-

P. II. c. 1. p. 138.

relaberentur; unde contenti fuerint monendo, ne profanarentur, aut frangerentur imagines, quin ad eas honorandas adstringerent. Conveniunt hæc illis, quæ paulo ante diximus, & paulo post acciderunt. Anno dein, ut refert MABILLONIUS, DCCCXXIV. legati MICHAELIS & THEOPHILI imperatorum ex oriente ad LUDOVICUM augustum missi traditis divalibus litteris exposuerunt intempestivum (ut ferebant) Græcorum studium in sanctas imagines, quod scilicet sanctas cruces de templis expellerent, & earum loco pictas imagines statuerent, accenderentque lucernas coram eis, simul & incensum adolerent, quod eas psallendo adorarent, atque ab eisdem imaginibus auxilium peterent, easque filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices facerent. Quin etiam addebant, quosdam sacerdotum colores de imaginibus erasos miscere vino, & oblationibus sacris, & ex hac oblatione post missarum solemnia fidelibus communionem sacram porrigere, aliaque multa id genus superstitiose patrari. LUDOVICUS his litteris commotus petita licentia ab EUGENIO P. Episcoporum conventum Lutetiam Parisiorum indixit, in quo conditus est alius libellus ad probandum, retinendas quidem imagines, at nullatenus adorandas esse, ullove superstitioso cultu adorandas. Alios hujusmodi abusus ex relatione MICHAELIS imperatoris ad eundem LUDOVICUM PIUM lecta in synodo Pariensi epistola, AGOBARDUS memorat in tractatu de imaginibus, quibus episcopos Gallos a cultu hoc alienarunt. Cum primum acta hujus concilii separatim Francofurti an. 1596. apud hæredes ANDREÆ

Præf. I. in sæc. IV. O. S. B. §. 3. n. 21.

WECHELII ederentur, BELLARMINUS edito ſcripto ea ſuppoſititia judicavit. Quod ſcriptum LABBÆUS refert, contentus collectioni ſuæ epiſtolam LUDOVICI imperatoris ad EUGENIUM II. & inſtructionem pro JEREMIA Senenſi, & JONA Aurelianenſi inſerere. Quem pariter HARDUINUS eſt ſecutus, addita nota SIRMONDI de eo concilio. Ex cujus actis conſtat, ſuperſtitionem potius, quam moderatum cultum damnari; nihil autem minus quam furorem Iconoclaſtarum probari.

T. VII. conc. p. 1543.

Certe cum eo tempore CLAUDIUS Taurinenſis (ut poſtea LEUDARDUS, qui ineunte ſæculo undecimo teſte RUDOLPHO GLABRO, crucem unacum imagine crucifixi confregit in diœceſi Cabilonenſi) in ſua diœceſi furorem Iconoclaſtarum imitaretur deſtruendo, confringendoque imagines, etiam ſanctam crucem, mox ſe THEODEMIRUS oppoſuit, & cum CLAUDIUS apologiam ederet, DUNGALUS recluſus eam refutavit, ac JONAS Aurelianenſis, qui unacum HIEREMIA ad pontificem EUGENIUM paulo ante miſſi fuerant ob ſynodum Pariſienſem, de qua modo diximus. Sed necdum fuit eadem omnium de cultu imaginum ſententia, ac uſus conformis in occidente, & oriente uſque ad finem ſæculi noni, ut laudatus exponit MABILLONIUS.

§. XLV.

Quomodo etiam a Proteſtantibus.

Proteſtantes quidem communiter cultum damnant imaginum, non tamen uſum earum Lutherani, fru-

ſtra

ſtra medium ſe tenere jactantes contra unanimem orientis, & occidentis conſenſum, atque definitionem Tridentinam.

Peſſimi nos criminis idololatriæ accuſant Proteſtantes ob cultum imaginum, atque inde etiam cauſam immanitatis in catholicos exercendi ſumſerunt, dictitantes pœnam mortis in lege MOYSIS decretam contra Idololatras, ut vel Angliæ hiſtoria nos docet. Crudeliores fuerunt CALVINI ſectatores, qui duce CARLOSTADIO Iconoclaſta Wittenbergenſi, ipſo LUTHERO improbante, imaginum uſum omnem non ſolum ſuſtulerunt, verum etiam furorem veterum Iconoclaſtarum ſunt æmulati. Sed tamen æquiores etiam Proteſtantes blaſphemiam BEZÆ in colloquio Mombelgardenſi prolatam deteſtantur: *Fateor, me ex animo crucifixi deteſtari imaginem:* de quo dicto RICH. MON- T. I.
TECUTIUS in originibus eccleſ. *Impia in colloquio Mombelgard. BEZA locutus eſt. Contra profiteor, idque ex ſententia antiquitatis, & eccleſiæ Anglicanæ, ex animo imaginem crucifixi amplecti, & uſurpare.* Edidit DANHAUERUS an. 1665. *Iconotheten chriſtianum adiaphorum, libertatis vindicem medium inter idoloplaſten, idolicolam Tridentinum, & Iconoclaſten Mahometico-Puritanum.* Quo in libello probare nititur, Lutheranos mediam hac in controverſia tenuiſſe viam, ſecutos concilium Francofurtanum, quod ſynodi ſecundæ Nicænæ reprobavit canones; de quo mox diximus, deceptum eſſe in quæſtione facti: conſpirantibus hactenus in dogmate circa uſum, cultumque ima-

ginum, & praxi, ecclesia orientali, ac occidentali, licet schismate discissis: cum hactenus Calvinistis cum Lutheranis convenire non potuerit vel circa usum; licet alicubi Calvinistæ indulgentiores facti fuerint, & novissime D. de LOEN novam conciliationis formam effinxerit ratione imaginis crucifixi, quam Lutherani alicubi in suis ecclesiis erectam habent, atque in sepeliendis mortuis præferre solent: pro temperamento consulens, ut pia aliqua alia pictura de passione aut resurrectione super altare seu mensam appenderetur, quod facile reformati, artis pictoriæ amantes, ferrent. Quasi de hoc solum ageretur in conventibus christianorum religiosis. Sed facile huc reditur, quando religionis sensus amittitur in cultu & veneratione sacrarum rerum, quarum loco nos sacras imagines reputamus, secundum constantem ecclesiæ hactenus explicatam doctrinam, non obstante varia praxi quoad disciplinam, de qua jam diximus; non obstantibus etiam rudium, & simplicium abusibus, aut superstitionibus, qui forte in imaginibus ipsis nimium morantur, ac sistunt, ac si virtutem quandam inditam haberent suapte non relate ad ipsum prototypon, quod expresse in decreto concilii Tridentini excipitur, quod operæ pretium est coronidis loco afferre: *Imagines porro CHRISTI, DEIparæ virginis, & aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in*

Von Vereinigung der Protestanten. n. 7.

Sess. XXV.

idolis

idolis spem suam collocabant: sed quoniam bonos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, CHRISTUM adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

CAPUT III.

De veneratione locorum, & instrumentorum, imprimis crucis dominicæ.

§. XLVI.

Ipsa loca, ac instrumenta redemtionis nostræ per CHRISTUM in veneratione jugiter sunt habita: imprimis salutiferæ crucis trophæum a S. HELENA pie ac religiose erectum est.

Locorum & instrumentorũ, imprimis crucis dominicæ religiosa indagatio.

Non solum loca ipsa vitæ, & passionis dominicæ magno semper in honore fuerunt, sed terra etiam ac pulvis per orbem christianum longe lateque sparsus venerationem accepit. Testibus ONUPHRIO PANVINIO, & SEVERANO S. HELENA, CONSTANTINI M. mater, ex ejus terræ ingenti copia Romam allata sacellum sanctæ crucis, Jerusalem nomine, constravit, & ferme replevit. Nec solum S. AUGUSTINUS de Donatistis refert, quod terram ex oriente allatam adorarent, sed etiam fidelium pium

Mabillon. It. Ital. T. I. p. 185.

Ep. 52. L. XXII. de civ. D. c. 8. n. 6.

ſtudium alibi commemorat, & præſens auxilium contra dæmonum infeſtationes, & alia mala. *Acceperat autem*, narrat de HESPERIO viro tribunitio, *ab amico ſuo terram ſanctam de Jeroſolymis allatam, ubi ſepultus CHRISTUS die tertio reſurrexit, eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At ubi domus ejus ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reverentiæ cauſa habere nolebat. Forte accidit, ut ego, & collega tunc meus epiſcopus Syniteſis eccleſiæ MAXIMINUS in proximo eſſemus: ut veniremus rogavit, & venimus. Cumque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam poſſent chriſtiani ad celebranda, quæ DEI ſunt, congregari. Non reſtitimus, factum eſt. Erat ibi juvenis paralyticus ruſticanus; hoc audito petivit a parentibus ſuis, ut illum ad eum locum ſanctum non cunctanter adferrent. Quo cum fuiſſet allatus, oravit, atque inde continuo pedibus ſuis ſalvus abſceſſit.* GREGORIUS TUR. narrat, terræ hujusce particulas aqua ſolere conſpergi, & ex iis tortulas parvulas formari, ac per diverſas mundi partes transmitti, ex quibus plerumque infirmi ſanitatem hauriunt. Refert hæc MABILLONIUS de ejusmodi terra Jeroſolymis allata in media area cœmeterii Piſani, ubi intra horas quatuor & viginti quodlibet cadaver in eam receptum in cinerem olim redigebatur.

L. I. de gl. MM. c. 7.

L. c.

Sed ut de locis ipſis loquar, quoniam dirui debuit templum ac urbs Hieroſolyma ſolo æquata per VESPASIANUM primum, deinde

inde penitus per HADRIANUM, mirum non eſt, primis eccleſiæ ſæculis rariorem eſſe horumce ſacrorum monumentorum memoriam. At, ORIGENE teſte, „ Juxta evangelicam de nativitate ipſius hiſtoriam (verba „ ejus ſunt) oſtenditur apud Bethlehem ſpelunca, ubi natus, & in ea ſpelunca præſepe, ubi faſciis obvolutus eſt: &, quod oſtenditur, celebratum eſt etiam in locis infidelium, in ea ipſa ſpelunca natum eſſe „ JESUM, qui a chriſtianis adoratur „ Antiquiſſimum habetur *Itinerarium Burdegalenſe* inſcriptum ſub conſulatu DALMATII, & XENOPHILI an. CH. 333. Cujus auctor ignotus ſacra deſcribit loca, ac inſtrumenta quædam inter alia columnam, cui alligatus CHRISTUS fuit, cum virgis cæderetur: lapidem etiam memorat, ad quem oſculo JUDAS prodidit Dominum: arborem item, unde rami abſciſſi, cum CHRISTO obviam infantes Oſanna acclamarent &c. cujus etiam palmæ S. CYRILLUS HIEROS. meminit *Catech. X.* pariter ac ſpeluncæ, *Eam*, ait, *quæ tunc fuit ante Salvatoris monumenti oſtium ſpeluncam, ex eadem petra, ſicut hic in foribus monumentorum fieri ſolet, exciſam, nunc vero jam non apparet, eoquod præſentium ornamentorum inſtituendorum gratia, olim eraſa ſit anterior ſpelunca. Ante enim hanc monumenti ex regia magnificentia ſtructuram, erat ante petram ſpelunca.* De hac ſpelunca JUVENCUS:

L. I. cont. Celſum.

Catech. XIV. n. 9.

L. IV. hiſt. evang.

Limen concludunt immenſa volumina petræ.

PASCHASIUS RATBERTUS longam habet ſepulchri dominici deſcriptionem. S. CHRYSOSTOMUS hinc argumentum reſurrectionis corporum repetit. *Eſt utique*

L. II. in Matth. c. XXVII. 60.

Hom. 2. in act. apost. *L. III. de vita Const. c. 26.* *L. I. hist. c. 7.* *L. I. hist. c. 16.*

que, ait, *corporum resurrectio. Hoc declarat sepulcbrum Jerosolymis, nec non lignum, cui fuit alligatus, ut flagellis caderetur.* EUSEBIUS, RUFINUS, THEODORETUS &c. memorant conatum, ac studium paganorum, ut christianis eriperent hoc solatium, repleta sacra hac spelunca mole terræ, ac superstructa Veneris ara, qua diruta CONSTANTINUS ecclesiam, alias omnes splendore ac magnificentia superantem, construi fecerit. Quæ ea ipsa est, in qua laudatus S. CYRILLUS Hieros. est concionatus. Multa de hac ecclesia occurrunt apud S. BEDAM in libris de locis sanctis, quemadmodum & de aliis ecclesiis, quarum jam quatuor recensentur in itinerario Burdegalensi; sed nihil de illa, qualis apud S. BEDAM describitur in monte Oliveti, rotundæ formæ superius in medio absque tecto, in memoriam ascensionis dominicæ, cujus tunc adhuc vestigia superfuerint, quorum etiam apud veteres occurrit mentio; neutiquam vero calicis, quo usus sit in sacra cœna CHRISTUS, in qua spongia servetur, ex qua aceto potatus sit in cruce CHRISTUS, ac sudarii, quo caput CHRISTI in sepulchro fuerit tectum. S. GREGORIUS Turon. testatur, suo tempore calamum, spongiam unacum corona, ac lancea superfuisse. CASSIODORUS de urbe Hierosolyma inter alia commemorat: *Ibi lapis durissimus vestigia pii Redemtoris ostendit, quando ante PILATUM judicem constitit audiendus. Ibi columna religati in se Domini flagella testatur. Ibi spinea corona cernitur, quam ideo salutari Domino constat impositam, ut totius mundi aculei collecti frangerentur. Ibi*

L. I. hist. Franc. c. 123. *In Ps. 86.*

arundo

arundo servatur, quæ caput Domini percussit, ut ipsum esse initium rerum terris omnibus nuntiaret. Ibi crux illa salutis & gloriæ, loci reverentiam consecravit. Ibi manet lancea, quæ latus Domini transforavit, ut nobis illius medicina succurreret. Ibi credentes hodie ipsius sepulchra vivificant &c. Apud BEDAM laudatum etiam occurrit lancea, qua pectus CHRISTI Domini jam mortui perfossum est: quam postea christiani ad finem sæculi undecimi in urbe Antiochena a rege Persarum obsessi, atque ad extrema jam redacti, iterum repertam, eruptioneque facta unacum ligno salutiferæ crucis præferentes, hoste fugato urbem obsidione liberarint, ut refert GUIBERTUS de NOVIGENTO, atque duces ipsi cruciatæ in epistola ad URBANUM II. ubi LONGINUS vocatur centurio, qui lancea percussit pectus Domini. *Quidam vero narrant*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *hunc centurionem postea in fide roboratum martyrium fortiter subiisse.* In fragmento HUGONIS Floriac. occurrit linteamen, quo CHRISTUS in sepulchro involutus fuerit, datum a CAROLO CALVO urbi Compendiensi a se extructæ: item clavus, & pars spineæ coronæ, abbatiæ S. DIONYSII donota.

T. VII. spicil. p. 195.

Hom. 89. in Matth. De gest. regum Franc. a Martenio T. I. anecdot. p. 329.

Longe celeberrima est venerandæ ac vivificæ crucis inventio, omnium pœne veterum historicorum testimonio asserta, quos GRETSERUS *T. II.* operum longa serie recenset, tanta testium nube, ut mirum sit, potuisse adhuc a Protestantibus quibusdam lacessiri, quod nonnullis in circumstantiis auctores varient, atque EUSEBIUS non memine-

Ed. Ratisbon. 1734.

rit

rit de præstita pia opera in hac re S. HELENÆ matris CONSTANTINI, cui is tribuit locorum sacrorum repurgationem, exornationemque, magnificentissima, de qua diximus, extructa ecclesia in loco sepulturæ, resurrectionisque dominicæ: quique visione crucis dominicæ victoriæ divinam accepit promissionem, & crucis trophæum ubique erexit, lege etiam data ad abolendum crucis supplicium. Reliqui vero omnes inventæ crucis gloriam maximam S. HELENÆ tribuunt. Cujus eam ob rem laudes prolixe S. AMBROSIUS prosequitur in oratione funebri THEODOSII, ubi historiam inventæ S. Crucis refert. Atque RUFINUS testatur, „ divinis „ monitam visionibus idcirco Hierosolymam „ petiisse, cœlestique indicio locum designa„ tum accepisse. Ubi in altum purgatis ru„ deribus tres confuso ordine repererit cru„ ces. Aderat quidem (pergit) & titulus ille, „ qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis lit„ teris a PILATO fuerat conscriptus; sed „ nec ipse satis evidenter dominici prodebat „ signa patibuli. „ Tunc narrat, quomodo vera crux CHRISTI patuerit miraculo subito semimortuæ fœminæ integræ sanitati restitutæ. „ Sic evidenti indicio (inquit) regina „ voti compos effecta, templum mirificum in „ eo loco, in quo crucem repererat, regia „ ambitione construxit. Clavos quoque, qui„ bus corpus dominicum fuerat affixum, por„ tat ad filium, ex quibus ille frenos com„ posuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex „ aliis galeam, nihilominus belli usibus aptam, „ fertur armasse. Ligni vero ipsius salutaris „ partem detulit filio, partem vero thecis ar„ genteis conditam dereliquit in loco; quæ

L. III. de vit. Constant. c. 22.

Ll. hist. c. 7.

Ibid.

„ etiam

etiam nunc ad memoriam sollicita venera- „ tione servatur. „ Qua de re S. CYRILLUS publicum sæpe in suis catechesibus ea ipsa in ecclesia reddit testimonium. Difficultatem forte movet, quod secundum alios mortua fœmina ad vitam resuscitata indicium veræ crucis præbuerit, uti SULPITIUS SEV. narrat, & S. PAULINUS de eadem inventione sanctæ crucis perscribit *ep.* 31. ad SULPITIUM. Sed SOZOMENUS utrumque factum commemorat, qui in reliquis eodem, ac SOCRATES, modo rem enarrat, pariter ac THEODORETUS, ne quid de aliis recentioribus dicam, quos videre est apud laudatum GRETSERUM.

Catech. IV n. 10. X. n. 19. XIII. n. 4. L. II. hist.

L. II.

L. I. c. 17.

§. XLVII.

Salutifera hæc redemtionis nostræ instrumenta, sacrosanctam imprimis dominicam crucem pio utique cultu veneramur fideles christiani, ac adoramus sive lignum, sive imaginem sanctæ crucis.

Ac adoratio.

Illust. BOSSUET in epistola de adoratione crucis ad calcem T. I. opp. ed. Argentin. seu Venetæ *an.* 1736. ad neophytum quemdam, breviter, ac solide inter alia ad eam etiam Protestantium cavillationem respondet, qua non horrent indecentia quædam proferre, quæ a CHTISTO progressa sint, quæ pariter ergo sint adoranda. Sed auream ille ponit regulam, ea esse hujus adorationis digna objecta, quæ a CHRISTO pro nostri amore, ac salute prodierunt, veluti lacrymæ,

ac sanguinis guttæ, quæ alicubi asservantur: atque huc pertinent ea omnia, quæ fuerunt salutis nostræ instrumenta, imprimis salutifera crux. Ad cujus conspectum memoriam subit, quod in ea consummavit redemtionis nostræ opus CHRISTUS JESUS, atque sensu intimo animi affectus exurgit, quem adorabundi debemus redemtori nostro DEO & homini, dignam se æterno Patri offerenti hostiam, & sacrificium pro peccatis nostris. Hunc sensum exterioribus etiam omnibus contestamur adorationis signis, quæ debentur CHRISTO, & nos præstamus non lignum adorantes; sed regem in ligno nos redimentem, uti S. AMBROSIUS de S. HELENA laudata oratione in funere THEODOSII loquitur. Et S. HIERONYMUS de PAULA testatur, quomodo visitando loca sacra coram sancta cruce prostrata salvatorem adoraverit. EUSEBIUS vero testis est, undique terrarum confluxisse fideles, ut in locis sacris salvatorem adorarent.

Ep. ad Eustochium.

L. VI. c. 18. demonstrat.

Cruciarium Domini si non adorasti, periisti.
Et locus & tempus & persona tibi donatur
Nunc, si tamen credis: sin autem pro eo timebis,
Tempera te CHRISTO; & cervicem illi depone.
Isti honor remanet & tota fiducia rerum.

Ut vetustissimus auctor COMMODIANUS habet in suis instructionibus. De S. ANTONIO in ejus vita refert S. ATHANASIUS quomodo philosophos gentiles haud absimiliter ludentes de sacra cruce confuderit: *Hi cum rationem ab eo exigerent fidei*, ut EVAGRII habet versio, *quam in CHRISTO habe-*

T. 27. Bibl. PP. Lugd. p. 16.

T. I. P. II. p. 850.

habemus, & niterentur arguta sophismatum interrogatione de divina cruce eum eludere, in silentium paululum voce compressa primum eorum miseratus errorem est: deinde per interpretem, qui ejus verba diligentissime in Graecum solebat exprimere sermonem, ita exorsus est dicens: Quid pulchrius est, quidve honestius crucem colere (σταυρὸν ὁμολογεῖν) *an adulteria, parricidium, vel incestum his assignare, quos colitis: cum in altero sit contemtus mortis, insigne virtutum; in altero turpis religio, obscœnitatis magistra?* Generatim de cruce agit; sed eo modo, quo diximus, colendo sive in re, sive in signo ad CHRISTUM crucifixum assurgendo: quando præsertim ipsa illa crux præsens devotionis affectum excitat, in qua CHRISTUS pendens pro salute nostra mortuus est.

Atque inde fuit semper, quem commemoravi, confluxus ille ad loca sacra dominicæ passionis; inde illa religiosa vel minimarum illius particularum asservatio; inde publica ad cultum & adorationem expositio: quomodo ab antiquissimis temporibus semel saltem in anno, teste S. PAULINO laudata ad SULPITIUM epistola, summa religione populis adoranda est proposita ab episcopo, cum prius ipse adorasset. Quod is in paschate factum memorat, ex vita vero S. MARIÆ Ægyptiacæ in festo exaltationis factum colligitur. In descriptione terræ sanctæ ADAMNANI tres memorantur, quibus consequenter diebus ultimis ante pascha adorabatur, primo die ab imperatore & exercitu, & viris, altero ab imperatrice & matronis, tertio ab episcopis, & clero. Successu vero temporis ad populi vota, & devotionem sæpius id

Boll. ad 2. April. p. 17. §. 22. L. III.

id factum est, & quidem bis per hebdomadam teste S. GREGORIO Turonensi: *Crux dominica, quæ ab HELENA augusta reperta est Hierosolymis, quarta & sexta feria adoratur. Et clavos*, ut ait RUSTICUS diaconus Romanus, *quibus confixus est, & lignum venerabilis crucis omnis per totum mundum ecclesia absque ulla contradictione adorat.* Legi meretur insignis homilia GREGORII Nicomediensis in festo exaltationis S. Crucis, ubi inventionis S. Crucis per HELENAM meminit, & quomodo adorando crucem exterius, interius mente ad CHRISTUM Dominum assurgere debeamus ostendit.

De glor. MM. c. 5.

Cont. Acephalos T. X. Bibl. PP. p. 382.

T. I. Auctuarii p. 441.

Quod recte fit in quocunque signo salutiferæ crucis, quod memoriam revocat, atque mentem erigit ad CHRISTUM pro nobis in cruce passum. „ Usquequo compacta sunt duo ligna crucis (inquit LEONTIUS relatus in concilio II. Nicæno) „ adoro figuram propter CHRISTUM, „ qui in ipsa crucifixus est. Postquam autem ab invicem separata fuerint, projicio „ ea, & incendo, & sicut is, qui jussionem imperatoris suscepit, & salutavit, sigillum non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, sed imperatori adorationem impendit, & cultum, ita & nos „ christianorum pueri figuram crucis adorantes non naturam ligni adoramus, sed „ signum, & annulum, & characterem CHRISTI, eum aspicientes, per eum illum, qui „ in eo crucifixus est, salutamus, & adoramus &c. „ PETRUS ALPHONSI ex Judæo christianus sæc. XII. in dialogo contra Jud. c. 12. *Ante crucem genua flectentes nequa-*

In apol. cont. Jud.

T. XXI. Bibl. PP. p. 173.

nequaquam crucem illam aut imaginem superpositam, imo DEUM Patrem, & Filium suum JESUM Christum adoramus. Et synodus Atrebatensis contra Manichæos: *Glorificantes igitur crucem dominicam CHRISTUM quasi pendentem in ea mente invocamus. Quem vero invocamus, ipsum adoramus: prosternimur corpore ante crucem, mente DEUM.*

Sic ergo quo devotior, quo ferventior est animi affectus ad exterius signum præsertim in vera CHRISTI cruce, aut quando solemnior est illius, quod in cruce gestum est, mysterii commemoratio, recte etiam impenditur major exterior cultus: uti solemne est in die parasceves in universa ecclesia adorare crucem: „*Ad recordationem salutiferæ passionis dominicæ*, inquit JONAS Aurelianensis „ (quem nec illi circa cultum imaginum nimiæ „ arguent superstitionis, qui se doctrinam con- „ cilii Francofordiensis sequi profitentur, cujus „ ipse doctrinam in concilio Parisiensi est pro- „ secutus) *annuatim in sanctissimo die parasce-* „ *ves secundum traditionem ecclesiasticam cru-* „ *cem CHRISTI adorat, id est, supplican-* „ *do salutat, quæ etiam totum diffusa per or-* „ *bem in CHRISTI laudem prorumpens gra-* „ *tulabunda canit:* Crucem tuam adoramus „ Domine, & sanctam resurrectionem tuam „ laudamus, & glorificamus. *Et iterum:* Ecce „ lignum crucis, in quo salus mundi pepen- „ dit, venite adoremus. „ D. THOMAS sacræ cruci cultum latriæ tribuit, sed respectivum: quia nimirum unus est motus animi ad imaginem, & exemplar (sed non omnium theologorum est hæc sententia) qua de re BELLARMINUS legi meretur, qui mediam quandam init viam.

L. I. de imag.

O §. XLVIII.

§. XLVIII.

Ac conservatio ligni sanctæ crucis undique terrarum.

Sacræ crucis lignum diu saltem Hierosolymis integrum permansit, licet per orbem christianum undique dispergerentur pio fidelium studio particulæ.

Jam ex RUFINO didicimus, quod S. AMBROSIUS, SOCRATES, & THEODORETUS a nobis citati, & S. HIERONYMUS in c. 14. ZACHARIÆ, testantur, sacræ crucis partem ad filium CONSTANTINUM missam esse, quam GREGORIUS Tur. capiti statuæ CONSTANTINI insertam refert, aliam vero in mare Adriaticum missam ad sedandas tempestates; frenum nihilominus suo adhuc tempore superesse idem dicit, cujus virtutem contra dæmones JUTTINUS imperator sit expertus. S. CYRILLUS Hier. sæpius testatur, crucis ligno universum jam orbem in partes secto repletum esse. Et quidem catechesi XIII. de eodem crucis ligno, *Quod*, ait, *per particulas ex hoc loco per universum jam orbem distributum est.* Et catechesi X. *Sanctum crucis lignum, quod ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur; ac per eos, qui fide impellente ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum hinc jam opplevit.* Quibus verbis videtur miraculum innui, quo de S. PAULINUS sæpe laudata epistola: „Quæ quidem „crux in materia insensata vim vivam tenens „ita ex illo tempore innumeris pene quoti„die hominum votis lignum suum accommo„dat, ut detrimenta non sentiat, & quasi in„tacta

De glor. MM. c. 6.

Catech. IV. n. 10.

n. 4.

n. 19.

Ep. 31.

tacta permaneat quotidie dividua sumentibus, & semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem." Refert ibi, quam religiose custodita fuerit, ut præter annuam adorationem nunquam proferretur: "Nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur: quod solum episcopi beneficio obtineri ferunt: cujus & tantum munere de eadem cruce hæc minuta sacra ligni ad magnam fidei, & benedictionis gratiam haberi datur." Acceperat nimirum particulam sacræ crucis a JOANNE episcopo per MELANIAM transmissam. Qua aliquando incendii flammis imposita, mox illæ cessarunt, ut ipse testis est. Ex qua haud dubie THARASIA uxor BASSULÆ particulam miserat. S. GREGORIUS Niss. annulo inclusam ejusmodi particulam ingentis thesauri loco a sorore MACRINA defuncta accepit, ut ipse in vita illius testatur. Sæculo V. medio Romæ HILARIUS P. in oratorium basilicæ CONSTANTINI a sacra cruce dictum lignum veræ crucis in cruce auro & lapidibus ornata posuit. Et postea SYMMACHUS P. eidem oratorio crucem auream ornatam lapidibus donavit, in qua inclusum erat idem haud dubie lignum crucis dominicæ pretiosius instructum. S. AVITUS Viennensis ejusmodi thesaurum suæ ecclesiæ comparandi cupidus ad SYMMACHUM quidem scripsit ejus rei causa, sed ut ab episcopo Hierosolymitano petatur: *Etiamsi pignus reliquiarum*

Car. 25.

T. IV. conc. p. 1030.

Ep. 18.

sacræ crucis putamus esse vobiscum, a sancto tamen Æliæ urbis antistite hanc specialiter munificentiam credimus expetendam. Qui revera sacramenti istius veram & inviolabilem puritatem loci administratione conservans, sic desiderabili potens est impertire nos dono, ut ab omni cunctationis absolvat ambiguo. Quapropter de te plurimum pagina famulante deposco, ut ad præfatæ ecclesiæ sacerdotem litteras apostolatus vester tribuat portitori. Quod difficulter fieri tunc potuit sub ELIA patriarcha schismate communione discissa, a JOANNE demum successore ELIÆ sub HORMISDA redintegrata. Inter epistolas S. BERNARDI est 175. gratiarum actoria ad patriarcham Hierosolymitanum pro transmissa veræ crucis particula: quæ adhuc in Claravallensi monasterio servari dicitur.

Erat etiam in urbe Apamea insignis pars sanctæ crucis cubiti magnitudine teste PROCOPIO, in qua cives a COSROHE rege obsessi unice suam ad extrema redacti reposuerunt spem, unicum id solatii ab episcopo petentes, ut postremum eis ante mortem adhuc adorandam proferret. Custodia illius tribus presbyteris erat alias commissa: quemadmodum etiam Hierosolymis presbyter fuit, cui erat Σταυροφύλαξ nomen, ad custodiam sacræ crucis. Quod officii sub JOANNE S. CYRILLI successore S. PORPHYRIUS postea Gazensis episcopus, ut in ejus vita narratur, gessit. Et sub JUVENALI COSMAS memoratur celebris S. EUTHYMII discipulus eandem custodiam diaconus accepisse, ut apud BOLLANDUM habetur. ADAMNANUS testis est nobis apud GRETSERUM, & MABILLO-

De bello Pers. c. 5.

ad 20 Jan. p. 308. §. 40.

LONIUM, quam religiose Cpoli fuerit servata.

Descript. terræ S. L. III.

§. XLIX.

Crucis trophæum undique erigi cœpit, ac imagines exprimi, quando ecclesia sub principibus christianis in libertatem vindicata crux triumphat, a solis infidelibus, & hæreticis proscripta.

Idemque trophæũ in imaginibus ac signis.

GRETSERUS *Lib. IV.* de sancta cruce prolixe disquirit in tempus, quando cruces fieri cœptæ, & in templo collocatæ? Num tempore e. g. TERTULLIANI imago sacræ crucis in usu fuerit? Quando nimirum ecclesia pressa sub persecutoribus crux CHRISTI in martyribus resplenduit, tessera, ac nota militis christiani. Sic ASTERIUS in sermone de S. EUPHEMIA M. cum applausu in concilio Nicæno II. lecto habet: *Oranti illi apparet super caput ejus signum illud, quod christiani adorare, ac appingere solemne habent, putoque appetentis passionis symbolum.* At quod tunc fuit supplicii signum, postea sub imperatoribus christianis gloriæ fuit insigne undique conspicuum. Sic de CONSTANTINO refert EUSEBIUS in ejus vita, eum figuram crucis in diversis locis publicis urbis constitui curasse. In medio aulæ principis ingens erat tabula crucem continens lapidibus auro inclusis. In vestibulo altera erat, ubi imperator cum natis apparebat cruce super caput, & sub pedibus dracone hasta ventre dissecto, & in mare præcipitato. Legi

T. III. op.

Hom. 11.

L. III. c. 48. 49.

 potest

potest GRETSERUS de numismatis crucigeris VALENTINIANI, & VALENTIS, THEODOSII &c. De vexillo CONSTANTINI ea, quam in visione viderat, crucis forma, tum idem, cum alii scripserunt, quod deletum sub JULIANO, paulo post sub JOVINIANO ac VALENTINIANO restitutum est. NICOLAUS

n. 33. P. in consultationibus ad Bulgaros id etiam monet, ut loco caudæ equi cruce utantur in signis militaribus. *Vexilla militum*, inquit S.

Ep. 57. *ad Lætam.* HIERONYMUS, *crucis insignia sunt, regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat.* In vestibus nimirum, atque e collo suspensas passim portabant tunc christiani cruces, uti de MACRINA sorore testis est GREGORIUS NISS. post mortem demum esse sublatam crucem, cui annulus appendebat inclusa particula veræ crucis, quem sibi GREGORIUS elegit, crucis imagine VESTIANÆ relicta virgini, optionem episcopi probanti. In sublimitate baculi, quod nunc insigne est præcipuorum ecclesiæ præsulum, gestasse S. AUXENTIUS presbyter, ac abbas celeberrimus in

14. *Febr. p.* 772. §. 17. 25. *p.* 780. §. 57. Bithynia, apud BOLLANDUM memoratur, eo signo solitus morbos curare. Discipulus ejus SERGIUS, cujus cum insigni elogio fit mentio, cum noctem orando traduceret, per diem parvas cruces facere solebat, quas adventantibus distribuebat, eas cœlestis benedictionis loco accipientibus. Jam etiam occurrunt illa ætate, qui crucem super humerum gestabant, etiam in sacris conventibus, uti PALLADIUS testatur, atque ingenti crimini dat fidelibus in campo ob PORPHYRII insidias sacris operantibus supervenien-

te

te factione PORPHYRII etiam tremendum crucis ſignum conculcatum, quod fideles humeris geſtaſſent.

In templis aptus maxime ac dignus ſacræ cruci locus:

Cerne coronatam Domini ſuper atria CHRISTI
Stare crucem, duro ſpondentem celſa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Ut canit S. PAULINUS. Atria CHRISTI haud dubie altare ipſum ſunt, ubi digniſſimus eſt ſacro trophæo huic locus. Unde S. NILUS conſultus ab OLIMPIODORO, eccleſiam picturis ornaturo variis inter alia hinc inde crucibus, auctor fuit, ut unam ſolam in ſanctuario ſeu altari collocaret. Quo de S. PAULINUS loco citato: *Ep. 32. ad Severum.* *p. 204.*

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitis ſacra cum cruce martyribus,
Cuncta ſalutiferi coeunt martyria CHRISTI,
Crux, corpus, ſanguis, martyris ipſe DEUS.

Illuſtratur hic difficilis concilii II. Turonenſis locus: *Ut corpus Domini, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* *Can. 3.* „ Titulus crucis (inquit MABILLONIUS) ſignificat crucem ipſam, quæ ſuper „ altare pendere ſolebat, teſtante GREGO- „ RIO jam laudato in *lib.* 2. de miraculis S. „ JULIANI *c.* 43. Pendebat, inquit, ſu- „ per ipſum altare crux holocryſa eleganti o- „ pere facta. At quo in loco, quove modo „ crux ſuper altare penderet, adhuc obſcu- „ rum eſt. Quocirca operæ pretium eſt ſcire, „ apud antiquos morem fuiſſe, ut ſuper al- „ taria ſancta erigerentur ciboria, ſeu turri- „ *Diſſert. de azymo, c. 8.*

 „ culæ,

„ culæ, quatuor minimum columnis innixæ, „ quæ transversis in medium lineis adunatæ „ sustinebant crucem altaris medio responden„ tem; ex qua pendebat eucharistia sacra, va„ sculis seu columbis argenteis aureisve in„ clusa, nonnunquam etiam lapillis, quem „ certe modum præscribere videtur concilium „ Turonense. „ Aliis, inter hos HARDUINO, Domini corpus in altari titulo crucis est in crucis effigiem formamque componere, sacra nimirum symbola seu oblata, quæ hactenus in Græca, & Latina ecclesia solent crucis signum habere. Idem tamen titulum crucis, figuram, & effigiem crucis etiam intelligit; atque id testimonium veterum confirmat, maximeque ex S. PAULINO firmatur:

Carm. 30.

Ibis illabens pelago jacenti
Et rate armata titulo salutis
Victor antenna crucis ibis undis &c.

Natal. 11.

Quod de antenna dicit hic PAULINUS, alibi explicat:

Forma crucis gemina specie componitur & nunc
Antennæ speciem navalis imagine mali
Sive notam Græcis solitam signare trecentos
Explicat existens, cum stipite figitur uno
Quave cacumen habet transverso vecte vagatur.

Ad litteram T. alludit, quæ apud Græcos 300. faciat, atque crucis symbolum sit, cujus virtute ABRAHAM vicerit inimicos milites trecentos. Quæ explicatio communis ipsi est cum antiquis non paucis.

Quid de erectis undique locorum seu plantatis crucibus dicam, inde ab antiquissimis temporibus tam in oriente, quam occidente? Ubi quemadmodum in veneratione erant fide-

lium,

lium, ita infidelium rabiem non raro experiebantur divinitus vindicatam, aut manifesto miraculo declarata impietate, ut lancea aut sagitta percussa CHRISTI imagine veluti in cruce sanguis promanarit, uti jam exemplis docui, refertque inter alios S. GREGORIUS Turon. Et paulo post apparitionem factam presbytero narrat, ut crucifixi nudam imaginem tegat, quo honestati venerationique consuleretur. Unde creditur mos esse pingendi effingendique imagines cum perisomate, aut veste etiam talari a medio saltem corpore. Quales adhuc hodie multis in locis servantur imprimis a MARTENIO notatæ in itinere litterario. Ne quid de controversia dicam inter theologos de crufixo rege cum purpurea veste. Fuit Romæ sub BONIFACIO VIII. terribilis terræ motus an. 1016. in die parasceves post adorationem sac. crucis; pontifex certior factus, eodem tempore Judæos crucifixum excepisse ludibrio, reisque capitis damnatis, mox ventorum furor conquievit, teste ADAMARO in Chronico. ANASTASIUS abbas S. EUTHYMII in tractatu contra Judæos testatur, eos etiam ex ipsis christianorum monetis crucis imaginem conatos fuisse eradere, sed frustraneo conatu.

De glor. MM. c. 21.

T. II. Canis. lect. p. 15.

Inter christianos Iconoclastæ quidem crucis signum servabant, ac etiam venerabantur, sed sine crucifixi imagine, in eam etiam sævientes. De secta Cathizarianorum DEMETRIUS CIZICENUS apud COMBEFISIUM narrat, eos solam adorasse imaginem, inde nomen adepti, quod aliter ac christiani hunc cruci præstarent cultum, non ad CHRISTUM referendo, sive plus quam

T. II. auct. p. 262.

CHRISTUM ipsum honorando, quæ mortem intulerit CHRISTO. Sed eodem tempore BOGOMILI crucem cum contemtu
c. 23. rejiciebant, quos EUTHYMIUS in Panoplia notat. Et in tractatu contra Messalianos hos anathematizat, quod per ludibrium crucem furcam appellent. Et certe justa digni detestatione sunt omnes, qui crucis signum contemtui habent, in quo salus
T. 22 bibl. PP. p. 1135 T. V. anecdot. p. 1446. mundi pependit. PETRUS Venerabilis eundem errorem in Petrobrusianis execratur tractatu contra eos edito: cujus etiam insignis habetur sermo de veneratione reliquiarum apud MARTENIUM.

§. L.

Crucis etiam transeuntis.

Crucis signum transiens, palmis & manibus expressum, multo frequentissimum semper fuit inter officia sacra, & christiana, ac hujus vitæ quasvis actiones.

L. de coron. mil. c. 4. „ Ad omnem progressum (inquit TERTULLIANUS) atque promotum, ad omnem „ aditum & exitum, ad vestitum & calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, „ ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo „ terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules, scripturam nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & „ fides observatrix. „ Et in libro de oratio-
c. 18. ne: „ Nos vero non attollimus tantum (manus) sed etiam expandimus e dominica „ passione modulatum, & orantes confitemur

„ CHRI-

CHRISTO. „ Ubi designat orandi modum brachiis extensis in formam crucis composito corpore, de quo MINUCIUS FELIX aperte loquitur: *Crucis signum est, quum homo porrectis manibus DEUM pura mente veneratur.* Et ASTERIUS in fragmento de oratione apud PHOTIUM: *Rectas tendere in cœlum manus, formam est exhibere CHRISTI cruci affixi.* Ita orantem S. AMBROSIUM perstitisse donec efflaret animam PAULINUS in ejus vita testatur: *Ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orabat.* De S. CHRYSOSTOMO refert PALLADIUS, quod signans ἐπισφραγισμένῳ, os cruce, dictoque Amen post orationem, exspiraverit. S. HIERONYMUS idem incessanter fecisse moribundam PAULAM testatur. Similiter de S. MACRINA sorore testatur GREGORIUS NISS. in extrema hora, quod alias sæpe post orationem repetebat, & adhuc manum ori admoventem, ad idem faciendum signum, exspirasse. Sic S. GORGIAS M. confortans se signo crucis, teste S. BASILIO, vultu hilari, & fiducia pleno ictum mortis accepit. Frequenter hoc in actis martyrum occurrit, ut aut se aut tormenta, ea subituri, signo crucis signarint, robur inde accepturi. In actis S. THEODOTI apud BOLLANDUM legitur, socios, cum divinitus vocem audiissent THEODOTUM animantem ad pugnam, perterrefactos crucis signum suæ quemque impressisse fronti: indeque ab oriente apparentem crucem luminosam ceu fulgur conspicati, eam in partem conversi, flexis genibus orarunt repleti gaudio. Aliud exemplum

In Octavio p. 90.

Cod. 271.

p. 12.

Dial. de vit. Chrysost.

Ep. ad Eustochium.

Orat. funeb.

ad diem 18. Maji p. 157.

plum in actis S. ROMANI refertur sub JULIANO Apost. deceptis militibus christianis adolentibus imagini imperatoris, prope quam Jovis simul erat imago. Horum unus, ut refert THEODORETUS, cum postea bibens, salutare signum imprimeret, monitus a socio est, a fide christiana apostatæ id non competere, vehementer exterritus, cum aliis CHRISTUM palam confessus est. Fuit ergo hoc signum quotidianum, solitumque ad potum etiam ac cibum; uti quidem S. ATHANASIUS præscribit ter repetendum. Sed simul etiam professionis christianæ fuit tessera. Unde S. CYRILLUS Hieros. monet: *Ne nos igitur teneat verecundia, quo minus crucifixum confiteamur. In fronte confidenter, idque ad omnia, digitis crux pro signaculo efficiatur: dum panes edimus, & sorbemus pocula, in ingressibus, in egressibus, ante somnum, in dormiendo, & surgendo, eundo, & quiescendo.* S. EPHREM in Panoplia, seu armatura spirituali adhuc amplius videtur requirere: „Crucis signo te„ ipsum muni: signans eo membra tua om„ nia, & cor tuum, & ingressum tuum, & „ exitum tuum in omni tempore: sessionem „ quoque tuam, & resurrectionem tuam, & „ lectulum tuum, & quacunque pertransis si„ gna primum in nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus S.„ EVAGRIUS testatur, sese a MACARIO accepisse morem os crucis signo muniendi ad oscitandum, cujus sæpe dæmon sit auctor. MABILLONIUS ex WOLSTANO refert, cum hoc mulier quædam in Galliis facere neglexisset, subito morbo esse correptam in maxilla. S. CHRYSOSTOMUS monet id parentes, quod apprime

de Virginit. p. 118.
Catech. XIII. n. 36.
ap. Cotel. mon. Gr. T. III. p. 89. 90.
T. VI. act. p. 74.
Hom. in ep. 1. ad Cor.

apprime eſt inculcandum : *Ab ineunte ætate pueros ſpiritualibus armis munite, & docete eos manu frontem ſignare : etiam priusquam poſſint hoc facere, vos ipſi eis crucem imprimite.* S. AUGUSTINUS gratus id de ſua matre MONICA teſtatur, ſæpeque ſanctus doctor, cum lacte matris imbibens, gloriam ſac. crucis extollit. „ Et quod cum „ magna inſultatione (ait ſermone 88.) per- „ ſecutores Judæi Domino procurarunt, ma- „ gna fiducia ſervi ejus etiam reges in fron- „ te gerunt. „ De hoc ſigno in ſacris omnibus noſtris uſitatiſſimo ſic alibi loquitur : „ Quod „ ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus cre- „ dentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regene- „ rantur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil „ eorum rite perficitur. „ Et S. CHRYSOSTOMUS: *Sed crucem CHRISTI quaſi coronam circumferamus, per eam enim omnia, quæ ad nos ſpectant, perficiuntur. Si regenerari oportet, crux adeſt ; ſi myſtico illo cibo nutriri, ſi ordinari, & ſi quidvis aliud faciendum ubique nobis adeſt hoc victoriæ ſymbolum. Idcirco & domi, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte, & in mente illam cum multo ſtudio depingimus. Hoc quippe ſignum eſt noſtræ ſalutis, communis libertatis, & manſuetudinis Domini : ſicut ovis enim ad occiſionem ductus eſt. Cum igitur te ſignas, totum crucis argumentum cogita, extingue iram, omneſque pravos affectus. Cum te ſignas, multa fiducia frontem tuam reple, liberam facito animam.*

L. I. conf. c. 11.

c. 9.

Tr. 118. n. 5.

Hom. 54. in Matth.

Id ergo ex parte noſtra cogitandum, faciendumque eſt, dum crucis ſigno nos ſignamus, ne otioſe id fiat, & inutiliter, neque tamen ſalutaris iſta omittatur cura tantilli laboris,

boris, tantopere apud antiquos, ut vidimus frequentati, & longo sæculorum tractu continuo observati; quamvis paulatim videatur obsolevisse pius usus, ut deinceps doctores non tam de usu consueto testari potuerint, quam ad eum animum inflammare. Fuit etiam deinceps occasio, & necessitas ad tollendum errorem e. g. BEATO presbytero contra ELIPANDUM Toletanum: contra quem usum universalem fidelium signandi sese, ubicunque occasio tulerit vindicat, quem ELIPANDUS negasse videtur præludens errori CLAUDII Taurinensis: qui certe S. MAXIMUM Taurinensem secutus haud est in homiliis *de gratiarum actione*, ubi eandem, ac sancti patres, frequentiam signi crucis in fidelibus flagitat.

L. II. T. II. lect. Canis. p. 345.

§. LI.

Contra dæmones & quævis mala.

Præsens sacræ crucis virtus mirifica contra dæmones, & in periculis quibuscunque, ac necessitatibus hujus vitæ ac viæ fidelibus sese innumeris demonstravit exemplis.

Non semel, adhuc ferventibus persecutionibus, ac idololatria dominante, solo crucis signo omnis dæmoniaca virtus irrita evanuit. Refert ejusmodi exemplum LACTANTIUS de DIOCLETIANO immolante, atque in pecoribus ventura quærente. „ Tum „ quidam (inquit) ministrorum scientes Do„ minum, cum assisterent immolanti, impo„ suerunt frontibus suis immortale signum. „ Quo facto fugatis dæmonibus sacra turbata „ sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in „ extis

De morte persecut. p. 9.

extis notas videbant, & quasi non litasſent, ſæpius immolabant; verum identidem „ mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec „ magiſter ille aruſpicum Tagis, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait, idcirco non reſpondere „ ſacra, quod rebus divinis homines profani „ intereſſent. „ JULIANO Apost. refert THEODORETUS, dæmones grandem, cum eſſet conſulturus, incuſſiſſe timorem; qui cum veteri conſuetudine ad crucis ſignum recurriſſet, ſubito diſparuiſſe illuſionem omnem diabolicam, idque duabus conſequenter accidiſſe vicibus. S. GREGORIUS Naz. aliud ſed dubitanter refert, minusque credibile, in extis nimirum ſacrificanti JULIANO crucem corona circumcinctam apparuiſſe. Religioſius eſt, quod de S. JUSTINA apud PHOTIUM, & in ejus confeſſione habetur: CYPRIANUM omnem magicæ artis rationem incaſſum tentantem, violentiſſimos ac pernicioſiſſimos dæmones oppugnandæ virginis caſtitati immiſiſſe: hos vero pudore ſuffuſos victosque ſacræ crucis ſigno rejectos fuiſſe. S. ANTONIUS virtutem hanc ſalvificæ crucis gentilibus philoſophis ad ſe audiendum venientibus contra præſtigias & veneficia expoſuit: „ Ubi (inquit) ſignum crucis formatur, magica ars vires amittit, atque veneficia nihil virtutis habent. Dicite ergo: „ Ubinam ſunt oracula veſtra? Ubi Ægyptiorum incantationes? Ubi magorum phantaſiæ? Quandonam hæc omnia ceſſavere, viresque amiſere, niſi CHRISTI cruce „ apparente. „ Sæpe ipſe hanc virtutem contra dæmones expertus eſt, atque alii etiam ad ſe venientes, & forte extra domum noctes diesque tranſigere coacti: Quibus ille,

L. III. c. 3.

Orat. 3.

Cod. 184.

Conf. p. 310.

Vit. S. Ant. n. 78 79.

„ Obſi-

n. 13. „ Obſignate vos (ajebat) & cum fiducia abſcedite, ſiniteque illos ſibi ipſis illudere. „ Tum abibant illi ſigno crucis muniti : ille „ vero remanebat, nihil læſus a dæmonibus, neque ejusmodi certaminibus defatigatus. „ S. CYRILLUS HIEROS.

Cat. XIII n. 36. *Magnum illud præſidium*, inquit, *gratuitum propter egenos, nullo labore conſtans propter imbecilles; ſiquidem a DEO eſt gratiæ loco conceſſum: ſignum fidelium, & dæmonum formido. In illo enim triumphatos eos confidenter oſtentans traduxit. Quando ſiquidem viderint crucem, crucifixi eis in mentem venit. Metuunt eum, qui contrivit capita draconis.* Idem ſanctus Pater virtutem ejusdem ſalutiferæ crucis contra hoſtes viſibiles egregie deprædicavit. *Nemo*, inquit, *delaſſetur. Arma pro ipſa cruce contra adverſarios ſume: fidem crucis pro tropbæo adverſus contradicentes ſtatue. Quando enim de cruce CHRISTI contra infideles diſceptationem inſtituturus eris, prius manu ſignum crucis emitte, & obmuteſcet, qui contra nititur.* Jam commemoravi martyres, qui fortiſſimum ineuntes certamen, etiam in extremo mortis articulo hoc ſe muniverunt ſigno. Suppetunt etiam exempla, quando in quæſtione ac tormentis in confeſſione fidei hoc ſe munimine contra hoſtium inſidias tutos præſtiterunt. Sic S. EUPLIUS cum torqueretur, inſiſteretque CALVISIANUS, an perſiſteret in confeſſione, ut acta

p. 407. habent ſincera apud RUINARTUM, *libera manu ſignans ſibi frontem, conſtans profeſſionem firmavit.* Sic THEODOTUS cum ei dira quævis proponerentur parata jam

p. 345. tormenta, totum corpus ſuum ſigno crucis

muniens

muniens in ſtadium proceſſit animo imperterrito. THEODORUS Amaſſenus, cum ei poſt minas honores ac dignitates ipſeque promitteretur pontificatus, totum corpus ſignans cruce, fortiter ſuperavit, ut in ejus vita S. GREGORIUS Niss. narrat. Quotidiana & obvia quævis pericula alia quæque tam a viſibilibus quam inviſibilibus hoſtibus, aut inſiti etiam pravi motus exurgentes, hoc facillimo præſidio vincuntur, atque S. GREGORIUS Nazianz. ſuo exemplo nos hortatur:

Signare mox te ſis memor ſancta cruce
Quam cuncta metuunt, ac tremunt: qua præſide
Adverſus omnes ſemper uſum me ſcio.

Carm. adverſus iram.

Præſertim autem præſens contra illecebras carnis eſt remedium, ac intentatas inſidias, quod ceu communem chriſtianorum uſum S. EPIPHANIUS in muliere, cum in balneo a celebri JOSEPHO adhuc Judæo ad libidinem vel levi corporis acceſſu moveretur, teſtatur: *Illa vero ſeipſam ſignat in nomine CHRISTI, utpote chriſtiana exiſtens.* Merito igitur a S. EPHREM panoplia hæc habetur: „ Validiſſima quippe (inquit) ejusmodi armatura eſt: nullusque tibi unquam nocere „ poterit, ſi ea munitus fueris. Nam ſi quis „ terreni regis ſignaculum defert, eum lædere „ nullus audeat: quanto magis nos qui tale „ cœleſtis imperatoris ſignum ferimus, ne- „ minem metuere poſſumus. „

Hær. 30.

In Panoplia.

Quid vero de virtute ejus dicam mirabili, quam is ipſe, quem paulo ante commemoravi, JOSEPHUS Judæus adhuc, eodem teſte EPIPHANIO, exeruit erga phreneticum quemdam, qui nudus ſemper incedebat,

quemque Judæus ille aqua cruce signata ab insania liberavit. Contra dæmones, homines obsidentes, virtutem sanctæ crucis infinita ac quotidiana nihil opus est enarrare exempla. Atque ita S. CYRILLUS contra JULIANUM APOST. signi crucis usum exprobrantem profitetur: *Usi enim semper sumus hac re, cum omnem diaboli insultum evertimus, & dæmonum impetum infringimus. Murus enim infractus est nobis crux, & in ea est gloriatio vere salutem afferens.* Quid dicam de variis miraculis solo signo crucis a sanctis fieri plerumque solitis: „ Hoc signum (inquit S. CHRYSOSTOMUS) & majorum nostrorum tempore, & ævo nostro clausas aperuit januas: hoc signum venenata pharmaca extinxit: hoc cicutæ vim solvit, hoc venenatarum ferarum morbos curavit. Nam si portas inferorum aperuit, si cœlorum ostia reseravit, & paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos rescidit, quid mirum si lethifera pharmaca, feras, aliaque hujusmodi superaverit? Hoc ergo in mente tua insculpe, & animarum nostrarum salutem amplectere. Hæc quippe crux orbem servavit & convertit, errorem expulit, veritatem induxit, terram cœlum effecit, homines angelos reddidit.

Comment. in Isajam p. 294. T. IV. L. VI. in Julianum.

Hom. 54. in Matth.

CAPUT IV.

De reliquiis Sanctorum.

§. LII.

Reliquiarum nomine quæ veniant.

Reliquiarum nomine non solum corpora ac membra sanctorum, sed

ſed alia etiam tam vivis quam mortuis ipſis conjuncta ac ſanctificata in veneratione ſunt.

Reliquiarum ergo verbo notantur omnia ea, quæ de ſanctis in his terris ſuperſunt, eorum ſcilicet corpora ac membra; item cineres, & quidquid ad eos vel vivos vel mortuos pertinet, qui dum viverent corpora ſua digna præbuerunt Spiritus S. templa a DEO ſingularibus chariſmatibus, & gloria ſanctitatis ornati. Sic etiam ELIÆ prophetæ pallium, ab ipſo in cœlum recepto relictum petiit ardenter ELISÆUS, eoque ad prodigia facienda uſus eſt, non ſolum in ejus demortui oſſibus vis comparuit in vitam reducendi ad illa cadaver delatum: & particulam terræ, in qua ambulavit hic propheta, in ſuam patriam abiens NAAMAN belli dux religioſe ſecum attulit. In novo teſtamento fimbriæ etiam ſalvatoris tactu fœminæ hæmorhoiſſæ, incolæque terræ Genezareth, quicunque tetigerunt ſalvi facti ſunt ut refert MATTHÆUS XIV. 36. Ne autem hoc in CHRISTO ſolum fuiſſe ſingulare exiſtimetur de D. PAULO in actibus narrat LUCAS: *Virtutesque non quaslibet faciebat DEUS per manum PAULI: ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Et de PETRO: *Ita ut etiam in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente PETRO ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Quod S. CHRYSOSTOMUS non ſemel

Vid. T. de SS. Reliquiis abb. de Cordemoy.

Act. XIX 11. 12.

Act. V. 15.

Hom. 8. in ep. ad Rom.

Hom. 6. in 1. ad Cor. *L. 1. c. 12. ad an. 55. §. 11.* *T. 44. in Joan.* *Orat. 8.*

semel tantum etiam de S. PAULO testatur, umbram illius sanasse infirmos, licet ARATOR poeta christianus hoc privilegium singulare PETRO dicat, & BARONIUS a S. CHRYSOSTOMO per exaggerationem dictum velit: cum tamen S. AUGUSTINUS, & S. CYRILLUS ALEXAND. communem omnibus apostolis hanc gratiam ac virtutem divinitus datam dicant. ASTERIUS vero id tamen innuit, hoc de S. PAULO referri tantum. Sed quidquid sit, ad rei præsentis demonstrationem sufficit. Utcunque autem singulare id fuerit apostolis, alia tamen in aliis etiam sanctis habentur documenta, non membra tantum ac cineres divina virtute fuisse imbuta, sed alia etiam e. g. oleum ex eorum corpore miraculose promanans, aut ad eorum sepulchrum ardens: prioris generis vetustum exemplum apud BOLLANDUM habetur ex sepulchro S. GLYCERIÆ (quæ medio secundo sæculo martyrium pro CHRISTO subiit) manans Heracleæ adhuc sæculo sexto sub JOANNE JEJUNATORE patriarcha Cpolitano & MAURITIO imperatore miraculis salutare. Quale hodieque salutiferum in patria nostra Eystadii, medios inter Protestantes, ex corpore S. WALBURGÆ copiose dimanat, & undique religiose defertur. S. GREGORIUS M. olea ex omnibus fere sanctorum, qui tunc Romæ insigniores erant, reliquiis ad THEODELINDAM reginam misit teste MABILL. „Id „nos docuit (inquit) authenticus index ea„rum reliquiarum in charta Æpyptiaca ex„aratus fugientibus jam litteris, & in Mu„sæo cl. viri FRANC. SEPTALÆ, ec„clesiæ S. NAZARII apud Mediolanum ca„no-

Ad diem 13. Maji, p. 193.

De cultu SS. Ignotorum n. 19.

nonici asservatus, ex quo exemplum o- „ lim transtulimus, a MURATORIO „ nuperrime vulgatum in tomo secundo anec- „ dotorum. Hæc olea an ex sanctorum cor- „ poribus profluxerint, an ex lampadibus ad „ eorum reliquias ardentibus accepta sint, non „ liquet. Quamquam posterius longe mihi „ probabilius videtur. Nam ampullas oleo „ plenas ex lampadibus ad sanctorum tumulos „ ardentibus olim efferri solitas fuisse, & sa- „ lutem multis attulisse auctor est imprimis „ episcopus (Turonensis) variis in locis. „ Notum est quod PAULUS WARNEFRIDI in lib. II. de gestis Longobardorum *cap.* 13. scribit *De VENANTIO Fortunato, ejusque socio FELICE, qui ambo, cum oculis male affecti essent, Ravennæ in basilica sanctorum PAULI & JOANNIS accepto e lampade, quæ ad* S. *MARTINI altare ardebat, oleo, & oculis admoto, illico sanati sunt. Atque vix dubitat, quin olea illa ad THEODELINDAM missa ejusdem generis fuerint. Denique GREGORIUS ibi gratias agit LEONI exconsuli ob acceptum ab eo oleum sanctæ crucis. Ubi miranda majorum nostrorum pia simplicitas, a moribus nostræ ætatis longe diversa, qui ejusmodi olea pro veris reliquiis habebant.* Certe jam S. CHRYSOSTOMUS in homilia de sanctis martyribus subnexa homiliis duabus de LAZARO, monet fideles, ut oleo, quod ad sepulchra martyrum ardet, tanquam salutari pharmaco membra inungant. *T. II. p. 667.*

Ut vero ad MABILLONIUM redeamus, memorat eandem pietatem in *brandea*, seu pannos, quibus ex contactu sacrorum lipsanorum virtutem inesse haud dubitabant.

bitabant. Quale exemplum ex GREGORIO Turonensi de legatis CHARARICI Galliciæ regis Ariani refertur, qui pallium sericum S. MARTINI tumulo impositum pro reliquiis sacris in patriam retulerunt. Et aliud vulgare apud sepulchrum S. PETRI Romæ, ubi linteum seu pannum prius ad momentaneam seu stateram appensum, jejunus, precibus illic insistens, & si quidem ejus fides id merebatur, votorum compos fiebat. Cujus rei hoc indicium erat, si pannus inde pondere gravior efferretur: cujusmodi brandea S. GREGORIUS M. etiam ad principes mittebat, testaturque laudato in loco MABILLONIUS in Parisiensi S. GERMANI seu Pratensi basilica id genus brandea ex dono GREGORII M. asservari. Sed ipse audiendus est S. GREGORIUS, quid ad imperatricem CONSTANTINAM rescribat cum ad novam in honorem S. PAULI Cpoli constructam ecclesiam in palatio caput, aut alias ejus apostoli peteret reliquias: *Romanis*, scribit, *consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantum in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis LEONIS papæ tempore, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque vel*

De mirac. S. Martini. c. 11.

L. I. de gl. MM. c. 28.

L. IV. ep. 30.

totius

totius occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Sæpius memorantur in epistolis S. GREGORII M. missæ Roma reliquiæ, sed imprimis memorabile est, quod ad S. AUGUSTINUM respondet interrogatione nona, cui miserat reliquias S. SIXTI, cum Angli SIXTUM quemdam martyrem apud se habere dicerent, licet satis probare non possent, jubet S. GREGORIUS locum ubi recumberet claudere, nisi ad ejus tumulum miracula fierent, ac senes sibi a majoribus relata acta martyris memorarent. Sæpe etiam de limis ex catenis apostolorum PETRI & PAULI derasis meminit, quæ miracula fierent; atque etiam claves mittebantur, in quibus erant ejusmodi ramenta. Promittit idem CONSTANTINÆ de catenis, quas ipse S. PAULUS apostolus in collo, & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam transmittere: *Si tamen*, inquit, *hanc tollere limando prævaluero: quia dum frequenter ex catenis ejusdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen ut aliquid inde exeat non obtinetur.*

L. XI. ep. 64.

L. IV. ep. 30.

Apud SURIUM memoratur epistola capituli castri novi ad PHILIPPUM quemdam Coloniensem archiepiscopum, in qua de itinere S. MARTINI ad S. MAURICIUM agitur: ubi cum reliquias, quas flagitaverat,

22. Nov. p. 223.

obtinere non posset, dicitur herbas amputasse in loco martyrii, quæ copiosum stillarint sanguinem, quem diversas in ecclesias distribuerit. Sed de hac re nec ipse S. GREGORIUS Turonensis de miraculis S. MARTINI meminit. Idem vero GREGORIUS Turon. passim meminit, præter vestes, lintea, cereos, & oleum apud tumulos sanctorum, herbas & flores inde enascentes, ac pulverem loco reliquiarum fuisse habita. Et quod dicit S. AUGUSTINUS, pulverem terræ Hierosolymitanæ undique terrarum transportatum. S. GREGORIUS Turon. memorat, ex iis tortulas parvulas formari, ac per diversas mundi partes transmitti, ex quibus plerumque infirmi sanitates hauriant. *Quod si quis etiam*, ait de martyrum tumulis S. GREGORIUS NISSENUS, *pulverem, quo conditorium, ubi corpus martyris quiescit, oblitum est, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tanquam res magni pretii condenda terra colligitur.*

L. XXII. de civ. D. c. 8.
L. l. de gl. MM.
Hom. de S. Theodoro.

§. LIII.

Earumque jugis in ecclesia cultus.

Semper in ecclesia cultus reliquiis sanctorum religiose est impensus, & constanter contra adversarios irreligiosos ac hæreticos defensus.

Patet id tum ex aliis monumentis ecclesiasticis, tum ex actis sanctorum martyrum, eorum imprimis, qui mox a nascente ecclesia, & deinceps prioribus ecclesiæ temporibus celebriores fuerunt SS IGNATIUS, POLYCARPUS, POTHINUS, EVODIUS, ALEXANDER, SATURNINUS, HIPPOLYTUS, LAURENTIUS, CYPRIANUS, PHI-

LIPPUS, TARACUS, PROBUS, ANDRONICUS, & DOMNINA, THEODORUS, quadraginta MM NAZARIUS, CELSUS, CHRYSOSTOMUS, SIMEON Stylita, PELAGIA, de quibus laudatus abbas de CORDEMOY in tractatu de ſacris reliquiis documenta affert, nosque conſequenter pauca afferemus. Illud ante omnia commemorandum, quod in epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis de diabolo refertur: *Cum æmulus ille, ac invidus, & malus, juſtorumque generi adverſus, cerneret inſigne illius martyrium, moresque ab ineunte ætate irreprehenſos, & illum immortalitatis corona redimitum, præmiumque controverſiæ expers reportaſſe; operam dedit, ne reliquiæ ejus a nobis auferrentur: quamvis multi id facere cuperent, & ſancto illius corpori communicare. Suggeſſit ergo Nicetæ HERODIS patri, fratri autem ALCES, adire proconſulem, ne corpus illius ad ſepeliendum traderet; ne, inquit, relicto crucifixo hunc colere incipiant.* His illuſtrari poſſunt cleri Romani apud S. CYPRIANUM verba de corporibus martyrum aut cæterorum, *ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus.* Ubi quidem officium ſepeliendi cæterorum etiam connectitur, ſed ſingulare illud præmittitur martyrum, cultus præcipui cauſa. Quomodo in actis S. IGNATII inæſtimabilis theſauri inſtar corpus ejus Antiochiam reportatum, & in eccleſia ſepultum legitur; aut ſi eccleſia nondum fuit, ſuperſtruebantur, & anniverſaria ſolemnitate concurrentibus populis colebantur etiam a longinquis terris. „ Nam (inquit S. CHRYSOSTOMUS) qui „ vi ducebantur, & circumagebantur, contem- „ ti,

n. 17. *Ep.* 8. *Vid. hom.* 2. & 3. *a Mont-*

sanc. editas T. XII. p. 310. &c.

„ ti, vincti, innumeris malis affecti post mor„ tem, ipsis regibus honorabiliores sunt. Id „ quomodo fiat perpende: In regia urbe Ro„ ma, missis aliis omnibus ad sepulchra pi„ scatoris, & tentorium opificis accurrunt „ imperatores, consules, exercituum duces: „ Cpoli vero, non prope apostolos, sed fo„ ris ad ipsa limina optaverunt ii, qui dia„ demate redimuntur, corpora sua sepeliri. „ Atque ipsi imperatores piscatorum ostiarii „ facti sunt. „ S. ANTONIUS humillimus juxta ac sanctissimus, idcirco corpus suum in terram incognitam asportari voluit, ne super illud sacellum ædificaretur teste S. ATHANASIO in ejus vita. Sed DEUS noluit deesse cultum: sub imperatore enim JUSTINIANO, teste BEDA in chronico, divina revelatione repertum ingenti solemnitate in ecclesia S. JOANNIS BAPT. Alexandriæ reconditum fuit. GREGORIUS NAZ. deprædicat, quomodo corpus S. BASILII sepulturæ traditum sit manibus sanctorum, comitante innumerabili multitudine hominum omnis ætatis, ac sexus, quovis connitente, ut quandam laciniam vestimenti decerperet, aut umbra illius tegeretur, aut tangeret saltem feretrum. Tanta erat S. EPIPHANII sanctitatis fama, ut Hierosolymis fideles de vestimentis ejus decerperent, ac pedes oscularentur, ut ad ecclesiam procedere vix posset, quod æmulationem JOANNIS HIEROS. excitabat, teste S. HIERONYMO. *Ipsas vero reliquias, si quando*, ait GREGORIUS NISS. *aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum bonum, sciunt experti*,

Orat. 20.

Ep. 61. c. 4.

Hom. de S. Theodoro.

experti, & ejus desiderii compotes facti. Quasi corpus enim per se vivens, & florens qui intuentur, amplectuntur, oculis, ori, auribus, omnibus sensuum instrumentis adhibentes: deinde officii & affectionis lacrymas martyri, quasi integer esset, & appareret, superesfundentes, ut pro ipsis deprecator intercedat, supplices preces offerunt tanquam satellitem DEI orantes, quasi accipientem dona, cum velit, invocantes.

VIGILANTIO, ac ejus discipulis, qui sese pio huic cultui opposuerunt, fortiter se S. HIERONYMUS opposuit. Interrogatus is primum de hoc, RIPARIO presbytero Hispano epistola respondit, biennio antequam contra VIGILANTIUM ex instituto scriberet. Inter alia autem, in quem demum redundet hic honor, sic paucis exponit; *Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad dominum.* S. EUCHERIUS non solum errorem consimilem, sed etiam furorem immanem (exemplo repetito ab ipsis feris bestiis, qui martyribus pepercerunt, ut nec contingere auderent) in Eunomianis incessit. *Sacra*, ait etiam, *corpora funeris veneranda ossa in cineres redigebant, quasi vero possent flammis merita consumi, & virtutes cum cineribus concremari.* Offensum HIERACEM quemdam ob cultum reliquiis a christianis impensum, S. ISIDORUS PELUSIOTA auxilio divinitus hinc obtineri solito, refutat: „Si te (inquit) istud offendit, quod martyricorum corporum cinerem propter eorum erga DEUM charitatem, atque constantiam, honore afficiamus, eos, qui

Ep. 37. ad Ripar.

Hom. de S. Bland.

Eus. Emiss. hom. 11.

L. I. ep. 55.

„ qui ab ipsis medicinam accipiunt, interro-
„ ga: atque quod morbis remedium afferant
„ intellige. Sic fiet, ut non modo id, quod
„ a nobis fit, non irrideas, cavillisque incef-
„ sas, verum etiam, quod recte, & cum lau-
Cod. 182. „ de fit, imiteris. „ S. EULOGIUS apud
527. PHOTIUM eundem redarguit errorem, ac refutat in Novatianis. Dogma vero catholicum dudum GENNADIUS Marsiliensis determinavit: *Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, ac si CHRISTI membra, sincerissime honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca divino cultui mancipata, affectu piissimo, & devotione fidelissima adeundas credimus.* Ita constanter oriens, occidensque (iconoclasticam immanitatem si excipias, etiam in reliquias furentem in oriente præsertim sub CONSTANTINO COPRON.) usque ad hodiernum diem semper non solum affectu fidei, sed etiam devotione, ac opere tenuit; frustra, cum antiquis, quos memoravimus, hæreticis, aut infidelibus, sese opponentibus Protestantibus. Quorum error in concilio Tridentino est protestatus, atque constitutum dogma: *Sanctorum quoque martyrum, & aliorum cum CHRISTO viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt CHRISTI, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia a DEO hominibus præstantur; ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque bonorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter bonorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari,*

De dogm. eccles. art. 40.

Sess. 25.

ri, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat ecclesia.

§. LIV.

Honorem, ac cultum debitum sanctorum reliquiis DEUS contestatus est innumeris miraculis, latentia corpora revelando, ac reperta cumulando iisdem.

Innumeris prodigiis a DEO comprobatus.

Tametsi in veteri testamento piaculum fuerit mortuorum cadavera attingere, nihilominus illic etiam honorem sanctorum ossibus DEUS conciliavit miraculis, imprimis autem illustri resuscitatione mortui ELISÆI prophetæ attactu. „ Ut autem (inquit S. CYRILLUS HIER.) non animæ solum justorum honorarentur, sed crederetur etiam in justorum corporibus jacere vim penitus insitam projectus in monumentum ELISÆI mortuus, mortuum prophetæ corpus attingens, vitam concepit. Mortuum prophetæ corpus id, quod animæ videbatur opus esse, perfecit, quodque mortuum jacebat, mortuo vitam dedit, & quod vitam dabat, ipsum in mortuis similiter ut ante remansit. Qua de causa? Ut ne, si resurrexisset ELISÆUS, animæ ejus soli factum illud imputaretur, & ut ostenderetur, absente etiam anima inesse vim quamdam, ac potestatem corpori sanctorum propter animam justam, quæ tot annos in eo habitaverit, ejusque usa sit ministerio. Neque fidem ei rei, quasi non ita sit, inepti detrahamus. Si enim sudaria, & semicinctia, quæ exterius adhærent, ægrotantium corporibus „ appli-

Cat. 18. *n.* 16.

„ applicata infirmos erigebant, quanto magis „ ipsum prophetæ corpus mortuum excitavit. „ Tractat de resurrectione mortuorum, ut eam non solum exemplis demonstret, sed etiam sanctorum cadaverum virtute, ne videantur a DEO semper eo in statu fore relinquenda, quæ tanta operarentur, additque: „ Atqui „ essent alia multa in hæc dicenda, si ejusmo- „ di factorum admirabilitatem secundum sin- „ gula adjuncta persequeremur. „ S. EPHREM in illud ISAJÆ: *Tollatur peccator, ne videat gloriam DEI*, idem cummemorans miraculum ELISÆI duplex & in vita, & post mortem revocati ad vitam mortui: *Viden*, inquit, *ut vivida spirant martyrum lipsana? Ecquis jam ipsos vivere ambigat, aut extinctos credat. Patent vivaces thesauri, idque nemo in dubium vocet. Inexpugnabiles arces sunt, quæ munitissimas urbes tuentur, & latronum incursiones, atque hostilium copiarum impetum morantur; excelsæ & validæ turres, in quibus perfugium & portus petentibus auxilium patet.* S GREGORIUS NAZ. fortiter hic stringit JULIANUM APOST. martyrum reliquiis impensum cultum cavillantem: „ Quibus (inquit) præ- „ clari honores, & festa constituta sunt; a qui- „ bus dæmones propelluntur, & morbi curan- „ tur: quorum apparitiones, & prædictiones: „ quorum vel sola corpora id possunt, quod „ animæ sanctæ, sive tangantur, sive hono- „ rentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, „ atque exigua passionis signa idem possunt, „ quod corpora? Hæc non colis, sed contem- „ nis, qui HERCULIS rogum ex calamitate, „ injuriisque mulieribus illatis excitatum ad- „ miraris. „ De eodem JULIANO APOST. narrat

Ib. n. 17.

T. I. Bibl. orient. p. 146. &c.

Orat. 3.

p. 41. ed. Paris.

narrat in chronographia, quod Nicopoli, seu ut in evangelio nominatur in Emmaus, fontem obstruxerit, cujus aqua contra omnis generis morbos hominum, & bestiarum salutaris erat, cum in eo semel CHRISTUS pedes lavisset; sed postea iterum apertus fons eandem exeruit virtutem, uti testis est SOZOMENUS de suo adhuc tempore. Ita quoque sanguinem martyrum honorare DEUS voluit: *Sanguis ubique beatorum martyrum*, inquit S. HILARIUS, *exceptus est, & veneranda ossa quotidie testimonio sunt, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines pelluntur, dum admirationum opera cernuntur.*

L. V. c. 21.

Contra Constantium. p. 1243. ed. Paris. nova.

Innumerabilia sunt, quæ possent recenseri, ex quibus pauca quædam commemorare licet, imprimis quibus DEUS ostendit, latentia corpora divinitus patefaciendo, hunc cultum velle se illis tribui, atque maximis prodigiis manifestavit honorem sanctorum, beneficium autem, & salutem fidelium innumerorum. Illustris imprimis est revelatio corporis S. STEPHANI, qui primus corpus suum victimam dedit pro CHRISTO protomartyr. Facta autem fuit sub episcopo Hierosolym. JOANNE, LUCIANO presbytero per S. GAMALIELEM, cujus quidem in actis apostolorum fit mentio, quod causæ apostolorum faverit, non quod christianus fuerit. Quod DEUS sacrum corpus ejus manifestando declarare voluit, & in hac etiam glorificando terra unacum filio S. ABIBA, & S. NICODEMO, imprimis vero S. STEPHANO. Tota rei series habetur in epistola de inventione S. STEPHANI ab ipso LUCIANO presbytero scripta, cui facta est ipsa revelatio, repetitis vicibus, ut JOANNEM episcopum

Append. T. VII. opp. S. Augustini.

certio-

certiorem faceret, juberetque aperire tumulum ad avertenda eorum temporum mala. c. 4. Quod quam ingenti mortalium commodo factum sit, illorum temporum monumenta produnt, undique dispersis sacris reliquiis. Ab OROSIO autem in Africam delatæ cum iterum aliquamdiu latuissent, novis revelationibus sunt proditæ, innumeris miraculis illustres: quæ omnia duobus libris EVODIUS enarravit, quæ Uzalis præsertim sunt gesta, Calaminæ, & Hippone, & aliis diversis Africæ locis, ut S. AUGUSTINUS commemorat (L. XXII. c. 8.) variis locis in suis libris præsertim de civitate DEI, & sermonibus. Qui etiam curavit miracula ejuscemodi in libellis describi, quales septuaginta circiter, duobus annis, Hippone solum sunt conscripti totidem miraculorum, ex quibus meminit trium præcipue mortuorum ad vitam revocatorum. Idem memorat illustrem imprimis revelationem corporum SS. GERVASII, & PROTASII, (L. IX. conf. c. 7.) sub S. AMBROSIO Mediolani, quæ diu latuerunt, primumque indicium sacri sepulchri post revelationem S. AMBROSIO factam prope SS. NABOREM & FELICEM dare ipse dæmon palam debuit ex obsessa, & levatis corporibus, ornatisque, vel solo fimbriæ tactu de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum cæco fuit lumen, ut narrat S. AMBROSIUS inter alia plurima miracula: (Ep. 22.) *Cognovistis*, sunt ejus verba, *imo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos: plurimos etiam ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos: reparata vetusti temporis miracula, quo se per adventum Domini JESU gratia terris major infuderat,*

fuderat, umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis, quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, & tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere; & qui contigerit, salvus erit. Imprimis autem insigne fuit testimonium, quod dæmones ipsi ex obsessis dare contra Arianos sunt compulsi pro catholica sanctissimæ Trinitatis fide, quam qui negarit, eisdem ac ipsi sint subjiciendi suppliciis. Ut mirum haud sit, Arianos in dubium revocasse, & lacessivisse miracula, quamvis convicti inficiari palam non possunt. Sanctorum VITALIS & AGRICOLÆ Bononiæ, SS. NAZARII & CELSI Mediolani non minus illustris fuit revelatio S. AMBROSIO facta apparente ei S. NAZARIO, & veluti de *sede non digna* conquæsto, ut apud ENNODIUM habetur. *Carm. 18.* S. GREGORIUS Turonensis, quomodo celebres Lugdunenses martyres sua revelaverint corpora, & quantis claruerint miraculis, extraordinaria etiam luce in eorum tumulo, narrat. *De glor. MM. c. 49. &c.*

Idem integrum secundum de gloria MM. librum S. JULIANI miraculis replevit, cujus ipse expertus est opem, & duo senes, qui ejus e loco martyrii honorifice transtulerunt corpus, vigorem juventutis in gratiam perceperunt. Idem sicut distincto opere agit de gloria confessorum, ita etiam de miraculis S. MARTINI. Cui fidem nemo deroget in iis saltem, quæ ipsismet oculis usurpavit, aut testimoniis certis accepit ecclesiæ Turonensis, ubi sacrum corpus quotidianis resplenduit miraculis. Quemadmodum etiam quæ S. CHRYSOSTOMUS refert,

& comprimis libro de S. BABYLA vindicat contra gentiles, & alibi ad experimentum sumendum quemque invitat: *Sume*, inquit, *quempiam a dæmone correptum, ac furentem, & ad sanctum illud sepulchrum deduc, quo reliquiæ martyris continentur, tum resilientem plane, atque fugientem videbis, ut enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, & ne oculos quidem adversus ipsam thecam audet attollere.* Sic quæ S. PAULINUS refert de miraculis S. FELICIS Nolani, aut ipse expertus, atque oculis usurpans, aut ex certis ecclesiæ suæ monumentis accipiens, quis in dubium vocet? Item quæ vel ipse METAPHRASTES de iis dicit, quæ suo adhuc tempore perdurarunt e. g. de oleo ex corpore S. NICOLAI promanante. Cui simile est, ac perenne olim miraculum ab EVAGRIO relatum de corpore S. EUPHEMIÆ Chalcedonis in visione monere solitæ episcopos, vel alios pietate insignes personas sepulchrum visitantes, *ut in sua ecclesia vindemiam faciant*, ubi spongia plena sanguine ejus corpori per ferulam admota hauriebatur morborum medela: simile constans miraculum idem refert suavem odorem, quem sentiant, qui ejus tumulo appropinquant.

Hom. in S. Julian. T. II. p. 674.

Apud Sur. 6. Dec. p. 188. §. 30.

L. II. c. 3.

Ejusmodi miraculum sunt corpora incorrupta, quale S. LEONTII suo tempore memorat GREGORIUS presbyter, ac nostris etiam temporibus passim visuntur SS. CLAUDII, EDMUNDI, & ANTHELMI in Gallia: SS. CATHARINÆ de Bononia, CLARÆ de monte Fiascone, AGNETIS de monte Pulciano, ROSÆ Viterbiensis, NICOLAI Tolentini, CAROLI BOR-

Apud Sur. 10. Julii. p. 161.

ROMÆI

ROMÆI in Italia: SS. FERDINANDI, ISIDORI, THERESIÆ in Hiſpania: S. ELISABETHÆ Conimbriæ in Portugallia: S. EDUARDI in Anglia: S. HUBERTI in Germania: S. FRANCISCI XAVERII in India. Singulare adhuc commemorare juvat ex itinere litterario EDM. MARTENII de brachio S. EDMUNDI ad publicam venerationem juſſu S. LUDOVICI ſeparato a reliquo corpore. Quod verentes religioſi S. GERMANI Altiſiodor. monaſterii, ne a corpore reliquo ſeparatum corrumperetur, balſamo imbuerunt, factum vero, ut jam nigrum colorem habeat (cum reliquum corpus candidum ac vivum habeat) in pœnam diffidentiæ, ut MATTHÆUS PARIS refert.

§. LV.

Honor & cultus pariter ab eccleſia ſanctorum reliquiis eſt præſtitus, in templis reverenter collocatis, ac venerationi expoſitis. Ab eccleſia venerationi expoſitis.

Non eſt opus in re omnibus nota teſtimonia coacervare, memorias martyrum oratoria, aut eccleſias fuiſſe fidelium, ubi ſacros habebant conventus anniverſariis præſertim in honorem martyris diebus, altaribus ſuper ſepulchra erectis, ac trophæis. *CAJUS*, ut refert EUSEBIUS, *quidam vir catholicus, qui ZEPHIRINI Romanæ urbis epiſcopi temporibus floruit, in eo libro, quem ſcripſit adverſus PROCLUM patronum ſectæ Cataphrygarum, de loco, in quo prædictorum apoſtolorum ſacra corpora depoſita* L. II. c. 25.

 ſunt,

ſunt, *ita loquitur : Ego vero*, *inquit*, *apoſtolorum trophaea poſſum oſtendere. Nam ſive in Vaticanum*, *ſive ad Oſtienſem viam pergere libet*, *occurrent tibi trophaea eorum*, *qui eccleſiam illam fundaverunt.* Confeſſio etiam

Not. 778. ſeu martyrium vocabantur ; de quo MENARDUS in ſacramentarium S. GREGORII notat, confeſſionem eſſe tabernaculum quoddam vario opere exornatum, in quo corpora ſanctorum apoſtolorum quieſcunt. Summæ ſemper religioni fuit vel attingere vel levare ſacratiſſima hæc corpora, ut teſtatur S. GRE-

L. IV. ep. 30. GORIUS M. „ De corporibus vero beatorum apoſtolorum quid ego dicturus ſum, „ dum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi „ ſunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora ſicut civium ſuorum repete„ rent : quæ ducta uſque ad ſecundum urbis „ milliarium in loco, qui dicitur Catacumbas, „ collocata ſunt ; ſed dum ea exinde levare „ omnis eorum multitudo conveniens nitere„ tur, ita eos vis tonitrui atque fulguris ni„ mio metu terruit, atque diſperſit, ut talia „ denuo nullatenus attentare præſumerent : „ tunc autem exeuntes Romani eorum cor„ pora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc „ ſunt condita, poſuerunt. „ Ab antiquis tamen temporibus etiam ſacris in loculis repoſita fuiſſe, ut de loco in locum transferri, atque publicis ſupplicationibus, ac litaniis circumferri potuerint, unum nobis S. CHRYSOSTOMI teſtimonium ſufficit ex homi-

T. XII. p. 330. lia recens a MONTFAUCONIO edita, habitaque in feſto, ubi ejusmodi reliquiarum circumgeſtatio ſolemnis, præſente comitanteque cæſarea familia, fuit facta ; *Ac princi-*

pes,

per, rursum sunt S. CHRYSOSTOMI verba, *relictis curribus*, *lictoribus*, *&* *satellitibus plebi sese miscuere. Et quid principes memorem*, *quando ipsa illa*, *quæ diadema gestat*, *&* *purpura induitur*, *per totam viam ne tantillum quidem a reliquiis separari voluit*, *sed ancillæ instar sanctos sequebatur*, *thecam*, *&* *velum superpositum tangens &c.* p. 331.
Quo loco autem in templo ipso fuerint sive mobili sive immobili situ posita S. AMBROSIUS commemorat: „ Succedunt victimæ „ triumphales in locum ubi CHRISTUS „ hostia est: sed ille super altare, qui pro „ omnibus passus est; isti sub altari, qui illius „ redemti sunt sanguine. „ Id præ humilitate præcavendum moriens S. EPHREM duxit in suo testamento: *Qui me sub altari collocaverit*, *altare DEI mei nunquam videat: non enim decet fœtorem in loco sancto reponi. Qui me in templo posuerit*, *templum sanctæ lucis nunquam videat: neque enim homini indigno prodest inanis gloria.* Id nempe aliquando honori singulari datum, ut prope sanctorum martyrum corpora ponerentur: veluti S. PAULINUS de filio suo testatur, id se ei honoris tribuisse. Et S. AUGUSTINUS de CYNEGO filio FLORÆ matronæ honestissimæ testis est, eundem honorem prope S. FELICEM singulari beneficio præstitisse, uti etiam S. AMBROSIUS fratri SATYRO hoc epitaphio: Ep. 22. Poem. 32. De octo quæst. Dulcitii. q. 2.

Uranio SATYRO supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit AMBROSIUS,
Hæc meriti mereas, *ut sacri sanguinis humor*
Finitimas penetrans, *adluat exuvias.*

Qua de re in abusum vergente dicemus infra suo loco. MABILLONIUS, ut ad

De lit. Gall. L. I. c. 9. institutum redeamus, ex S. GREGORIO Turon. tres locos designat, quibus sacræ olim fuerunt conditæ reliquiæ: Primo in cryptis subterraneis subtus altare. Secundo reliquiæ collocabantur in parietibus ecclesiæ, ubi depingi solebant imagines. Tertio quandoque in baptisterio collocabantur. Neque super ipsum altare ponebantur, seu, ut auctor antiquus, qui de translatione S. SERVASII Tungrensis dicit, *necdum præsumi fas erat.* *Boll. ad diem 13. Maji.* Quæ translatio an. 726. facta videtur ex sepulchro, in theca argentea collocato sancto corpore. Refert loco citato LEONIS IV. testimonium ex quadam homilia, qua capsæ & reliquiæ aut forte quatuor evangelia permittuntur super altari poni *buxida* cum corpore Domini ad viaticum: cui geminum est, quod in synodico RATHERII Veronensis habetur apud DACHERIUM. *T. II. spicil. p. 260.* In GEZONIS tamen tractatu de eucharistia, qui sæculo X. vixit apud MURATORIUM *T. III. anecd. p. 253. c. 58.* prohibetur aliquid præter oblationes poni super altari, nec etiam reliquiæ. In translatione reliquiarum S. GERARDI, cujus corpus præter quasdam partes incorruptum repertum, magna solemnitate facta per ipsum LEONEM IX. altare consecratum a papa memoratur, super quod reliquiæ sunt repositæ.

Sive autem infra sive supra altare fuerint repositæ reliquiæ, semper in ecclesia publicæ venerationi fuerunt expositæ. Utque primum super tumulis martyrum ædificatæ sunt memoriæ, ac ecclesiæ, ita deinceps semper cum reliquiis facta fuit dedicatio: *Testis est autem Dominus*, scribit S. PAULINUS ad SEVERUM, *Ep. 11.* *quodsi vel scrupulum sacri ci-*

neris

neris habuissemus supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus unitati vestræ. Et sequenti epistola ejusmodi reliquiis epigraphen præscribit: *Quorum venerandus cinis si sine crucis consortio subjiciatur altaribus, hic opertos titulus indicabit:*

Pignora sanctorum divinæ gloria mensæ
Velat apostolicis edita corporibus.

§. LVI.

Ingens semper fuit fidelium studium, ac contentio sacras colligendi, religiosaque veneratione servandi reliquias.

Et a fidelibus religiose habitis.

Vidimus superius ecclesiam Smyrnensem fraudi dæmonis tribuere, quo impediretur, ne sacrarum reliquiarum S. POLYCARPI fierent participes, Judæis instigantibus. „Videns autem centurio (porro referunt) a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum exussit. Atque ita nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora, & super aurum probatiora tollentes, ubi decedebat, deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, congregatis in exultatione, & gaudio præbebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum, qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem, & alacritatem. „ S. IGNATIUS prævidens hanc fidelium sollicitudinem, pietatem eam præ humilitate

Ep. eccl. Smyrn. n. 18.

detrectans, optavit prorsus consumi a bestiis: *Ne cui*, ut in ejus martyrio habetur, *fratrum molestia crearetur, collectione reliquiarum; quemadmodum prius cupierat in epistola suam consummationem fieri. Solæ enim duriores sanctarum ejus reliquiarum supererant, quæ Antiochiam ablatæ sunt, atque in linteo depositæ, quasi inæstimabilis thesaurus, ob martyris gratiam, sanctæ ecclesiæ relictæ.* In actis SS. TARAQUI, THEODOTI, PROBI, ANDRONICI, & aliorum non solum ingens studium colligendi reliquias, sed etiam miracula divinitus in eum finem facta leguntur, atque enata inde martyrii occasio non raro fuit. Nec illud singulare est, quod MAXIMUS S. TARAQUO id solatii invidens, minitetur penitus consumere corpus, ne quid supersit, quod fideles aromatibus condiant, ut facere solebant. Hinc etiam aut in mare præcipitare, aut in cineres redigere, ac in aerem spargere, aut ossibus animalium miscere solebant, ut sæpe quovis pretio comparare sacra lipsana frustra niterentur, quemadmodum constat ex martyrio S. BASILEI episcopi Amaseni, ELPIDIPHORO argento a carnificibus partem saltem sacrati corporis obtinere incassum tentante. S. GAUDENTIUS de quadraginta martyribus id testatur, jussum fuisse, ut sancti cineres projicerentur, fuisse autem pias personas, qui aut occulte partes auferrent, aut pecunia compararent. De S. BONIFACIO puero mox martyre refertur in ejus actis: *Accepit autem puer BONIFACIUS aurum copiosum ad comparationem corporum sanctorum, & ad ministrationem egenorum. Nec illud*, inquit S. GAUDENTIUS Brixiensis,

n. 6.

Bar. ad an. 290. §. 19.

Boll. ad 26. *Apr. Gr. p.* 52. §. 15.

Serm. 17. *ed. nov.* 1757. *curante Paulo Galeardo.*

apud Ruinart. p. 285.

L. c.

ſis, *in poſtrema parte reticemus*, *quod cum cineres exuſtorum corporum mandato perſecutoris in fluvium jacerentur*, *non defuerunt religioſæ manus*, *quæ partem cineris vel furto eriperent*, *vel pretio compararent.* Quod pium ſtudium perſecutionis tempore verſum in ſacrilegam avaritiam THEODOSIUS, lege 26. Februarii an. 386. data, vetuit. S. AUGUSTINUS vagabundos monachos, qui hinc inde oberrantes id impium mercimonium exercebant, vehementer inceſſit. *De opere monach. c. 28.*

Memorabile eſt, quod de medico quodam EUSEBIUS refert, „ qui (ut ait) jam „ ruerat, non propoſito, ſed carnis infirmi- „ tate: quia enim ipſe fuerat ſuperatus, exivit; „ exultari libet de victoria ſuperantis. Pro- „ venit autem iſtum portare medicinalia ope- „ ramenta. Et exivit, ut conſolaretur ſuam „ ruinam. Inventus eſt in aliam tentationem „ incurrere. Præcepto enim judicis inſiſtente, „ ut lingua incideretur ſancti (ROMANI) „ & quia inventus eſt ille parata habens ad „ iſtam neceſſitatem ferramenta, urgebatur in- „ cidere, quam nolebat, linguam. Et inci- „ dit quidem. Cum autem incidiſſet ipſam lin- „ guam, uſus eſt ad tutelam ſui: non enim „ projecit, quam incidit, ſed accipiens eam ut „ medicamen ad ſanitatem illius delicti, quod „ admiſerat abnegando, accipiens domi recon- „ dit. „ *ap. Sirm. T. I. op. p. 68. L. II. de reſurrect. & aſcenſione.* Multo autem ſanctius id a fidelibus factum eodem fine in actis S. JULITTÆ refertur: *Fideles quique aliquid ex ſacris pignoribus ad ſua vitæ munimen*, *ac præſidium accepturi*, *atque ad DEI noſtri optimi gloriam properarunt*, *ac locum frequentarunt*, ſacræ nimirum ſepulturæ. *apud Ruinart. p. 480.*

vincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint; aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria, omni modo reprobentur. Celebris ad finem sæculi undecimi facta sacræ lanceæ revelatio in visione, nihilominus multos reliquit dubios, qui suspicati sunt, hac forte arte usum comitem de S. ÆGIDIO ad erigendos cruce signatorum animos. Igitur PETRUS BARTHOLOMÆUS clericus ex Provincia, cui facta ista revelatio fuit, ad solemnem tunc temporis probationem ignis sponte se obtulit, quam & sustinuit illæsus, quæ erat usitata tunc temporis comprobandi sacrarum reliquiarum veritatem. Cujusmodi celebre habetur exemplum circa corpus S. HELENÆ Roma in Gallias allatum a monacho quodam seu presbytero sub CAROLO CALVO, qui ipsemet de hac re dubius conventum celebravit, ubi hæc probatio præscripta est, ut is, qui attulerat, nudus aquam ferventem intraret, quo illæso egresso, fides adhibita est. Probatio ista etiam in ipsis reliquiis est facta, qualis apud BOLLANDUM legitur per EGBERTUM archiepiscopum Trevirensem, articulum digiti de corpore S. CELSI carbonibus incenso destinatis imponentem, durante integro canone. Apud eundem similis reperitur probatio per ignem reliquiarum S. SECUNDINI.

Vid. Mabill. T. VI. act. p. 164.

ad diem 23. Febr. p. 400.

T. II. Feb. p. 531.

Ipsa fallendi facilitas, fallentiumque diversæ fraudes curam hic, & circumspectionem

nem maximam desiderare semper sunt visæ, ne pietas in superstitionem degeneraret. Offendit id olim LUCILLAM: „ Cum „ correptionem (ut rem narrat OPTATUS „ Milev.) archidiaconi CÆCILIANI ferre „ non posset, quæ ante spiritalem cibum & „ potum, os, nescio, cujus martyris, si ta- „ men martyris, sed necdum vindicati, oscu- „ lari solebat, correpta cum confusione dis- „ cessit irata. „ Non raro superstitiones ac fraudes sunt detectæ, uti de S. MARTINO, & S. AUGUSTINO jam notavi, refertque RODULPHUS GLABER impostura detectam ejusmodi ignoti hominis falsis reliquiis populum decipientis. Et S. GREGORIUS M. tale etiam Romæ suo tempore expertus est: *Nam quidam monachi Græci*, scribit ad CONSTANTIAM imp. *huc ante biennium venientes, nocturno silentio, juxta ecclesiam S. PAULI, corpora mortuorum in campo jacientia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cum detecti, & , cur hoc facerent, diligenter fuerint discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tanquam sanctorum reliquias portaturi.*

L. I. cont. Parmen.

L. IV. c. 3.

L. IV. ep. 30.

Scripsit Jo. MABILLONIUS sub nomine EUSEBII ROM. ad THEOPHILUM Gallum epistolam eam in rem de cultu sanctorum ignotorum, occasione novarum catecumbarum, dum esset Romæ, detectarum, quæ sunt loca subterranea, ubi christiani tempore persecutionis sæpius sacros conventus, & sepulturas suas habuerunt: unde solent corpora extracta undique distrahi, ceu sanctorum martyrum, quorum quidem ingentem numerum

merum illic recondi dubium haud est; sed, quibusnam signis ceu martyres agnosci debeant, dubium est: ac vascula quidem vitrea cum sanguine præcipuum sunt præsertim cum palmis lapidi insculptis. Quas etiam ceu probabile agnoscit martyrii signum, sed timide si solitaria sit sine sanguinis vasculis: „ Ut „ ingenue fatear id, quod res est (sunt verba „ laudati MABILLONII) non satis cer- „ ta, & explorata mihi visa sunt quædam id „ genus indicia, crux, nimirum palmæ, CHRI- „ STI monogramma, quæ hominem certe chri- „ stianum designant, sanctum non satis probare „ videntur. Secutus sum hac in re modum sa- „ cræ rituum congregationis, quæ palmas, eisq; „ junctum vas sanguine tinctum pro signis cer- „ tissimis verarum reliquiarum habenda censuit, „ aliorum vero signorum examen in aliud tem- „ pus rejecit. Et quidem palmas cum CHRI- „ STI monogrammate non omnino valere ad „ probandum martyrium exemplo constat a „ BARONIO allato, multisque aliis, quæ „ afferre singula prolixius foret. Atqui ta- „ men Roma deferuntur (objicit sibi) uti mar- „ tyrum, sanctorum reliquiæ, quæ nulla alia „ habent, quam priora illa indicia, easque „ Romanus pontifex passim pro insigni mu- „ nere tribuit; peccat igitur in summum pon- „ tificem, atque in Romanam ecclesiam, qui „ de illis indiciis aliter sentit. Ad hæc pri- „ mum respondeo, non omnes ejusmodi re- „ liquias ab ipso summo pontifice impertiri, „ sed aliquando a cardinale vicario, si inte- „ gra corpora sint: aliquando ab episcopo sa- „ crarii apostolici præfecto, si tantum parti- „ culæ. Deinde hæc indicia passim non ab „ ipso pontifice, non etiam a cardinali vica-

De cultu SS. ignot. n. 1.

„ rio,

„ rio, aut ſacrarii apoſtolici præfecto, ſed a „ quibusdam ſecundariis miniſtris obſervari, „ quos accuratiores quandoque, ac diligen- „ tiores in examinandis illis indiciis eſſe for- „ taſſe oporteret. „ Legi etiam merentur ob- ſervationes in cœmeteria ſanctorum martyrum & veterum chriſtianorum, quæ Romæ haben- tur, M. Ant. BOLDETI, qui a CLE- MENTE XI. reliquiarum cuſtodiæ præfe- ctus, & in numerum congregationis de in- dulgentiis, & reliquiis receptus fuit.

§. LVIII.

Exempla nos cautos reddunt, ne aberremus, aut temere de ſacris re- liquiis pronuntiemus, an his aut il- lis in locis verius, an vero omnino exiſtant.

Ob erran- di pericu- lum.

Ut pauca tantum exempli loco afferam, (neque aliquid dicam de ſacratiſſimo B. M. V. corpore, quod in cœlum aſſumtum pie credimus, ejus vero ſepulchrum in valle Jo- ſaphat perſuaſio eſt, cum patres Epheſini pro- pe ejus ſepulchrum conſidere ſe perſuaſi fuiſ- ſe videantur, ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης, καὶ ἡ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία, *ubi JOANNES theologus, & DEIpara vir- go ſancta MARIA*) hodieque ſunt de S. MARCI corpore contentiones an Venetiis, an in Augia majore ſeu divite ſit, an Pra- gæ ſaltem magnam partem. De qua re Bol- landiſtæ ex martyrologio MS. Pragenſi eccle- ſiæ cathedralis ſequentia exſcripſerunt: *Cu- jus corpus per piiſſimum imperatorem CA-*

RO-

ROLUM M. (est depositum) in monasterio Augiæ-majoris ordinis S. BENEDICTI diœcesis Basileensis, quod ipse CAROLUS fundavit, & conditum fuit per multa tempora. Demum veniens ibi CAROLUS IV. imperator Bohemiæ rex, ejusdem sancti evangelistæ corporis multis precibus obtinuit magnam partem: & facta sibi tumba argentea deaurata, & capite suo cum auro, & argento decorato transtulit ad ecclesiam Pragensem cum omni honore, & solennitate. Distinguenda est duplex Augia major, utraque in diœcesi Constantiensi, Augia major prope lacum Brigantinum, ac Augia dives, etiam major olim non raro dicta: ubi etiamnum persuasio est, atque ostenditur S. MARCI sepulchrum, quod indigitans in ejus festo diaconus, solemniter evangelium cantans, loco *secundum MARCUM* dicere solet *secundum istum.* Sed tempus factæ translationis in istam insulam, aliquando etiam Venetiæ dictam, an. 830. incidit in regnum LUDOVICI PII, non CAROLI MAGNI.

Non minus de nomine, ac persona S. DIONYSII, quam de ejus corpore inter San-Dionysianos prope Parisios, & San-Emeranos Ratisbonenses disceptatur. Quemadmodum etiam corpora SS. GERVASII & PROTASII Mediolanensi urbe a FRIDERICO BARBAROSSA diruta Brisacensis vetus urbs an. 1159. ab ARNULPHO archiepiscopo Coloniensi sublata accepisse gloriatur, veneraturque. Quæ exempla ex hac, qua dego, atque hæc scribo, vicinia, patriaque hic referre volui; quibus unum adjungam domesticum non terræ situ, sed ordinis professione de corpore S. P. BENEDI-

NEDI-

NEDICTI, quod Itali, Gallique pariter ſibi vindicant pontificum bullis nixi. Qua de re agens PAPEBROCHIUS, celebris inter Bollandiſtas, profitetur, paratum ſe eſſe S. BENEDICTUM venerari tam in eo, quod in Italia, quam quod in Gallia eſt, corpore, nihilque ſe dubitare, quin id gratum DEO ſit, non nimium ſcrupuloſos nos volenti eſſe in hac parte, ne, dum locus deligitur, religio minuatur. Reperit MABILLONIUS Neapoli in bibliotheca Olivetana inter manuſcriptos codices hiſtoriam translationis S. BENEDICTI & S. SCHOLASTICÆ ex Italia in Galliam: tametſi *eorum cadavera partim non ex toto translata dicuntur.* *T.I. Muſ. Ital. p. 110.*

Aliud certe eſt, quod de S. MARTINO refert SULPITIUS SEVERUS in vita illius: eum divinitus edoctum eſſe, qui in altari quodam diu ut martyr cultum accepit prope Turonas, fuiſſe prædonem, qui ſcelerum ſuorum pœnas extremo ſupplicio dederat. Agit hoc MABILLONIUS in laudata de cultu SS. ignotorum epiſtola, ut diſquirat, quænam ſigna ſint ſepulchralia chriſtianorum ab ethnicis diſtinctiva, & chriſtianorum a ſanctis martyribus, quorum reliquiis debeatur cultus; ſic autem demum colligit: „ Ex his, quæ hactenus dixi de „ notis & ſignis, quibus chriſtianorum, & in „ his martyrum tumuli a paganicis ſecernuntur, „ facile intelligitur, alia indicia eſſe „ certa, alia dubia, & æquivoca. Chriſtianorum „ tumulos diſtinguunt ſacræ hiſtoriæ „ eis impreſſæ, crucis ſignum, CHRISTI „ monogramma cum A. & Ω. palma & corona „ chriſtianis magis propriæ, quam paganis, *c. 8.* *n. 10.*

R „ ganis,

„ ganis, quibus si aliquando, certe rarius „ eas tributas invenias. Ad martyres quod „ attinet, ampullas sanguine tinctas cum pal„ mis pro certissimis martyrii signis merito „ agnoscit sacra congregatio super reliquiis „ instituta: alia in ulterius examen pruden„ tissime rejecit. Cui decreto, ut jam di„ xi, ultro ac reverenter subscribo. Quod „ spectat inscriptiones, illæ christianos de„ signant, in quibus hæ formulæ habentur, „ *bonæ memoriæ*, *quiescit*, vel *dormit in pa*„ *ce*, *depositus*, Kalendarum, Nonarum, & „ Iduum notationes, quæ omnes etiam mar„ tyribus communes sunt, at peculiares & „ propriæ, si eorum martyrium diserte ex„ primant. „ Refert ex codice regio carmen Græcum, & Latinum: *In eos*, *qui* (gentilium) *sepulchra effodiunt prætextu martyrum* (sepeliendorum) atque post alios notat christianos paganorum titulos, seu lapides accepisse, & suis loculis cœmeterialibus claudendis applicuisse propriis nominibus insculptis, & profanorum absconditis, aut abrasis. Quamvis autem non solum a consortio ethnicorum in sepultura, sed etiam hæreticorum abhorruerint antiqui christiani, id tamen vitari semper haud potuit, etiam quoad ipsos martyres. Qua de re S. CHRYSOSTOMI homilia *de ascensione* legenda est: ubi FLAVIANUM laudat, quod tumulos hæreticorum Arianorum in cœmeterio Antiocheno prope sepulchra martyrum separaverit, cum posset in ista confusione contingere, ut pro sancti martyris corpore hæretici acciperetur. Pagani aliquando martyrum cadavera cum profanis malitiose miscebant. Sic VITALIS & AGRICOLA, teste S. AMBRO-

n. 9.

T. II. p. 447.

BROSIO, sepulti erant Judæorum solo, inter ipsorum sepulchra. Conqueritur S. GREGORIUS Naz. JULIANUM Apost. reliquias cum ossibus contemtissimis per ludibrium permisceri jussisse. Auctorque est SOZOMENUS, reliquias NESTABI, & ZENONIS cum ossibus camelorum, & asinorum commistas fuisse. Aliquando miraculo res prodita est, ut in massa candida, aut visione, ut S. AMBROSIO. Alias vero facile hic est errandi periculum. *Orat. 2. cont. Julian. apost.* *L. V. c. 8.*

Levius est, nec perinde refert, si aut acta, aut nomina martyrum commutentur, perdanturque, dummodo traditione sacra, aut aliunde de veris constet reliquiis: quod tam publico, quam privato cultu accidere pronum est. Cujusmodi exemplum S. GREGORIUS Turon. refert: *Pater meus nuper junctus conjugio voluit se sanctorum reliquiis communiri, petivitque a quodam sacerdote, ut ei aliquid de iisdem indulgeret, quo scilicet in viam longinquam abiens tali præsidio tutaretur. Tunc inclusos in lupino aureo sacros cineres circa eum posuit, sed ignarus vir nominum beatorum, referre solitus erat, se a multis tunc erutum periculis: nam & violentias latronum, & pericula luminum sæpius se evasisse horum virtutibus testabatur.* PRUDENTIUS hym. XI. περὶ στεφ. de innumeris Romæ martyribus sic canit: *De glor. MM. c. 84.*

. . . . Tu singula quæris
Nomina? Difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troja Roma deos.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur
Martyris, aut nomen, aut epigramma aliquod.

R 2 *Sunt*

Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virûm jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legis.

§. LIX.

Quod, quomodo evitetur, ostenditur.

Sicuti non temere negandus, ita nec inconsulto tribuendus, aut ampliandus est incertis præsertim reliquiis cultus, in medio rem potius relinquendo; non inhonorando sanctos.

Sequenda hic est S. MARTINI moderatio, ac religio in discernendo falso illo martyre, cujus aram subvertit, non temere procedendo, sed lente, & cum DEI auxilio rem aggressus: „Rem incertam videns, non temere adhibuit incertis fidem. Deinde grandi se scrupulo permoveri sensit, quod nihil certi constans sibi majorum memoria de illo tradidisset. Postremo ab his, qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi. Igitur temperabat sibi aliquamdiu ab accedendo loco illo. Interim ad DEUM confugiens cum paucis fratribus ad sepulchrum martyris, qui habebatur, accessit, precibus rogat, quis, aut cujus meriti is esset, ut sibi indicaretur. „ Viditque spectrum, ex quo cognovit, non martyrem, sed latronem, pro sceleribus extremo supplicio affectum, eo loci sepulturam accepisse. Erant tempore INNOCENTII III. eccle-

L. c.

ecclesiæ, quæ se præputium Domini habere dictitarent, de quo jam TITUS Bostrensis testatur, fuisse, qui suo tempore anxie quorsum devenerit, quærebant: Pontifex ille sapienter censuit, melius esse DEO totum committere, quam aliquid temere definire. Recte GUIBERTUS abbas hanc in rem sciscit: *Si sanctum, quis æstimet, quem sanctum vero non esse constet; si eum præcordialiter, & secundum fidem interpellet, apud DEUM, qui causa, & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocunque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur, & quod sub spe boni honoratur, nunquam a boni remuneratione cassatur.* Refert hæc MABILLONIUS laudata sæpius in epistola de cultu SS. Ignotorum, ut concludat, nec sola miracula etiam vera sufficere ad probandam alicujus sanctitatem; nisi aliunde comperta sit, aut ex insigni vitæ sanctitate, aut ex certo, & approbato martyrio, cum fieri possint vera miracula ad falsas reliquias ob fidem & pietatem eorum, qui eas veras esse credant. Cautio est hic adhibenda quoad publicum cultum impendendum juxta concilium Francofordiense sub CAROLO M. *Ut nulli novi sancti colantur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt. Et hæc quidem,* addit MABILLONIUS, *in accensendis numero sanctorum confessorum novis sanctis accurate observantur, cur non etiam in illis incognitis.*

L. IV. de miss. myst. c. 30.

L. I. de pign. in fine.

n. 18.

Can. 42.

Operæ pretium est regulas ex eodem afferre, quibus religiosi honores legitimis sanctis

De cult. SS. Ignot. n. 12.

ctis decernuntur: Prima regula est, ut sancti illi nequaquam dubii sint, sed certi, & indubitati, utpote certis & indubitatis recogniti argumentis. Id enim ad religionis sinceritatem spectat, ut nonnisi certa fidelibus sanctioris vitæ exempla proponantur. Secunda est, ut ex certis, & indubitatis sanctis (de confessoribus loquitur) illi tantum colendi toti ecclesiæ proponantur, & imitandi, qui inter eos illustriores extiterint, idque præclaris & heroicis gestis consecuti sint, ut eorum vita fidelibus omnibus in speculum & exemplum proponatur. Alias quicunque, sive pueri, sive adulti, qui statim accepto baptismate ex hac vita decedunt, solemni cultu honorari possent. Tertia regula est ex prædictis consequens, ut eorum nomen, & facta perspecta sint, aut ex traditione majorum, aut ex indubitatis posterorum testimoniis, & si quidem pro martyribus habeantur, ut de eorum passione pro CHRISTO tolerata constet, non vanis & æquivocis conjecturis, sed certis argumentis, de quibus modo actum est. Quarta denique regula est, ut omnibus sanctorum factis & virtutibus, miraculis, eorumque circumstantiis attente consideratis, & expensis, de eorum cultu statuat ecclesia, vel summus pontifex, cui maxime credita est harum rerum definitio. Cauta est in hac re ecclesia, nec promiscue cultum publicum concedit, juxta decretum generale sacræ congregationis rituum ab INNOCENTIO XII. approbatum contra nonnullos abusus, qui in cultum quorundam sanctorum irrepserunt circa recitationem officii sub prætextu decreti ab eadem congregatione evulgati an. 1630. & in breviario Romano

no impreſſi, in quo permittitur in eccleſia recitari officia, & miſſas celebrari de illis ſanctis, quorum corpora, aut reliquiæ inſignes in ea aſſervantur. Eminentiſſimi Patres eidem ſacræ congregationi præpoſiti iisdem abuſibus evellendis præcipue intenti inhærendo decretis alias in ſimilibus caſibus editis, declararunt prædicta officia ſanctorum ratione corporis ſeu inſignis reliquiæ recitanda intelligi debere de ſanctis duntaxat in martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate corporis ſeu reliquiæ inſignis illiusmet ſancti, qui reperitur in martyrologio deſcriptus. De cæteris vero ſanctis ab ordinariis locorum approbatis debitam quidem fidelium venerationem (prout hactenus ſervatum eſt) exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed absque officio & miſſa ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in conſtitutionibus beati PII V. contentis de die 11. Auguſti 1691.

Quot quæſo martyrum ſanctiſſimorum corpora in flumen, aut mare præſertim in perſecutione DIOCLETIANI projici DEUS permiſit, teſte LACTANTIO, aut a beſtiis vel igne conſumi, oſſibus animalium commiſceri: aut etiam jam diu venerationi expoſita comburi, veluti de corpore S. JOANNIS BAPT. Sebaſteæ teſtatur THEODORETUS. Quot Calviniſtæ præſertim in Galliis in cineres redegerunt corpora S. MARTINI, GERMANI e. g.? Dolent id quidem pii catholici, ſed gloria ſanctorum integra eſt, dum in honore ſunt apud DEUM, & homines, hique, quantum poſſunt, agunt, ne profanentur ſacra eorum lipſana. Quam in rem


De mort. perſecut. n. 20. &c.
L. III. hiſt. c. 3.

T. II. conc. p. 1508. & seqq.

insigne extat Bracarense concilium : *Nunc autem*, proponit PANCRATIANUS, *si placet vobis, statuatur, quid agendum sit de reliquiis sanctorum, præcipue patre nostro, & apostolo hujus regionis PETRO Ratistensi, quem ad salvandas animas JACOBUS Domini consanguineus dimisit?* Id autem consuluerunt, ut, si non omnes, quantum saltem possent, a periculo eriperent. Hoc pium est, quod reliquum est, DEO est committendum.



SECT. III.



SECTIO III.

DE REBUS AD CULTUM SACRUM PERTINENTIBUS.

CAPUT I.

De locis ad cultum divinum destinatis.

§. LX.

Sacri conventus ad divinum cultum, & liturgiam publice semper, quantum fieri potuit, in ecclesiis sunt habiti.

Conventuum sacrorum loca.

De his sacris conventibus PLINIUS ad TRAJANUM imperatorem perscripsit: *Qui essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque CHRISTO quasi DEO dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod constringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium, quod ipsum facere desisse post edictum, quo secundum mandata tua hetærias esse vetueram.* TERTULLIANUS meminit hujus rei: „PLINIUS secundus (inquit) cum provinciam regeret, „

L. X. ep. 97.

Apol. c. 2.

R 5 „ dam-

„ damnatis quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc TRAJANUM imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum CHRISTO, & DEO, ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes „ Colligitur vero ex PLINII verbis, atrocitatem persecutionum frequentiam sacrorum horumce conventuum cohibuisse, de quibus etiam in quæstionem haud raro coram tribunali sunt vocati christiani.

Act. sinc. p. 42. Qua de re S. JUSTINUS M. interrogatus, ut in ejus actis habetur, respondit quidem, ubicunque vellent ac possent, convenire christianos; at nihilominus cum DEUS nullis contineatur locis, ac cœlum terramque compleat, non eodem semper congregari in loco. De loco loquitur, non de conventibus ipsis, de quibus publicum testimonium edidit palam in apologia sua secunda: *Nos autem secundum hujusmodi lavationem credentem jam, & nobis adscitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces, & supplicationes, cum pro seipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas: ut digni, idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna.* Non igitur de conventibus est quæstio, sed de locis ad hoc destinatis, cum vete-

veteres apologistæ ORIGENES, MINUTIUS FELIX, ARNOBIUS, & LACTANTIUS videantur dicere, in primæva ecclesia nulla fuisse templa, uti exprobrabant gentiles, *& aras, & simulacra, & delubra nos defugere*, ut CELSUS apud ORIGENEM dicit. Et CÆCILIUS *L. VIII.*
apud MINUTIUM FELICEM: *Cur* *In Octavio.*
nullas aras habent christiani? templa nulla? nulla nota simulacra? Et ARNOBIUS: *L. VI. contra gentes.*
In hac consuevistis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia exstruamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam, non altaria fabricemus, non aras. Quod nihil horum abnuerint apologistæ, ratio manifesta est, contra superstitiosum idolorum cultum, templo inclusis velut diis. „ Cur igitur (inquit LACTANTIUS) oculos in cœlum non tollitis? Et *L. I. de fals. relig.*
„ advocatis deorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimum, quam illo spectatis, ubi eos esse creditis? Quid sibi templa? Quid aræ volunt? Quid ipsa denique simulacra? „ Hæc vituperabant christiani in gentilibus, hæc a suo cultu publico amovebant, non destinatos ad eundem cultum sacros locos; quamvis initio ædes ad hoc extructæ, & consecratæ esse statim non potuerint. Unde in Actis κατ' οἶκον domatim conventus habiti dicuntur. Nihilominus SS. PP. illud apostoli: *Numquid domos non habetis* *Act. II. 46.*
ad edendum, aut bibendum? aut ecclesiam DEI contemnitis? Huc interpretantur, uti *1. Cor. XI. 22.*
S. AUGUSTINUS eum versans locum, „ Et hoc (inquit) quotidianus loquendi usus *Quæst. 57.*

„ obti.

„ obtinuit, ut ad ecclesiam prodire, aut ad „ ecclesiam confugere non dicatur, nisi quod „ ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel „ confugerit, quibus ecclesiæ congregatio „ continetur. „ Et S. BASILIUS in eundem locum: „ Unde sane admonemur, non „ debere nos, neque communem cœnam in „ ecclesia manducare, aut bibere, neque do„ minicam in privata domo in contumelia „ habere: extra quam si quis, quum neces„ sitas poscat, locum ædemque elegantio„ rem deligat in tempore opportuno &c. „ Necessitatem flagitasse illorum temporum in privatis domibus, ubi possent conventus celebrare, nemo mirabitur.

Reg. major. q. 30.

At etiam constat in ejusmodi domibus destinata fuisse sacra loca, uti in utraque epistola S. PII P. ad JUSTUM Viennensem exempla habentur: *Soror nostra EUPREPIA titulum domus suæ pauperibus assignavit; ubi nunc commorantes missas agimus.* Et in secunda epistola: *Presbyter PASTOR titulum condidit, & digne in Domino obiit.* ARNOBIUS in gentiles invehitur: *Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui? In quibus summus oratur DEUS? pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum unitione. In quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos familiaris communicatores rei, & cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos.* Manifestum est conventicula ibi vocari loca sacris nostris deputata. Quæ tempore persecutionis Diocletianæ immaniter undique

T. I. conc. p. 576. 577.

L. IV. contra gentiles.

dique destructa esse, cum primum persecutio initium sumeret, opus haud est testimoniis asserere, quod omnibus harum rerum gnaris constat ex LACTANTIO de mortibus persecutorum, atque etiam S. HIERONYMUS nomen id, & rem notat: *In tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent.* EUSEBIUS de martyribns Palæstinis ad metalla damnatis memorat, tanta eos gavisos esse libertate, ut ecclesias exstruerent. Idem, qui proximus claruit persecutionum temporibus, mirabilem deprædicat illam frequentiam, magnitudinem, & pulchritudinem ecclesiarum DEI in omni loco excitatarum: *Nam*, addit, *totus orbis plenus ecclesiis est.* Dubium haud est, ex illa etiam ruina persecutionis DIOCLETIANI, & MAXIMIANI superfuisse ecclesias. Quid quod idem EUSEBIUS testis est antea sub GALIENO restitui jussos τόπȣς θρησκευσίμȣς locos religiosos. Idem cum postea commemorat, AURELIANUM imperatorem PAULUM SAMOSATENUM expelli jussisse a domo ecclesiæ, aut ipsam ecclesiam indicat, aut supponit illis temporibus persecutionum publicam Antiochiæ ecclesiam fuisse: quæ tunc solebant frequenter super loca martyriorum, ac sepulchra martyrum exstrui, inde martyria, aut cœmeteria, aut etiam sepulchra martyrum dicta, seu ut TERTULLIANUS, qui passim ecclesiarum meminit, nominat areas sepulturarum. Quod nomen alibi etiam occurrit præsertim in actis Donatistarum. *In area, ubi orationem facitis*, uti habent gesta CÆCILIANI. Celebris etiam fuit in Africa mensa CYPRIANI: „Non quod ibi (ut ait „S. AUGUSTINUS) est unquam CY- „PRIA-

In cap. VIII. Zachar.

c. 11.

Comment. in Isa. p. 560.

L. VII. c. 13.

c. 30.

Ad Scapulam, c. 3.

Ad calcem S. Opt. Mil.

Serm. 113. *de diversis.* „ PRIANUS epulatus, ſed quia ibi eſt im„ molatus, & quia ipſa immolatione ſua pa„ ravit hanc menſam non in qua paſcat ſive „ paſcatur, ſed in qua ſacrificium DEO, cui „ ipſe oblatus eſt, offeratur. „ Temporum ratio multo magis tunc flagitavit, ut vel maxime tectæ eſſent aræ noſtræ non ſolum ob profanationem, ſed etiam perſecutionem, & inſidias, ut eſſent eccleſiæ quacunque demum ſtructura, aut etiam nomine, cum templa vix primis illis temporibus fuerint dicta, niſi apud S. IGNATIUM, qui *νάον Θεȣ̃* templum DEI nominat, & altare paſſim, ut jam ſuperius ſuo loco oſtendi. Quæ nomina tunc promiſcue adhibere religioni adhuc haud abs re duxerunt ob ſuperſtitiones idololatricas. Proprium autem ſemper fuit *eccleſiæ* nomen tum pro cœtu chriſtianorum, cum etiam pro loco, in quo ſacra noſtra agebantur. Quod

L. II. ep. 246. ISIDORUS PELUS. nomine diſtinguit: *Aliud*, inquit, *eſt eccleſia*, *aliud eccleſiaſterium: nam ea ex immaculatis animis conſtat; hoc autem ex lapidibus*, *& lignis exædificatur.*

Fuerunt & alia nomina imprimis frequens *dominicum κυριακὸν* abſolute ſumtum: uti

Act. Ruinart. p. 387. in actis SS. SATURNINI, DATIVI pro loco ſumi videtur: *Collectam glorioſiſſime celebravimus*, *ad ſcripturas dominicas in dominicum convenimus ſemper.* Ante quidem

Ib. pro ſacrificio, ſeu liturgia ipſa accipitur: *Quaſi chriſtianus ſine dominico eſſe poſſit; aut dominicum ſine chriſtiano celebrari? An neſcis ſatanas*, *in dominico chriſtianum*, *& in chriſtiano dominicum conſtitutum*, *ut nec alterum ſine altero eſſe valeat? Cum nomen audieris*, *frequentiam Domini diſce: & cum*

colle-

collectam audieris, *nomen agnosce*. S. CYPRIANUS eandem vocem sensu utroque adhibet: „Locuples & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis? Quæ in dominicum sine sacrificio venis? Quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?„ S. HIERONYMUS auctor est, celebrem ecclesiam Antiochiæ a CONSTANTINO ædificari cœptam, & finitam dedicatamque a CONSTANTIO, propter magnificentiam, & pulchritudinem suam *dominicum aureum* appellatam fuisse. EUSEBIO teste idem CONSTANTINUS varia templa a se ædificata hoc nomine insignivit. „Unde etiam (inquit) Domini vocabulo honorata sunt; non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe κυριακῶν dominicorum nomen sunt sortita.„ Respondet huic Græco nomini Germanicum Kirch haud dubie Græca origine. Nolim ego decidere, an hujus originatio vocis tantæ sit antiquitatis, quam hic spectamus, primorum temporum adhuc sub tenebris gentilismi oppressorum.

De oper. & eleemos.

De laud. Constant. c. 17.

Res aliunde in salvo est contra eos ex Protestantibus, qui ecclesiarum seu ædium sacrarum usum omnem illis temporibus negant. Cujus erroris refutandi causa ista sumus prosecuti ex prima ætate, non abs re: quoniam istis cuniculis cultum publicum lacessunt in conventibus christianorum semper habitum, ubi fieri potuit, locis ad hoc destinatis consecratisque, ut mox videbimus. Primum autem BOGOMILI, ut discimus ex Panoplia EUTYMII Zigapini, criminati sunt ecclesiarum usum, Petrobrusianorum PETRUS Venerabilis inter

n. 49.

T. XXII. 1135.

ter alios errorem notat, & furorem in ecclesiis & altaribus destruendis.

§. LXI.

Rite consecrata.

Solemni consecratione ad sacram liturgiam, dum licuit, dedicari semper sunt solitæ ecclesiæ cum altari, aut repurgari, pravo usu, aut scelere contaminatæ.

De reb. lit. L. I. c. 20. n. 3.

Templorum consecratio, inquit Card. BONA, *e veteri testamento ad novum ab apostolis ad successores emanavit; atque hunc ritum servavit ecclesia totius orientis, & occidentis consensu. Sunt, qui EVARISTO P. ejus originem adscribunt; sed multo certius est, apostolicum institutum esse, nisi dicamus ab hoc pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab antecessoribus acceperat.* Equidem certa, & indubitata hic deficiunt primæva monumenta; nihilominus vel inde conjici potest, quam sacrosancta fuerit ista dedicatio, quod, cum primum sub christianis principibus licuit, tanta pompa, & celebritate fuerit transacta; neglecta vero, etiam urgente necessitate, tanto crimini data. Prius illud constat imprimis ex solemni templi Hierosolymitani sub CONSTANTINO dedicatione, de qua EUSEBIUS, „ Sacer„ dotes DEI (inquit) partim precationibus, „ partim sermonibus festivitatem ornabant. A„ lii siquidem comitatem religiosi imperato„ ris erga omnium servatorem laudibus cele„ brabant, & martyrii magnificentiam oratio„ ne persequebantur. Alii sacris theologiæ „ dogmatibus ad præsentem celebritatem ac„ commo-

De vit. Const. L. IV. c. 45.

commodatis, ſpirituale quoddam epulum au- „ dientibus præbebant. Quidam ſacrorum vo- „ luminum lectiones interpretabantur; arca- „ nos, & myſticos ſenſus in lucem proferen- „ tes. „ Magna epiſcoporum frequentia actum id erat, a CONSTANTINO M. in hunc finem Hieroſolymas accitorum, teſte SOCRATE & SOZOMENO. Quemadmodum ad ſimilem dedicationem congregati ſunt obtentu encæniorum, ut vocat S. ATHANASIUS; atque etiam S. HILARIUS pariter de ſynodis agens, teſtis eſt, centum fere catholicorum epiſcoporum, & quadraginta Arianos conveniſſe.

L. I. c. 28.
L. II. c. 26.

Quantopere vero Sycophantæ Ariani eundem S. ATHANASIUM calumniati ſint apud imperatorem, quod conventus ſacros habuiſſet, & rem divinam feciſſet in eccleſia (quam idem imperator CONSTANTINUS conſtrui Alexandriæ juſſerat) antequam dedicaretur, aut etiam ſuis omnibus partibus eſſet abſoluta, optime ex ipſo ATHANASIO diſcimus in apologia ad imperatorem, ubi vim ſibi factam, & neceſſitatem ad excuſationem affert: „ Cum eccleſiæ paucæ parvæque eſ- „ ſent (ſunt ipſa ejus verba) magnoque tumul- „ tu poſceretur, ut in magna eccleſia con- „ ventus ageretur, ibique omnes preces fun- „ derent pro tua ſalute, ſicque acta res eſt. Me „ contra hortante, ut rem tantiſper differrent, „ & quolibet modo etiam cum compreſſione „ in aliis eccleſiis cœtus agerent, morem „ illi non geſſere, imo parati erant ex urbe „ egredi, ut in deſertis locis ſub dio con- „ ventus celebrarent; ſatius itineris perferre „ laborem, quam cum mœrore feſtum pera- „ gere &c. „ Provocat etiam ad ſimilia in ta-

Ap. I. ad Conſt. p. 305.

p. 304. li casu exempla : „ Rem similem (inquit) „ Treviris, & Aquilejæ factam vidi ; ubi „ item ob populorum frequentiam , dum „ templa exstruerentur, in illis nihilominus „ conventus agebantur : nullusque tamen „ extitit, qui factum hujusmodi in crimen „ vocaret. „ Ipsemet talem rem sub ALEXANDRO antecessore viderat in ecclesia Theonas appellata, ubi ob populi multitudinem opus fuit sacra peragere, antequam consummaretur ædificium, ac dedicaretur. Quod qua solemnitate rituque factum fuerit ex S. AMBROSIO de exhortatione virginitatis discere licet : pariter S. GAUDENTII Brixiensis extat sermo de dedicatione ecclesiæ. (c. 14.)

Ex utroque autem constat, sacras reliquias in hunc finem fuisse adhibitas. Desiderante id S. AMBROSIO, ad vota populi ardentia dedicandi ecclesiam, quæ hodieque Ambrosiana audit, divinitus revelationem accepit corporum SS. GERVASII, & PROTASII, ut discimus ex ejus epistola ad MARCELLINAM sororem, & ex S. PAULINO. In concilio Carthaginensi cavetur : *Omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliqua certa reliquia sunt, aut ubi origo alicujus habitationis vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* In regula S. AURELIANI recensentur plurimæ sanctorum apostolorum, martyrum, & confessorum reliquiæ, ac sacræ crucis (veluti etiam in laudata S. PAULINI epistola) in altari reconditæ : (Ep. 22. Ep. 32. Can. 14. Cod. regul. p. 69.)

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositis sacra cum cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt martyria CHRISTI,
Crux, corpus, sanguis, martyris ipse DEUS.

In

In vita S. SABÆ apud COTELERIUM refertur de SALLUSTIO patriarcha Hierosolymitano: „ Ecclesia Theoctista dedicata, sanctificatum altare, in concha a DEO „ condita defixit, sub quo plurimas sancto- „ rum, ac victoriis clarorum martyrum reli- „ quias deposuit. „ In concilio Epaonensi statuitur: *Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cujuscunque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.* Consecrationis loco habebantur reliquiæ ejuscemodi cum dedicatione facta DEO & sanctis. „ Hanc quoque (inquit S. PAULINUS) basiliculam de benedictis aposto- „ lorum, & martyrum reliquiis sacri cineres „ in nomine CHRISTI sanctorum sancti, „ & martyrum martyris, & dominorum Do- „ mini consecrabunt. „ *T. III. mon. Gr. p. 247.* *Can. 25.* *Ep. 32.*

Ex laudato etiam Epaonensi concilio constat, jam tunc sacro oleo esse consecrata altaria. *Altaria nisi lapidea chrismatis unctione non sacrentur.* Jam antea in concilio Agathensi expressius habetur: *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* *Can. 26.* *Can. 14.*

In concilio Epaonensi habetur canon de basilicis hæreticorum: *Quas tanta execratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus: sane, quas per violentiam nostris abstulerant, possumus revocare.* Præsedit huic concilio S. AVITUS Viennensis, qui in eandem sententiam in epistola quadam scivit ad VICTORIUM Gratianopol. At paucis antea annis in concilio Aurelianensi sancitum est consecrare ecclesias Gothorum, A- *Can. 33.* *Ep. 6.*

rianorum ſcilicet: quorum etiam eccleſiam iterum conſecrandam voluit S. GREGORIUS M. reliquiis S. SEVERINI, cujus habebat nomen, in eam miſſis. Alibi reconciliatio nominatur ejusmodi conſecratio.

L. III. ep. 19.
L. III. dial. c. 30.

Idem ad MELLITUM ſcripſit, ut S. AUGUSTINO renuntiaret, ne templa idolorum penitus deſtrueret, ſed aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur, ut etiam BEDA refert; item de BONIFACIO IV. „ Qui impetravit a FORATE principe donari eccleſiæ CHRISTI templum Romæ, „ quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quaſi ſimulacrum eſſet omnium deorum. In „ quo ipſe eliminata omni ſpurcitia fecit eccleſiam ſanctæ DEI genitricis, atque omnium martyrum CHRISTI, ut excluſa „ multitudine dæmonum multitudo ibi ſanctorum memoriam haberet. „

L. XI. ep. 76.
L. I. c. 30. hiſt.
L. II. c. 4.

Primum chriſtiani imperatores deſtrui jubebant fana, ac idolorum templa, quod queruntur eorum temporum ſcriptores ethnici EUNAPIUS in vita ÆDESII, LIBANIUS in oratione apologetica 26. JULIANUS orat. 7. SOCRATES vero teſtatur de duobus MACARIIS deportatis in inſulam quandam adhuc gentiliſmo deditam, hac vero occaſione ad fidem chriſtianam adductam: *Statim itaque ſimulacra projicientes fabricam templi in eccleſiæ ſpeciem commutarunt.* Et GOTHOFREDUS ex chronico Alexandrino an. 379. refert, THEODOSIUM templum Heliopolitanum, quod Balanii dicebatur, ingens, & celeberrimum, in chriſtianorum eccleſiam convertiſſe. Quod univerſim ab HONORIO factum de templis idolorum

L. IV. c. 24.
Comment. in cod. Theodoſ. L. 16. tit. 2. de paganis leg. 25.

lorum memorat auctor, qui sub PROSPERI nomine libros de promissionibus scripsit; singulare vero narrat de templo deæ COELESTIS Carthagine per S. AURELIUM ita repurgato. *Ipse*, inquit, *tunc aderam cum sociis, & amicis, atque (ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam, & incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis, grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus:* AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. *Hunc legentes populi mirabantur. Præsago tunc spiritu acta, quæ præscius DEI ordo certo isto fine concluserat.* L. III. c. 38.

Quoad ecclesias vero christianorum destructas habetur SILVERII P. decretalis ad PROFUTURUM episcopum Bracarensem ne ecclesia veteribus fundamentis superstructa iterum consecraretur. Aliter faciendum est, si altare fuerit aut destructum, aut loco motum. „De quo quidem (rescribit S. ANSELMUS ad abb. WILHELMUM) „neque in decretis, neque in canonibus memini me aliquid legisse: sed a quodam episcopo audivi, quod in decretis EUGENII P. legitur, altare motum iterum consecrandum. De his cum domino papa URBANO locutus sum, assistentibus quibusdam episcopis. Sed papa dicebat, mensam altaris motam nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, neç amplius in altare reputandam. Alii vero dicebant tantum reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostendentes. In hoc autem omnes concordant, quod violato principali tota ecclesia „cum

Apud Baluz. conc. T. p. 1468. a. 4.

L. III. ep. 158.

„ cum altari iterum consecranda est: nec ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem ecclesia. In his autem omnes concordant, cum quibus locutus sum, excepta altaris mensa. Item si aliqua pars ecclesiæ destructa reficitur, aut nova fit altari immoto, aquam tantum ab episcopo aspergendam dicunt. Ratio autem, quam a me quæsivistis, hæc mihi videtur super his; altare non fit propter ecclesiam, sed ecclesia propter altare; & ideo violato principali altari jam non videtur esse ecclesia: quia non est illud, propter quod ecclesia construitur, & consecratur. Quapropter cum illud fit novum, recte videtur cum eo consecrari, per quod recipit, ut sit ecclesia &c. „

Ep. 72. 80. Agit deinde de altari moto e loco, de quo etiam interrogatus IVO Carnotensis respondit, omnino esse consecrandum iterum, objectionemque de altari portatili solvit. Exemplum, quod addit, de ecclesia iterum consecranda, quando altare est destructum, idem est, quod ex S. ANSELMO attulimus: prodit autem, se animi sui sententiam non aliqua certa auctoritate, aut ecclesiæ constitutione, fixaque regula, sed ex ore etiam, ac usu aliorum pandere, cum res sit hæc, quæ & variam praxin habere possit, ac habuerit paucioribus, aut pluribus cæremoniis contentam, de quibus, ut suo tempore erant, legi meretur IVONIS Carnotensis sermo de dedicatione.

§. LXII.

Deo, & sanctis ejus.

Tametsi soli DEO in supremum latriæ cultum erigantur, dedicen-

tur-

turque templa, semper tamen in memoriam, & honorem martyrum, & aliorum sanctorum etiam consecrata fuerunt.

Nonne, inquit S. AUGUSTINUS, *si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate CHRISTI, & ab ecclesia DEI, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum deberetur DEO. Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturæ, quomodo non est DEUS verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?* Dicit hoc ad probandam divinitatem Spiritus sancti. Quod argumentum catholici contra Arianos adhibere solebant, de adoratione, cultuque latriæ soli DEO debito; cujus discrimen jam ostendimus in cultu & veneratione sanctorum, hic iterum inculcandum, & ab eodem S. AUGUSTINO frequenter vindicatum tam contra superstitionem gentilium, quam cavillationem hæreticorum. *Nos autem*, inquit, *martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO, & martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines DEI, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur, DEO quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriam sacrificet eorum, quia DEI sacerdos est, non illorum.*

L. I. cont. Maximin. Arian.

L. XXII. de civ. D. c. 10.

Sacrificium est supremus latriæ cultus soli DEO debitus, & in altaribus templisque nostris præstari solitus. *Honoramus eos*, idem ait, *charitate, non servitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari a nobis, qui nos ipsos, quum boni sumus, templa summi DEI esse noverunt.* Sic ergo soli DEO templa dicamus, martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias, uti sæpe vocat S. AUGUSTINUS. Imprimis autem memorabile est, quod inter sermones illius refertur de quodam, qui, cum lapidaretur S. STEPHANUS, adfuerit, & lapidem, qui resiliit, abstulerit divino monitu Anconæ in Italia repositum, ex quo tempore cœperit esse ibi memoria S. STEPHANI.

De vera relig. c. 55.

Serm. 323.

Multa hucusque attulimus, ex quibus constat, inde ab ecclesiæ incunabulis id obtinuisse, ut martyribus templa ceu trophæa erigerentur. Quo etiam S. IGNATIUS respicit in epistola ad Romanos; *Plus mihi tribuere non potestis, quam ut immoler DEO, dum adhuc altare paratum est: ut in charitate chorum constituentes, canatis Patri in Christo JESU, quod episcopum Syriæ dignatus fuerit DEUS in occidente inveniri, ab oriente accersitum.* Sunt, qui locum CAJI Romani a me superius adductum, ubi trophæa apostolorum nominat, etiam de ecclesia intelligant, quomodo a S. HIERONYMO vocantur: *Est ibi* (Romæ) *sancta ecclesia*, inquit, *sunt trophæa apostolorum, & martyrum.* Quæ alibi sepulchra vocat apostolorum, & martyrum, ad quæ convenire soliti sint christiani: *Solebam*, inquit, *cum cæteris ejusdem ætatis, & propositis diebus domi-*

n. 2.

Epist. ad Marcellam.

In Ezech. c. 40.

dominicis sepulchra apostolorum, & *martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi.* Nemo amplius quam S. CHRYSOSTOMUS hanc fidelium devotionem deprædicat: *Contemplare*, inquit alicubi, *civitates ad martyrum sepulchra concurrentes*, & *populos eorum amore inflammatos.* Et alibi: *Ab eorum sepulchris non discedimus. Illic rex*, & *imperator diadema regium abjicit, atque in martyris sepulchro permanet, orans*, & *rogans, ut sibi a periculis liberatio concedatur*, & *contra hostes victoria.*

In Ps. 115.

In Ps. 48. hom. I.

Celebre est in antiquitate ecclesiastica cœmeteriorum nomen, quæ teste ONUPHRIO erant christianis, quod & nunc sunt veluti templa, & orationum loca, die noctuque, ut ex concilio Illiberitano constat: & S. ATHANASIUS morem enarrat: *Nam*, inquit, *hebdomade, post sanctam pentecosten, cum populus expleto jejunio orandi causa ad cœmeterium egressus esset, quod omnes a GEORGII communione abhorrerent.* Idem de causa hujus conventus ob sacras reliquias testimonium perhibet: *Si scripta eorum* (patrum) *abjiciantur, ite vos ipsi*, & *eorum reliquias ex cœmeteriis abjicite.* S. BASILIUS de studio, & devotione erga easdem reliquias testis est luculentus: *Quodsi*, inquit, *reliquias martyrum investigare possim; cupio* & *ipse studii adjutor esse, nam si in memoria erit justus; profecto bonæ illius memoriæ, quam tibi sanctus impertit, erimus participes.* Loquitur autem de ecclesia exstructa ad gloriam nominis CHRISTI: quove loco posita, & habita fuerint sanctorum lipsana alibi declarat de corpore S. JULITTÆ M. *In pulcherrimo*, inquit, *unius templi urbis vestibulo*

c. II. de cœmet.

C. 34. 35.

Apol. 2. p. 323. T. I.

p. 727.

Ep. 49.

Hom. in Julitt. M.

bulo tumulatum, tum ipsi loco, tum iis, qui ad hunc locum accedunt, sanctitatem confert. S. PAULINUS nobis testis est, uni S. FELICI M. in una Nola urbe quatuor aut quinque fuisse extructas ecclesias, cui is ampliorem addiderit, cujus pluribus describit structuram, ac ornatum.

Carm. 21. 24.

Solebant templa martyrum honori extructa peculiari martyrii, aut confessionis nomine insigniri; laudatque EUSEBIUS CONSTANTINUM, quod novam urbem Cpolim plurimis oratoriis exornarit, amplissimisque martyriis, & splendidis ædibus partim in suburbiis, partim in ipsa civitate constructis. Nec dubium est, ecclesiam Hierosolymitanam resurrectionis inde martyrii nomen accepisse, quod ad CHRISTI martyrum capitis sepulchrum, & in loco, ubi præclaram confessionem testificatus fuit, ædificata erat, hinc etiam magnum martyrium, martyrium salvatoris consequenter dicta. *Qua enim ratione*, inquit S. CYRILLUS HIER. *non cæterarum ecclesiarum more hic Golgotha, & resurrectionis locus ecclesia appellatur, sed martyrium? At id fortasse propter prophetam, qui dixit: In diem resurrectionis meæ in martyrium.* Erat hoc ergo nomen ecclesiæ illi singulare, quod commune erat ecclesiis martyrum; quemadmodum S. CHRYSOSTOMUS in homilia de cruce, & cœmeterio ecclesiam cœmeterii martyrium vocat, ubi plura martyrum recondebantur corpora. Et in homilia de Machabæis ruri potissimum ejusmodi ecclesias esse observat, ut in celebratione festorum rusticorum instructioni, devotionique consuleretur.

De vit. Const. L. III. c. 48.

SOCRATES SS. apostolorum PETRI &

L. IV. c. 23.

& PAULI martyrium Romæ nominat, quod SOZOMENUS *apostoleum* vocat, sicuti etiam *propheteum* vocari solebant prophetarum sepulchra olim celebria. *Sepultura ejus*, inquit in cap. I. ABDIÆ S. HIERONYMUS, *usque hodie cum mausoleo ELISÆI propheta, & Baptista JOANNIS in Sebuste venerationi habetur.* Et idem in epistola ad EUSTOCHIUM de PAULA, ac eadem Sebaste urbe: *Ibi siti sunt ELISÆUS & ABDIAS propheta, & JOANNES Baptista. Ubi multis intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat variis dæmones mugire cruciatibus, & ante sepulchra sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum &c.*

L. VIII. c. 17.

L. IX. c. 9. 10.

Ep. 86.

Deinceps etiam sanctis confessoribus erigi cœperunt ecclesiæ, quem primum honorem S. MARTINO non Turonis solum, sed etiam in Italia, & alibi obtigisse superius notavi. Proxime adjungendus est S. AUGUSTINUS, cui sæculo quinto a RURICIO Lemovic. templum extructum esse FORTUNATUS Pictaviensis testatur seniorem, & juniorem commemorans, quorum quisque patrono suo templum extruxerit:

L. IV. c. 4.

Tempore quisque suo fundans pia templa patrono
Iste AUGUSTINI, condidit ille PETRI.

§. LXIII.

Inter ecclesias, seu loca cultui divino destinata, discrimen est, prout ampliori magisque solemni, ac publico sacro officio, seu liturgiæ sunt destinata, aut privato.

Varia ecclesiarum genera.

Celebre

Celebre apud antiquos est ecclesiæ matricis nomen, seu ut in concilio Carthaginensi V. vocatur, *principalis cathedra: Ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre.* Sic diœcesana ecclesia distinguitur in concilio Tarracon. *Multorum casuum experientia magistrante reperimus nonnullas diœcesanas esse ecclesias destitutas: ob quam rem id hac constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab episcopo diœcesano visitentur, & si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur.* Eminens in antiquis ecclesiis erat episcopi thronus seu cathedra in medio posita, circumcincta cleri subselliis. Ipsum tribunal, supremaque episcopi potestas hunc sibi gradum, ac appellationem vindicat, ut ecclesia cathedralis dicatur a minoribus parochianis, ut vocari solent distincta. Olim in majoribus saltem urbibus, ubi plures erant ecclesiæ, basilicæ indiscriminatim dicebantur: a S. AMBROSIO in celebri ad MARCELLINAM de basilicis tradendis epistola, & ab aliis illius ævi scriptoribus frequenter sic appellatæ, ab EUSEBIO ἀνάκτορον dictum templum insigne a CONSTANTINO extructum: cum apud Romanos basilicæ appellarentur ædes publicæ, ubi principes, & magistratus ad audiendas, decidendasque causas sedebant: cujusmodi ædes, ac insignia palatia haud raro sacris christianis deputabantur, uti AUSONIUS in gratiarum actione ad GRATIANUM imperatorem pro suo consulatu dicit: *Basilica olim negotiis plena nunc votis pro tua salute susceptis.* Aliam rationem ISIDORUS addit:

Can. 5.

Can. 8.

Orat. de laud. Constant. c. 9.

addit: *Quia ibi regi omnium DEO cultus, & sacrificia offeruntur: vel quia profanæ basilicæ in ecclesias CHRISTI conversæ sunt.* Priorem rationem AMALARIUS, DURANDUS, & alii recentiores tangunt. Notabile est discrimen basilicarum, quod MABILLONIUS in Musæo Ital. ex ipsa structuræ ratione repetit: *Basilicæ dicebantur apud Romanos ejusmodi ecclesiæ cum oblongis porticibus; templa vero, quæ gentilium more rotundo opere, quadrato, octogonali, aliave simili figura constructa erant.* Idem in commentario in ordinem Romanum ejusdem *Musæi* in urbe Roma distinguit ecclesias patriarchales, titulares, diaconias, & cœmeteria.

L. XV. Orig. c. 4.
L. II. de offic. c. 2.
De rit. eccl. L. I. c. 1. n. 9.
T. I. p. 89.
T. II. §. 3.

EUSEBIUS de Therapeutarum, quos christianos a S. MARCO conversos putat, ecclesiis agens, ex ore PHILONIS monasteria, ac σεμνεῖα vocat: *De ecclesiis, quas variis in locis exstructas habent, ita dicit: In singulis domiciliis est quoddam sacellum, quod semneum, & monasterium appellatur, in quo soli, remotis arbitris, sanctioris vitæ mysteria peragunt.* Nomen hoc etiamnum apud Germanos servatur insignioribus ecclesiis proprium, Münster dici solitis. In PHILONE, ac EUSEBIO de privatis sacellis sumitur nomen illud.

L. II. c. 17.

Vicissim idem EUSEBIUS, & alii antiqui εὐκτήρια seu oratoria vocant templa promiscue, quæ deinceps dicta sunt privatæ ædes a publicis ecclesiis distinctæ, ubi sacrificium, & conventus publici celebrabantur, fieri autem in oratoriis vetabantur, etiam in codice Justinianeo, ut tamen privatæ orationis ergo haberi permittantur, extatque apud GRATIANUM canon

Nov. 58.
De consecr. dist. I.

c. 33. canon concilii Aurelianensis: *Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare; missas autem celebrare non licet.* In concilio Trullano cum licentia episcopi plus
Can. 31. indulgetur: *Si quis a regionis antistite sacrificare, vel baptizare in oratorio probibitus fuerit, is vero, qui tale quid feeerit, deponetur, nec ei novellæ proderunt. Is autem, qui non est expresse probibitus, videtur etiam tacite ex episcopi sententia hoc facere. Propterea enim, ut est verisimile, excogitata sunt superaltaria ἐπιτιμίσια, & fiunt ab antistitibus regiones, ut ponantur supra sanctas mensas oratoriorum, & sufficiant, ut ostendatur ex episcopi permissione fieri sacrificium.* In concilio Agathensi decernitur: *Si*
Can. 21. *quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, oratorium in agro babere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi missas teneat propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus: Pascha vero, Natale Domini, Epiphania, Ascensionem Domini, Pentecosten, & natalem S. JOANNIS Baptistæ, vel si qui maximi dies in festivitatibus babentur, nonnisi in civitatibus, aut parochiis teneant. Clerici vero, si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in oratoriis, nisi jubente, aut permittente episcopo, missas facere, aut tenere voluerint, a communione pellantur.*
Can. 18. In concilio Ticinensi medio sæculo IX. ita statuitur: *Docendi sunt sæculares viri, ut, si in domibus suis mysteria divina jugiter exercere debeant, quod laudabile est, ab bis tamen tractentur, qui ab episcopis examinati fuerint, & ab ordinatoribus suis commendatitiis litteris comitati probentur &c.*

Agitur

Agitur hic de ſacellanis, quos vocamus ca-
pellanos, quod nomen tamen non a capel-
la deſcendere, ſunt ex medio, & noſtro æ-
vo eruditi, qui putent, ſed a cappa S. MAR-
TINI, quam reges Francorum ob adjutorium
victoriæ in præliis habere ſecum ſolebant:
unde primo cuſtodes illius cappæ, deinde
vero omnes, qui reliquias ſacras alicujus ec-
cleſiæ cuſtodiebant, capellani ſunt dicti. A-
pud MARCULPHUM occurrit nomen
thecæ ſacræ B. MARTINI, quæ in pala-
tio regio ſervabatur, & ad quam præſtaban-
tur ſacramenta: *In palatio noſtro ſuper ca-* *L.I. c. 38.*
pellam domni MARTINI, ubi reliqua
ſacramenta percurrunt, debeant conjurare.
Obſervat vero BIGNONIUS, capellam,
& cappam hic ſumi pro capſella & capſa,
unde & vernacula Gallicæ linguæ vox ma-
navit. Monachus S. Galli apud Samartha- *T. IV. p.*
nos in Gallia chriſtiana teſtatur, Galliæ re- *611.*
ges in more habuiſſe, ut in bellicis expe-
ditionibus ſuis cappa S. MARTINI præ-
ferretur: „ Quemdam in capellam ſuam aſ- „
ſumſit, quo nomine reges Francorum pro- „
pter cappam S. MARTINI, quam ſe- „
cum ad ſui tuitionem, & hoſtium oppreſ- „
ſionem jugiter ad bella portabant, ſancta „
ſua appellare ſolebant. „ Conſentit Wa- *c. 21.*
LAFR. STRABO de origine, & progreſ-
ſu rerum eccleſiaſticarum. Videntur reges
iſti CONSTANTINUM imitati eſſe, qui
teſte EUSEBIO inter cæteras præparatio- *De vit.*
nes ad bellum contra Perſas tabernaculum in *Conſt. L.*
ſpeciem eccleſiæ curavit faciendum, in quo *IV. c. 56.*
preces ad DEUM victoriæ auctorem unacum
epiſcopis funderet. SOCRATES teſtis eſt *L.I. c. 18.*
quod tabernaculum hoc ad inſtar eccleſiæ ex

variis

variis pictisque velis confici jusserit, sicut MOYSES olim in solitudine fecerat: atque illud secum portari voluerit, ut in locis etiam desertissimis paratum haberet oratorium. Quo exemplo teste SOZOMENO singulæ Romanorum legiones proprium sibi tabernaculum facere, & sacerdotes, ac diaconos proprios, ac peculiares habere cœperunt.

L. I. c. 8.

§. LXIV.

Earumque partes.

Ecclesiarum partes variæ semper distinguebantur pro diversa personarum, ac muniorum sacrorum ratione in officio divino, ac liturgia.

Nihil de diversa ecclesiarum forma dicam, aut situ, qui versus orientem, ut hodieque, plerumque sese porrigebat. Quamquam juxta WALAFRIDUM *non magnopere curabant illius temporis justi, quam in partem orationis loca converterent, dum tantum videretur, ubi eliminatæ sunt dæmonum sordes, ibi DEUM creatorem omnium, qui ubique est, coli, & adorari. Sed tamen usus frequentior, & rationi vicinior habet in orientem orantes converti, & pluralitatem maximam ecclesiarum eo tenore constitui.* Non est etiam nostri instituti, ac otii scrupulosius, & articulatius singulas ecclesiæ partes explicare, tantum potiores eas breviter attingimus, quæ ad præsens argumentum liturgicum pertinent. Ubi juxta tripartitum hominum, & functionum genus triplex occurrit pars, narthex, ubi pœnitentes, & catechumeni, templum proprie sic dictum, seu naos, ubi fideles, ac sanctuarium, ubi clerici sacris operantes consistebant.

De reb. eccl. c. 4.

Primum

Primum locum quod ſpectat, ne quid de χειμαζομένοις dicam, qui ſic dicti a multis exiſtimantur, quod penitus excluſi a tecto eccleſiæ, tempeſtatis intemperiei expoſiti videantur fuiſſe. Cum alias nec infidelibus, ac hæreticis omnis omnino aditus fuerit præcluſus, quemadmodum in concilio Carthaginenſi IV. ſtatuitur: *Ut epiſcopus nullum prohibeat ingredi eccleſiam, & audire verbum DEI, ſive gentilem, ſive hæreticum, ſive Judæum uſque ad miſſam catechumenorum.* Can. 84.
Concilium tamen Laodicenum decernit: *Non oportere permitti hæreticis, ut in domum Domini ingrediantur, ſi in hæreſi permaneant.* Can. 6. Et S. BASILIUS horrendum inceſtus crimen eandem ob rationem ab eccleſiæ ingreſſu omnino arcet, quamdiu perdurat malitioſe: „ Qui cum propria ſorore ex „ patre, vel ex matre pollutus eſt, in domum „ orationis ne permittatur accedere: donec „ ab iniqua, & nefaria actione deſiſtat. Poſt- „ quam autem in horrendi peccati ſenſum, „ & animadverſionem venerit, triennio de- „ fleat, ſtans prope fores domus oratoriæ, „ & rogans populum ingredientem ad oratio- „ nem, ut unusquisque pro ipſo miſericordi- „ ter ad Dominum intenſas fundat preces. „ Poſtea autem alio triennio ad ſolam audi- „ tionem admittatur, & ſcripturam, ac do- „ ctrinam audiens ejiciatur, & nec oratione „ dignus habeatur. Deinde, ſiquidem illam „ cum lacrymis exquiſivit, & Domino cum „ cordis contritione, & valida humiliatione „ ſupplex procidit, detur ei ſubſtratio in a- „ liis tribus annis &c. „ Can. 57. Non ſolum pœnitentiæ actionis, ſed etiam ſtationis haud obſcuram hic obſervare licet diſtinctionem, quam

videtur TERTULLIANUS confundere, quod forte ſuo tempore necdum ita exacte fuerit obſervata: „ Tu quidem (ZEPHYRI- „ NUM P. alloquitur) pœnitentiam mœchi „ ad exorandam fraternitatem in eccleſiam „ inducens, conciliatum, & concineratum, „ cum dedecore, & horrore compoſitum pro- „ ſternis in medium ante viduas, ante pres- „ byteros omnium lacinias invadentem, om- „ nium veſtigia lambentem, omnia genua „ detinentem. „ Exprobrat pontifici, quod pœnitentiæ actionem mœchis in eccleſia tribuat, quod ille, jam MONTANI caſtra ſecutus, faciendum eſſe negat, potius tales excludendos ab eccleſia, & ab abſolutione clavium, ratus.

De pudic. c. 13.

Locus autem, quo manus impoſitio publice pœnitentium facta fuit, in concilio Carthaginenſi III. deſignatur: *Cujuscunque pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa eccleſia noverit, ante apſidem manus ei imponatur.* Videtur tamen hinc adhuc diſcrimen aliquod conjici poſſe peccatorum, & pœnitentium, quorum publicum, & vulgatiſſimum eſt peccatum, ut hi loco etiam remotiori & ſeparato penitus a fidelibus conſiſtere debuerint, dum alii quamdiu ſaltem miſſa catechumenorum duravit cum fidelibus eſſe potuerunt, qui in *ναῷ* ſeu navi eccleſiæ erant. Erant hic etiam virorum a fœminis diſcriminata loca, ut ex conſtitutionibus apoſtolicis patet, ubi janitores jubentur ſtare ad introitum virorum, diaconi vero ad mulierum, cuſtodiendi cauſa. Sicut hodieque cernere licet Mediolani in eccleſia patrum Soc. Jesu fœminas a viris ſeparatas parietibus ligneis, viris quibusdam, habitibus albis indutis, ad portam

Can. 32.

L. II. c. 57.

portam pro custodia positis. Passim de hac separatione apud antiquos, medios, & posteriores etiam auctores fit mentio; imprimis vero notandus S. CHRYSOSTOMI locus, quo etiam ligneis parietibus discriminatam dicit stationem: *Oportebat quidem nos a mulieribus disseparari; verum quoniam non vultis, necessarium esse patres nostri putaverunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare. Audivi autem ego a senioribus, non fuisse hos parietes ab initio.* Videtur ex S. CYRILLO HIER. colligi, nondum in ecclesiam Hierosolymitanam inducta fuisse hujusmodi septa, quamvis is ea necessaria putet: „Nunc mihi arca NOE opus est, in qua „ erat NOE, & filii ejus, uxor ejus, atque „ uxores filiorum ejus. Tametsi enim una erat „ arca, & occlusum ostium; omnia tamen de- „ center disposita fuere. Quamvis clausa sit „ ecclesia, & vos omnes intus, hæc tamen „ separata sunto, ut viri cum viris, mulieres „ cum mulieribus degant, ne salutis subsidium „ vertatur in perditionis occasionem; etsi e- „ nim pulchrum sit institutum sibi invicem „ assidere, tamen procul absint perturbatio- „ num vitia. . . . Virginum porro conventus „ sic selectus esto, ut psallat, vel legat, sed „ tacite. „ Unde patet, etiam virginibus fuisse proprium locum; quod idem, & de aliis ex constitutionibus apostolicis constat: *In ecclesia adolescentes quidem seorsim sedeant, si locus sit: sin autem non sit, stent, ætate vero profecti ordine sedeant; rursus adolescentulæ seorsim, si fuerit locus: si vero non fuerit, post mulieres locentur. Nuptæ jam, & matresfamilias item seorsum; virgines autem, & viduæ, & anus primum omnium stent,*

Hom. 75. in Matth.

Procatb. n. 14.

L.II.c.57.

aut sedeant. Erant alicubi solaria quædam, in quibus mulieres erant θηλυτέρων ὑπερῷια superiores fœminarum porticus, uti PAULUS SILENTIAR. in descriptione templi S. SOPHIÆ Cpolitani dicit, & EVAGRIUS meminit, eo etiam loco imperatricem consistere solitam. Atque SOCRATES S. HELENÆ CONSTANTINI matris pietatem laudat, quod in parte mulierum unacum aliis DEUM precata sit. Sed fuit imperatori in oriente id concessum, ut in sanctuario seu choro cum sacerdotibus esset, quod non tulit S. AMBROSIUS: *Interiora loca,* ajebat, *solis sacerdotibus patent: reliquis omnibus inaccessa sunt, & intacta. Abscede igitur, & unacum aliis consiste.* Fuit locus iste septis a navi ecclesiæ separatus, ac imprimis religiose habitum sanctuarium, ac altare velo tectum, de quo jam DIONYSIUS Alexandr. in epistola ad DEMOPHILUM: *Procedentesque benevole ad ea loca, quæ sunt extra vela divina.* Cujusmodi veli meminit S. CHRYSOSTOMUS: *Cum audieris, oremus, communiter & vela trahi videris* ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα *tum diduci cœlum existimes.* Ubi voces illæ duæ junctæ non valvas sed vela designant, aperiri solita, quando sacrificii participatio fiebat.

L. I. c. 17.

Apud Theodor. L. V. c. 18.

Hom. 3. in ep. ad Eph.

§. LXV.

Et ornatus.

Decor, & ornatus, ut haberi potuit, fuit adhibitus in ipsa tum structura templorum, tum anathematis, vasis, & utensilibus variis pro divino cultu.

Sunt

Sunt hæc ejusmodi, quæ ex pietate fidelium pretium ſumunt, qui ſunt viva DEI templa, ornatum ſuum in arcano cordis, ac animæ penetralibus gerentia. Unde cum primis ſæculis eccleſia pauper & afflicta ejusmodi ſplendorem exteriorem non habuit, nihilominus excultiſſima fuit in ipſo ſanctorum cœtu, qui ſunt in eccleſia id, quod in conchis margaritæ: „ Nam (inquit S. ISIDORUS PELUS.) quod ſanctorum cœtus ex „ recta fide, atque optima vivendi ratione „ collectus, eccleſia ſit, inter eos conſtat, qui „ ſapientiam deguſtarunt. . . . . Apoſtolorum „ tempore cum eccleſia & ſpiritualibus gratiis „ abundaret, & vitæ ſplendore afflueret, nulla „ templa erant, & noſtra tempeſtate templa „ plus quam par ſit exornata ſunt. Eccleſia „ autem comicis cavillis inceſſitur. Ego „ vero ſi mihi optio daretur, temporibus illis „ fuiſſe mallem, in quibus templa quidem „ non perinde ornata erant, eccleſia autem „ divinis ac cœleſtibus gratiis undique cincta, „ & redimita erat quam his noſtris, in quibus „ templa quidem omnis generis marmoribus „ cohoneſtata ſunt, eccleſia autem ſpiritualibus „ illis gratiis nuda & vacua eſt. „ Id quidem dolendum eſt; ſed ſuam etiam promeretur pietas laudem, quæ in hac re conſpicua fuit, ut primum ſtatu ſuo preſſo emerſit eccleſia, quo nec tuto potuit ob ſpoliandi diruendique periculum, nec inops valuit eum templis ſuis præſtare ornatum, quem mox acceperunt, cum paulo ante ſub DIOCLETIANI & MAXIMIANI perſecutionibus diruta, reddita pace eccleſiæ ſplendidius exurgerent: *Quum loca ſancta*, inquit EUSEBIUS, *quæ tyrannorum impietas paulo ante*

L. II. ep. 193.

L. X. c. 2.

ante subruerat, tanquam ex diuturna ac pestifera labe reviviscere videremus, templaque rursus a solo in immensam altitudinem erigi, & longe majore cultu ac splendore quam illa, quæ prius expugnata fuissent, nitescere. Testis ejusdem pietatis est is idem nobis EUSEBIUS luculentus imprimis de CONSTANTINO imperatore, cujus in ejus vita memorat epistolam ad DRACILIANUM vicarium præfectorum prætorii, & provinciæ præsidem, & ad MACARIUM Hierosolymitanum episcopum, quam pretiosissimo metallo & lapide exornandam ecclesiam illam studuerit, pia matre ejus S. HELENA operi invigilante, cujus interius tectum, teste EUSEBIO, sculptis lacunaribus consertum, & instar vasti cujusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum totumque auro purissimo coopertum fuit. Ut nihil dicam, quæ idem in sermone dicto in dedicatione ecclesiæ Tyri, sub PAULO episcopo magnificentissime exstructæ, habet in descriptione luculenta ejus ecclesiæ; quæve memorantur passim de ecclesiis ab eodem imperatore Antiochiæ, Nicomediæ, Heliopoli in Phœnicia, & aliis compluribus in locis præsertim autem Cpoli exstructis: ubi eminuit, quæ suo nomine Constantiniana est dicta in apostolorum memoriam, seu martyrium; *Quod*, ait EUSEBIUS, *in immensam altitudinem extulit, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens: cameram lacunaribus minutissimi operis obducens totam auro imbracteavit. Et supra quidem æs tegularum loco impositum universo ædificio munimentum adversus imbres præbebat. Quod*

L. III. c. 31. & 52.

De vit. Const. L. III. c. 36.

Ib. L. III. c. 50. 51.

Ib. L. IV. c. 58.

itidem

itidem auro plurimo superfusum resplendebat, adeo, ut procul spectantium oculos fulgore perstringeret solis radiis æris objectu repercussis. Totum vero solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex ære & auro fabrefactis erat circumdatum. Idem fundamenta jecit absoluti postea a CONSTANTIO S. SOPHIÆ templi superbissimi. Quod postea sub ANASTASIO flammis consumtum JUSTINIANUS restaurans SALOMONEM se vicisse est gloriatus. Ecclesiam illam inter alios PAULUS Silent. fuse descripsit, doctum nactus Du-FRENIUM commentatorem. PROCOPIUS vero nec verba satis ad illam describendam reperit. *Quis*, inquit, *superiorem gynæcei partem describat? Quis tot numero porticus, atque aulas columnatas obeat oratione? Quis columnarum ac marmorum, quibus templum ornatum est, egregiam varietatem percenseat? In prato floribus convestito versari se quispiam putet, ac merito horum purpuram illorum viriditatem miretur; & quæ natura non secus ac pictor coloribus dissimillimis variavit.* *De ædif. Justin. L. I. c. 1.*

Enituit in hoc maxime studium & religio S. PAULINI Nolani, cujus habetur accuratissima templi descriptio cum variis picturis, inscriptionibus, tum in ecclesia ipsa, cum in baptisterio, opere item vario ex marmore, musivo, & lacunato, quidquid ad splendorem domus DEI conferre poterat, etiam exteriore apparatu: quem gratum DEO fuisse, exustionem sordidarum quarumdam domuum luci ac decori ecclesiæ obsistentium declarasse in carm. 25. memorat. Nec solum ipse in exstruendis ornandisque templis incumbebat, sed aliis etiam imprimis SEVERO suo *T. VI. Bibl. PP. p. 193.*

auctor erat; ut neutiquam tamen viva DEI templa maxime in pauperibus & afflictis negligeret, atque aliis etiam idem suaderet.
Ep. 8. Quod S. HIERONYMUS a DEMETRIADE virgine imprimis requirit: „Alii „ædificent ecclesias, vestiant parietes mar„morum crustis; columnarum moles adve„hant, earumque deaurent capita pretiosum „ornatum non sentientia; ebore argentoque „valvas, & gemmis aurata distinguant alta„ria. Non reprehendo, non abnuo. Unus„quisque in sensu suo abundet. Meliusque „est hoc facere, quam repositis opibus in„cubare. Sed tibi aliud propositum est, „CHRISTUM vestire in pauperibus &c.„ S.
Act. Gr. ad 14. Maji. p. 60. PACHOMIUS, ut apud BOLLANDUM habetur, cum magnificum templum exstruxisset, postea pœnitere visus, exteriorem ornatum iterum abstulisse legitur. Ut vero alibi jam exemplis docui, id maxime pii quique egerunt, ut de cimeliis, pretiosisque vasis, & ornamentis, quæ ad ecclesiæ ac altaris usum erant, necessitatibus pauperum succurrerent. Quod hostes S. CYRILLI HIEROSOL. immerito crimini dabant.
L. IV. c. 25. *Cum Hierosolymorum regionem*, ut rem enarrat SOZOMENUS, *fames occupasset, egentium multitudo necessariis alimentis destituta in CYRILLUM utpote episcopum oculos conjecit: cum autem pecuniæ deessent, quibus subveniri posset egentibus, CYRILLUS thesauros ecclesiæ, & sacra vela divendidit. Ajunt igitur quemdam postea donarium suum agnovisse in muliere scenica.*

Hic etiam largitas fidelium sese exerebat, ut pretiosa quæque conferrent in ecclesiæ usum ac ornatum, altaris imprimis ac sacro-

rum

rum vasorum in argento & auro variaque supellectili. Quo EUSEBIUS illud psalmi *Constituite diem solemnem in condensis &c.* explicat: „ His autem (inquit) præcipit, multis cimeliis domum DEI replere, „ atque donariis frequentibus ipsam tempo- „ ribus solemnitatum coronare. „ *In psal. 117. Coll. Montf. T. I. p. 716.*

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumtu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris. *Paulinus nat. VI. Felicis.*

§. LXVI.

Soli divino consecratæ operi in honore religiose semper fuerunt habitæ ecclesiæ, securum miseris perfugium, atque inviolabile asylum; indignis vero, & irreligiosis clausæ. *Debitaque reverentia.*

Zelus in hoc CHRISTI Domini exarsit e templo expellentis ementes, & vendentes: *Scriptum est*, ait, *domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Concilium Aurelianense VI. eandem sententiam adhibet, dum vetat: *Matth. XXI. 13. Can. 22.* „ Ut placita publica, & sæcularia neque „ in atriis basilicarum, neque in ipsis basili- „ cis fiant, dicente Domino: *Domus mea do-* „ *mus orationis vocabitur.* „ Quod aliis etiam canonibus cautum est, & ipsa loci religio flagitat, ut ad id, quod destinatum est, tantum serviat, & religiose colatur templum DEI.

In liturgiis SS. CHRYSOSTOMI, &

BASILII præscribitur, atque sancte custoditur in oriente pariter ac occidente sese versus altare in ipso ecclesiæ ingressu incurvandi consuetudo. S. CHRYSOSTOMUS testis est moris fuisse januas exosculari templi. Et PRUDENTIUS in 2. hymno de S. LAURENTIO:

Hom. 29. in 2. Cor.

Apostolorum & martyrum
Exosculantur limina.

PAULINUS in Nat. VI. S. FELICIS:

Sternitur ante fores, & postibus oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum pro limine sancto
Fusus humi.

Ad calcem concilii Ephesini habetur THEODOSII edictum, ex quo, qua reverentia imperatores templa, deposito diademate adire solebant, patet: *Nos qui legitimi imperii armis semper circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non convenit DEI templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema regiæ majestatis insigne deponimus.* LEO grammaticus in vita MICHAELIS imperatoris ceu indecens redarguit, „ quod ad regias usque portas progressus imperator diadema, prout imperatores „ solent, non deposuit, sed ad sanctas usque „ fores cum eo penetravit. „

Orat. post reditum ab exilio.

S. CHRYSOSTOMUS adhuc gravius scelus incessit: *Imperator locum ingressurus scutum, parmam, aut clypeum a se projicit: contra tu ingressurus fustes arripis & clavas? Ille tesseras imperii foris dimittit, tu tesseras bellicæ impressionis huc intulisti?* Accidit tunc, ut militum furor tam atrociter excederet, cum alias & barbarorum immanitas loci religionem servaret. „ Testantur hoc (in„ quit S. AUGUSTINUS de Gothis Ro-

L. I. de civ. Dei. c. 1.

mam

mam expugnantibus, diripientibusque) martyrum loca, & basilicæ apostolorum, quæ in illa vastatione urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Hucusque cruentus sæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor." In vita S. AMBROSII refert PAULINUS, quod cum CRESCONIUS quidam a STILICONIS militibus e templo & altari, ad quod confugerat, vi abriperetur, dum satis repellere cum suo clero violentiam non posset, Leopardi milites illos invaserint, terruerintque, ut tuto asylo miser ille redderetur. Cum ANDRONICUS jus illud asyli edito edicto attentaret, tantum nefas SYNESIO est visum, ut DEUS iterum pati in cruce edicto illo ipsi videretur. Cum dux CYRENIUS chartam pro ecclesiæ foribus affixisset, quæ omnibus purgandi hic potestatem adimebat, & perfugium claudebat in ecclesiam, S. ISIDORUS PELUS. crudelitatem, & impietatem data ad eum exprobrat epistola. In concilio Arausicano statuitur: *Eos, qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportere, sed loci reverentia, & intercessione defendi.* In principiis theologiæ canonicæ hoc sacrorum locorum jus vindicavi, non ad scelerum immunitatem, sed ob ecclesiæ reverentiam, & pietatem præsulum reos ad pœnitentiam suscipientium, & supplicium deprecantium, quomodo in tali casu S. RURICIUS ad RUSTICUM perscribit: "Sperans (inquit) ut primum pro DEI timore, deinde pro nostra intercessione ipsi parcere digneris: cujus absolutione & in nobis tollere confusionem, & vobis potestis comparare mercedem." Ita securi ecclesiasticis & civilibus legibus patres concilii Aurelia-

Ep. 58.

L. I. ep. 174.

Can. 5.

L. II. ep. 19.

Can. 1.

Aurelianensis I. statuunt: *De homicidis, adulteris, & furibus si ad ecclesiam confugerint, id constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atriis, vel domo episcopi, eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad evangelia datis sacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere sint securi; ita ut ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat.* Eandem pietatem ac religionem duo mox sequentes canones spirant, tertius imprimis de servo, qui ad ecclesiam pro qualibet culpa confugerit: *Si*, ajunt patres, *a Domino pro admissa culpa sacramenta susceperit, statim ad servitium Domini sui redire cogatur, sed posteaquam datis a Domino sacramentis fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excusatur, probatus fuerit pertulisse pro contemtu ecclesiæ, & prævaricatione fidei, a communione Domini, & convivio catholicorum extraneus habeatur.* Legendus inter alia est concilii Aurelianensis IV. canon vigesimus primus contra prævaricatores asyli hujus, quod in reverentiam locorum sacrorum constitutum solent hodie tantopere traducere; olim vero CHILPERICUS II. Suessionum rex frustra divinitus responsum a S. MARTINO flagitare est ausus (ut GREGORIUS Turonensis narrat) scripta ad sanctum virum, dudum in cœlos receptum, & in ejus ecclesia deposita epistola, qua responsum rogabat, an nefas sit ab asylo extrahere BOSONEM, quem auctorem mortis THEODEBERTI filii habebat. Prætextu haud dubie justæ tenebatur vindictæ, quam ecclesiæ pietas non fert

L. VI. hist. Franc.

fert cum ſanguinis profuſione; ſed illos recipit, quibus, DEO ſic permittente, ad ſe confugere licet, ad pœnitentiam: ut olim S. SIMEON STYLITA reſpondit barbaris Iſauris, ad ſuam columnam confugientem Coryphæum quemdam latronum repetentibus. Supponit eccleſia reſipiſcentiam ſinceram in elapſis tantum vitæ periculum, & ad pœnitentiam veram diſponit, non fovet ſcelus, ſed a DEO veniam obtinet, impertitque poteſtate clavium, acta legitima pœnitentia. Tantum vero abfuit ſemper, ut ſcelerum immunitatem præſtet, ut ab eccleſiæ liminibus, & communione ſua arceat ſceleſtos omnes, qui vera peccatorum non tenentur pœnitentia. Quos haud raro, etiam dum a magiſtratibus defenduntur, intrepide repellit, ut exempla probant ejusmodi, quibus pii etiam principes falſa opinione abducti perverſis in vita & fide hominibus patrocinium præſtiterunt in eccleſiæ communionem revocare conati, veluti e. g. CONSTANTINO accidit, nequaquam obtinere valente, ut ARIUS in eccleſiam reciperetur, quod ſolemni pompa faciendum parabatur. Huc etiam pertinet conſtantia illa, qua ſeſe pii præſules opponebant, ne hæreticis traditæ eccleſiæ profanarentur perverſo cultu. „Si a me peteret (imperator) quod meum „ eſſet (reſpondebat in ſimili caſu S. AMBROSIUS) id eſt fundum meum, argentum „ meum, quidvis hujusmodi meum, me non „ refragaturum, quamquam omnia, quæ mea „ ſunt, eſſent pauperum, verum ea, quæ „ divina, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſub- „ jecta. Si patrimonium petitur, invadite: „ corpus occurram. Vultis in vincula rape- „ re?

Ep. ad Marcellinam ſororem.

„ re? Vultis in mortem? Voluptati est mihi. „ Non ego me vallabo circumfusione popu„ lorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, „ sed pro altaribus gratis immolabor. „ Ejusdem sancti præsulis in hanc rem est exemplum adversus THEODOSIUM imperatorem (ut innumera alia taceam) quem scelere necdum expiato obstrictum ecclesiæ liminibus exclusit.

CAPUT II.

De variis rebus ad sacrum usum pertinentibus.

§. LXVII.

De ratis cæremoniis in officio sacro.

In ritibus ac cæremoniis liturgicis seu cultus sacri id tenendum est, quod præscriptum ac receptum habetur, eoque, quo institutum est spiritu, & usitatum in ecclesia DEI.

Ep. 55. *n.* 35.

„ Omnia itaque talia (ut cum S. AUGUSTI„ NO loquar) quæ neque sanctarum scriptu„ rarum auctoritatibus continentur, nec in „ conciliis episcoporum statuta inveniuntur, „ nec consuetudine universæ ecclesiæ robo„ rata sunt, sed pro diversorum locorum „ diversis moribus innumerabiliter varian„ tur, ita ut vix aut omnino nunquam in„ veniri possint causæ, quas in eis instituendis „ homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, „ sine ulla dubitatione resecanda existimo. „ Quamvis enim neque hoc inveniri possit,

„ quo-

quomodo contra fidem sint, ipsam tamen „ religionem, quam paucissimis, & manifestis- „ simis celebrationum sacramentis misericor- „ dia DEI esse liberam voluit, servilibus one- „ ribus premunt, ut tolerabilior sit conditio „ Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non „ agnoverunt, legalibus tamen sarcinis non „ humanis præsumtionibus subjiciuntur. Sed „ ecclesia DEI inter multam paleam multaque „ zizania constituta multa tolerat, & tamen, „ quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non „ approbat, nec tacet, nec facit. „ Facit hoc contra Novatores, qui, quæ forte usurpatione privata, aut etiam superstitione vulgari aguntur, ecclesiæ imputant, & idcirco ritus ac cæremonias damnant, sine quibus religio non subsistit in genere humano; quamvis in lege nova non item ac in veteri cæremoniali huc cultus publicus redigatur, sed omnia pertineant ad interiorem animi affectum, sive naturalibus, aut pio usu adoptatis de causis, sive symbolicis ac mysticis ex rationibus.

Qua in re in ecclesia etiam catholica nonnullorum notatur excessus, qui aut ex ingenio pro lubitu fingunt rationes mysticas, aut eas omnes explodunt, ceu litteram occidentem ubique sectantes, ac veluti animam dementes ritibus, & cæremoniis ad officium cultus divini pertinentibus tam in sacrificio, quam etiam in reliquis liturgiæ partibus, quas partim attigimus, partim deinceps prosequemur pro instituti nostri modulo, ac principiis theologiæ liturgicæ, insistendo iis, quæ communi ecclesiæ institutione, praxique fidelium ac more perenni sunt consecrata. „ Quod autem (inquit S. „ AUGUSTINUS) instituitur præter consue- „ *Ep.* 55. n. 35.

„ tudi-

„ tudinem, ut quasi obſervatio ſacramenti ſit, „ approbare non poſſum, etiamſi multa hu„ jusmodi propter nonnullarum vel ſanctarum „ vel turbulentarum perſonarum ſcandala de„ vitanda, liberius improbare non audeo. Sed „ hoc nimis doleo, quod multa, quæ in di„ vinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, mi„ nus curantur; & tam multis præſumtioni„ bus plena ſunt omnia, ut gravius corripia„ tur, qui per octavas ſuas terram nudo pe„ de tetigerit, quam qui mentem vinolentia „ ſepelierit. „ Sunt hi abuſus & ſuperſtitiones ex privatorum ſimplicitate potius quam malitia, non ita graviter delinquentium, quam qui exteriorem fere omnem cultum ritus & cæremonias eccleſiæ explodunt, aut eas ceu ſceleton anima veluti ac ſpiritu deſtitutas ſiſtunt, uti nuper D. Du-VERT fecit, nihil myſticis tribuendo rationibus, quæ ad pietatem ducunt, atque tolerabiles ſunt & utiles, tametſi non ſemper neceſſarias dummodo pias non ineptas habeant rationes. Unum afferre liceat ex S. BASILIO exemplum: „ Omnes (in„ quit) ſpectamus ad orientem cum precamur: „ pauci tamen novimus, quod id facientes an„ tiquam requirimus patriam videlicet para„ diſum, quem plantavit DEUS in Eden ad „ orientem. Erecti itidem perficimus depre„ cationes in una ſabbati, ſed rationem non „ omnes novimus. Non enim ſolum quod „ veluti ſimul cum CHRISTO reſuſcitati, „ quæ ſurſum ſunt quærere debeamus, in die „ reſurrectionis datæ nobis gratiæ ſtando pre„ cantes nosmetipſos commonefacimus, ſed „ quod is dies videatur aliquo modo imago „ venturi ſæculi. . . Neceſſario igitur in hoc „ die eccleſia ſuos alumnos docet, preces ſuas

De Spir. S. c. 27.

„ ſtando

ſtando abſolvere, ut aſſidua commonitione „ vitæ illius nunquam deſituræ non negliga- „ mus ad eam demigrationem parare viaticum, „ quin & totum illud quinquaginta dierum „ tempus admonitio eſt reſurrectionis, quam „ in altero ſæculo exſpectamus. Nam unus „ ille & primus dies ſepties multiplicatus ſe- „ ptem ſacræ pentecoſtes hebdomadas abſol- „ vit. Unde & æternitatem ſimilitudine re- „ fert, dum velut in motu circulari ab iis- „ dem orſus ſignis in eadem deſinit. Quo „ in die corporis erecto habitu precari po- „ tius nos eccleſiæ ritus docuerunt, nimirum „ per evidentem commonitionem quaſi trans- „ ferentes mentem noſtram a præſentibus ad „ futura. Inſuper & quoties genua flectimus, „ & rurſus erigimur, ipſo facto oſtendimus, „ quod ob peccatum in terram delapſi ſumus, „ & per humanitatem ejus, qui creavit nos, „ in cœlum revocati ſumus. „

§. LXVIII.

Thymiamatis ſeu incenſi conſtans ac antiquiſſimus eſt in ſacris chriſtianis uſus, non naturalis tantum ad profligandum gravem odorem, ſed myſticus.

De uſu thymiamatis.

Cardinalis BONA uſum hunc ex apoſtolica traditione, legis Moſaicæ exemplo, repetit. Sed contrariari videtur TERTULLIANUS, qui chriſtianos purgans a paganorum criminatione, qui eos infructuoſos eſſe in negotiis vociferabantur, dicit: *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi pluris & carioris ſuas merces chriſtia-*

L. I. lit. c. 25.

Apol. c. 42.

U *nis*

nis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis. Locum hunc DALLÆUS objecerat contra canonem apostolicum tertium, ubi memoratur offerri solitum ad altare incensum tempore sanctæ oblationis, vindicat autem BEVEREGIUS: *Cujus*, inquit, *agnosco verba, sed consequentiam ex iis deductam nego. Etiamsi enim hic ritus in ecclesia Africana TERTULLIANI ævo fortasse non obtinuerit, minime tamen exinde sequitur, quin aliis in locis eodem tempore usitatus esset.* Provocat ad HIPPOLYTUM Portuensem episcopum CLEMENTIS ALEXANDR. discipulum, ac propterea ejusdem fere ac TERTULLIANUS ætatis, qui in oratione de consummatione mundi dissertissimam hujus rei facit mentionem: *Lugebunt ecclesiæ, quia nec oblatio nec suffitus fiet, nec cultus DEO gratus.* Ubi revera thymiama ceu pars cultus divini ponitur præter eum, quem TERTULLIANUS tantum apud christianos in sepeliendis mortuis innuit. Qui quidem etiam est religiosus ac sacer; at forte tunc christiani alicubi religioni ducebant ethnicorum morem sequi, quorum in idolis suffumigandis thus offerendo perpetuus fuit usus, non sua natura sed superstitione perversus.

Cod. Can. Vind. L. II. c. 2. n. 5.

Alioquin in veteri testamento adhibitus non esset, non minus frequenter in sanctuario. Testis vero est S. EPHREM eundem apud christianos legitimum fuisse usum in eundem finem, qui humilitate inductus thus in se humando detrectavit, in sanctuario adolendum: *Neque*, inquit in suo testamento, *cum thure & aromatibus me humetis, inutilis mihi quippe gloria est. Thura in sanctuario adolete.*

T. I. Bibl. orient.

lete. Et S. AMBROSIUS, *Utinam*, inquit, *nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imo præbeat se videndum. Non enim dubites assistere angelum, quando CHRISTUS assistit, CHRISTUS immolatur.* Cardinalis BONA nullam ecclesiasticam cæremoniam reperit, cujus celebrior mentio fiat in antiquis & recentioribus omnium gentium liturgiis, quam thuris, & thymiamatis, quod sæpe inter sacrificandum adoletur. Et sane in liturgiis SS. JACOBI, BASILII, & CHRYSOSTOMI, quæ constanter hodieque apud orientales in usu sunt (ut nihil de Latinis dicam) atque ab auctore hierarchiæ ecclesiasticæ sub DIONYSII AREOPAGITÆ nomine illius notatur usus, ac cæremonia adolendi circum altare in consecrando sacro chrysmate. *In cap. I. Luc.* *c. 4.*

Quod recte P. LE-BRUN contra D. DUVERT, qui primigenium usum thuris naturalem tantum fuisse contendit in cryptis ad graveolentiam propellendam, in argumentum assumit, id neutiquam opus fuisse præsertim apud Græcos, apud quos sacrum unguentum ex variis aromatibus, & balsamo confectum gratum habuit odorem. Idem observat, necesse haud fuisse, ut a sacerdote, qui sacris operabatur, adoleretur incensum in altari, si naturalis tantum causa fuisset primitus; atque mysticas profert preces, quæ in liturgiis Græcis & Latinis adhibentur, dum adoletur juxta apocalypsin: *Ceciderunt coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Et: *Data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum* *Explic. litt. de cærem. P. I. a. 9.* *Ap. V. 8. VIII. 3.*

DEI, & *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum.* THEODORUS Cantuariensis idcirco in natali sanctorum incensum Domini pro reverentia diei incendi præscribit: *Quia ipsi sicut lilia dederunt odorem suavitatis.* GERMANUS patriarcha Cpolitanus ob eandem mysticam rationem vindicat usum thymiamatis in honorem sanctorum in epistola ad THOMAM Claudiopolitanum.

Pœnit. c. 1.

T. VII. conc. p. 314.

§. LXIX.

Et luminum noctu & diu.

Necessarius ad conventus nocturnos luminum usus inde ab ecclesiæ primordio, non excludit mysticum ad celebritatem ac religionem etiam sacræ liturgiæ in plena luce diei.

In vanum hinc D. DU-VERT systema suum de cæremoniarum primitivo sensu solo naturali ac historico (in quo elaborando tanto tempore tantaque contentione elaboravit) supposuit usui huic naturali luminum, ad dispellendas tenebras in conventibus nocturnis christianorum. „ Ultra (inquit) triginta anni sunt, „ quando audivi virum valde intelligentem, „ atque in antiquitate versatissimum, cereos „ sua origine tantum ad illuminandum in ecclesia fuisse; cujus rei cogitatio me commovit, atque induxit ad investigandum sensum „ naturalem & historicum cæremoniarum, ac „ statim animadverti aliorum omnium ecclesiæ rituum eandem esse primitivam ac physicam causam, ac institutionis rationem. „ Nemo non videt, quam hoc sit a ratione alienum & temerarium ex unius alicujus praxis causa & ratione de reliquis omnibus eccle-

Il y a plus de trente ans qu'ajant oui dire à un homme de fort bon esprit, d'ailleurs tres-versé dans l'antiquité, que les

cle-

clesiasticis ritibus, quorum in officio divino sacraque liturgia est usus, decernere.

Apud nos homines, corpore præter mentem constantes, necessarius est exteriorum cæremoniarum usus, quacunque in religionis forma cultuque divino, ut interior animi sensus foris prodeat, seseque exerat præsertim in publicis conventibus, ubi communi studio convenitur, & palam mutuis exercitiis religionis indulgetur, quod nisi cæremoniis ritibusque externis obiri nequit, interni cultus indicibus. Cujus generis tametsi suapte natura haud sit luminum usus utpote ad dispellendas tenebras necessarius, ad celebritatem tamen etiam facit vel tunc insignior illustratio, qualis in actibus apostolorum XX. 7. & 8. a LUCA notatur: *Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, PAULUS disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.* Nemo dicet copiosas istas lampades omnes soli necessitati serviisse in cœnaculo tempore illo, quo Judæorum adhuc mos inolitus erat ac ritus plures succendere lychnos, ac paratos habere non solum in templo ac synagogis, sed etiam cœnaculis suis, in quibus certis diebus ac festivitatibus quasdam obibant divini officii partes: quæque in primitiva ecclesia, ministrantibus λιτȣργȣντων ἀυτῶν κατ᾽ οἰκȣς per domos, aliter non licuit. Atque ideo etiam in laudato canone tertio apostolico cum thymiamate oleum ad luminaria ad altare offerri permittitur pariter profuturum tempore, quo sancta celebratur oblatio. Cujus quidem necessarium usum non nego ad nocturnos tunc

cierges n'étoient originairement dans l'Eglise que pour eclairer; cette idée me frappa, me mit sur les voies du sens naturel & historique des ceremonies, & je compris dans le moment, qu'il falloit, que toutes les autres pratiques de l'Eglise eussent de meme leur cause primitive, & physique, & leur raison d'institution. T. I. p. 214. ed. 2.

temporis usitatos conventus, nec abnuo, tunc tantum, nimirum ingruente nocte accensa esse lumina, uti ex TERTULLIANO discimus, quando in apologetico suo agapum christianarum capite trigesimo octavo meminit, ubi post cibum & potum nocte adhuc vacandum precibus fuerit, quæ lotis manibus, succensisque lampadibus suscipiebantur. PRUDENTIUS in hymno secundo de S. LAURENTIO meminit tantum cereorum ad nocturna sacra:

Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Vel inde vero, quod metallum tam pretiosum memoretur, rei religio intelligitur. Atque etiam in solemni paschæ nocte major lucis illustratio fieri consuevit. Cui cum oleum aliquando deesset in ecclesia Hierosolymitana tempore S. NARCISSI, mandato ejus lucernis infusa aqua protinus in oleum conversa narratur ab EUSEBIO. Qui idem in vita CONSTANTINI memorat, pium illum imperatorem non solum ecclesias, sed urbium etiam plateas ita illuminandas curasse, ut nox illustrior die evaderet: Quod utique ad celebritatem pertinet. Quemadmodum etiam S. CYRILLUS Hierosol. innuit, *illuminandos* eadem nocte lampades præ manibus habuisse ad deductionem sponsæ. Quo postea alludens mysticam designat rationem, *qui fidei lampades accendistis, eas in manibus inextinctas conservate.* Idem nocti illi applicat illud psalmi 138. *Tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur.* Et de eadem nocte S. GREGORIUS Niss. *Luminosa*, ait, *hæc nox accensarum lampadum fulgorem matutinis solis*

L. VI. c. 9.
L. IV. c. 22.
Procat. I. n. 1.
Orat. IV. in resurrect. D.

lis radiis conjungens unam continuatione diem efficit nulla tenebrarum interpositione diremta. S. GREGORII NAZ. extant duæ orationes *in sancta lumina*, nimirum epi- 39. 40.
phaniæ festum. Unde postea plura exscripsit auctor homiliæ in occursum Domini inter opera S. CYRILLI HIEROSOL. quod est festum hypapante seu purificationis, serius eadem luminum frequentia celebratum, primum forte de nocte, ut hodie plena die agitur.

Vel inde autem, quod patres concilii Illiberit. prohibent cereos per diem in cœmeterio accendi, colligitur jam tunc quorumdam *Can.* 34.
pietatem eousque esse profectam. Obscura est ratio quæ additur: *Inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt.* Videnturque vivi vel fideles, vel ministri ecclesiæ designari, qui ista promiscua luminum copia forte impediebantur. Potuit tunc ratio ad hoc prohibendum inducere ob gentilium superstitionem in succendendis lampadibus & cereis coram idolis: quam vanitatem S. PAREGORIUS M., ut in actis sinceris refertur, *p.* 546.
exprobrat gentilibus, & LACTANTIUS: *Inst. L.*
Mactant opimas, & pingues hostias DEO *IV. c.* 2.
quasi esurienti, profundunt vina quasi sitienti, accendunt lumina quasi in tenebris agenti. VIGILANTIUS hinc cavillandi ansam sumsit: *Accensique ante eorum tumulos cerei idololatriæ insignia sunt!* ut S. HIERONYMUS obstupefactus exclamat. *Ep.* 53.
Qui quidem ex simplicitate ac imperitia fieri dicit, quod pro honore martyrum plena etiam die lumina succendantur: cum eo tempore usus ille necdum in ecclesia invaluerit in eum finem: quamvis in ecclesiis orientis

ad evangelii lectionem accendi luminaria idem dicat *jam sole rutilante* non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Et coævus S. PAULINUS idem de occidente in honorem martyrum fieri dicit:

Carm. 14.

Clara coronantur densis altaria lychnis
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant sic nox splendore diei
Fulget: & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Atque hinc est, quod S. EPHREM hunc sibi honorem mortuo ad sepeliendum deferri nolit: *Qui cereum ante me tulerit, ignis a latere ejus exardescet.* Ex S. GREGORIO TUR. discimus populum reliquias sanctorum comitari solitum cum accensis cereis. Et S. GERMANUS in laudata ad THOMAM Claudiopolitanum epistola mysticam rationem ex splendore virtutum reddit, cur lumina coram sanctorum imaginibus accendantur. S. EPIPHANIUS ingrediens villam Anablatha vidit lucernam ardentem in ecclesia coram imagine, ut scribit ad JOANNEM Hierosolymitanum.

Bibl. or. p. 143.
De glor. MM. c. 44.

§. LXX.

Aqua lustrali.

Aquæ antiquissimus est usus ad ingressum ecclesiæ, & ad lustrandum salutaris, benedictione sacra ac exorcismo consecratæ.

c. 39.

Jam indigitavimus TERTULLIANI locum ex apologetico, ubi morem lotis manibus

bus lampadibusque ſuccenſis auſpicandi divinas laudes commemorat. Idem nobis arcanam ejus rei ſacramque ſignificationem vel in antitheto ob oculos ponit libro de oratione: *Quæ*, inquit, *ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire?* c. 11. EUSEBIUS memorat in deſcriptione eccleſiæ Tyrenſis fontes, qui interius ſacrarium ingredientibus copioſos latices præbeant ad lavandum *ſacrarum expiationum ſigna.* *Orat. de dedic. eccl.* Quas EUSEBIUS κρήνας vocat, SOCRATES Φρέαρ nominat ſeu puteum in atrio, qui cruore inundarit, cæde ob hæreſin Macedonianam. *L. II. c. 38.* S. CHRYSOSTOMUS frequenter hujus antiqui moris mentionem injiciens, ad myſticam revocat ſignificationem. Ac quidem homilia tertia de fide fontes hos pariter ac pauperes ad introitum templi collocatos conjungit, ut manus puras ad cœlum orando levare liceat. Alibi vero dolet, quod ingreſſuri templum manus lavemus non corda. *Hom. 72. in Joan.* SYNESIUS hanc luſtralem vocat aquam: *Quæ*, inquit, *in templorum veſtibulis collocatur, civitatis eſt piaculum.* *Ep. 121.* In ſermone, *Cataſtaſis* inſcripto, videtur eandem aquam luſtralem ac vaſa, quibus continetur, de baptiſterio intelligere, quæ etiam adhibita legitur ad ſalutarem luſtrationis uſum: veluti in chronico JOSUE apud ASEMANNUM de obſidione urbis Tela, BARHABADEN urbis epiſcopum laudat, ſtrenue interim urbis muros circumeuntem, cuſtodes adhortantem, aqua in baptiſmo benedicta eos aſpergentem, *T. I. bibl. or. p. 278.* de cujus conſecratione ſuo loco in principiis theologiæ ſacramentalis diximus, quam ad traditionem apoſtolicam revocat S. BASILIUS & communiter a ſanctis patribus eſt aſſerta, *De Spir. S. c. 27.*

U 5 ſolem-

ſolemniter adhuc hodie in pervigiliis paſcha-
tis & pentecoſtis fieri ſolita, alicubi etiam in
epiphania, non ad baptiſmum tantum, ſed ad
luſtrationem domorum relata. Unde Du-
FRENIUS repetit uſum aquarum noſtra-
rum luſtralium, commentans in PAULI Si-
lentiarii deſcriptionem templi S. SO-
PHIÆ, ubi phialæ fit mentio, fontium ſeu
aquarum, quas commemoravimus ad introi-
P. 539. tum templorum: *Quarum*, inquit, *benedictio-
nis ordo habetur in euchologio: unde νόσων
ἀπελαςικαὶ δαιμόνων φυγαδευτικαὶ apud
CLEMENTEM in conſtit. apoſt. ἰαματι-
κὸν ψυχῶν ϗ σωμάτων*, alibi *ἁμαρτημά-
των λυτήριον κ.τ.λ. in eodem euchologio di-
cuntur.* Horum loco ſucceſſere, præſertim a-
pud Latinos, quæ in templorum valvis poni ſo-
lent luſtrales undæ, uti, qui de ritibus eccle-
ſiaſticis ſcripſere, pridem docuerunt. Aquarum
luſtralium in dedicatione templorum etiam
ſuperius meminimus, quarum omnium ea-
dem fere eſt conſecratio: uti videre eſt apud
auctores liturgicos, qui libros ſacramentales,
ac rituales antiquos ediderunt, in quibus e-
tiam antiquiſſimis GELASII, S. GRE-
GORII &c. comparent iisdem exorciſmis
a dæmonum poteſtate obſeſſioneque liberatæ
ad ſacram luſtrationem contra dæmonum in-
veſtationes, medelam, & præſentiam Spiri-
tus ſancti: ſolentque ſingulis dominicis bene-
dici ad uſum tam in eccleſia, quam etiam
in domibus, in quas defertur uſu jam ſaltem
tempore CAROLI M. inolito, uti ex MAR-
T. VII. TENII collect. ampliſs. diſcimus, WIGBO-
DI, ut creditur, admonitione ad presbyte-
ros: ubi cap. 20. præſcribitur aquarum bene-
dictio

dictio singulis dominicis ante missam, quas fideles asportent ad domos aspergendas. Quemadmodum solemnis ejusmodi aspersio in antiquis consuetudinibus Cluniacensibus per singulas mansiones præscribitur, habenturque *tomo* 4. *analect. p.* 456. ac fuit olim consuetudo in vicina saltem ecclesiarum loca aspersionis ejusdem causa procedere, uti videre est apud P. LE-BRUN tractatu præliminari de sacrificio *p.* 86. Ubi plura in hanc rem habentur notatu digna. Et passim in D. DE MOLEON itinere liturgico. Qui etiam fontium adhuc ad ecclesiæ introitum reperit vestigia, quibus successerint vasa aquam lustralem ad portas aut vestibulum ecclesiarum continentia: cumque usus esset manus & faciem lavandi, dicit remansisse saltem usum tingendi manus partem aqua, lavandique principalem faciei partem frontem ac os ad ecclesiæ ingressum: quod ipse vult consuetudine solere potius fieri in ingressu ecclesiæ, quam ratione. Non raro idem MOLEON se D. DE VERT declarat studiosum in origine & explicatione cæremoniarum historica.

§. LXXI.

Benedictiones & exorcismi varii aliarum rerum in ecclesia rite fiunt ad salutarem usum, ac munimen, explosis diabolicis superstitionibus.

Benedictionibusque ac exorcismis variarum rerum.

Huc revocari possunt, quæ sacramentalia vocant theologi; quæve integris libris continentur benedictionum ac exorcismorum omnis generis creaturarum ad sacrum usum, aut munimen contra diabolicas infestationes; hic

hic autem ſpectantur, quatenus ipſa benedictio, aut exorciſmus ad functionem liturgicam pertinet. In canone tertio & quarto apoſtolico, qui etiam ſolent in unum computari, diſtinguuntur quæ ad altare deferri debeant, quæ vero non: *Si quis epiſcopus, aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia, aut legumina contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Et: *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas & uvas &c.* In pontificali DAMASI EUTYCHIANO P. tribuitur: *Hic inſtituit fruges fabæ & uvæ in altario benedici.* In concilio Carthaginenſi III. frumenti & uvæ mentio fit, quæ in altari benedicantur ſecundum verſionem Græcam, & veteres codices, juxta ac in concilio Trullano habetur: *Primitiæ uvæ, & frumenti offerantur in altari benedicendæ ſua peculiari benedictione.* In concilio Illiberitano notabilis in hanc rem habetur canon: *Admoneri placuit poſſeſſores, ut non patiantur fructus ſuos, quos a DEO percipiunt, a Judæis benedici, ne noſtram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis poſt interdictum facere uſurpaverit, penitus ab eccleſia abjiciatur.* Colligi hinc datur, fuiſſe olim peculiarem frugum benedictionem & haud dubie aliarum etiam rerum, licet earum nobis non ſuppetant formulæ, quales DIONYSIUS, quisquis eſt, auctor de hierarchia eccleſiaſtica conſecrationes ſcripto committi nefas eſſe dicit, ne profanentur, ubi de variis ejusmodi conſecrationibus ac cæremoniis,

Can. 3.

Can. 28.

Can. 49.

nis, sed maximam partem sacramentalibus agit, præter eas, quas posterioribus capitibus *c. 6. & 7.* etiam benedictiones monachorum, imo mortuorum, olei super corpus effusione, memorat. Quemadmodum etiam solemnis in sacramentariis habetur regum consecratio.

Inter res vero inanimatas imprimis solemnis est campanarum, ut vocari consuevit baptismus, quamvis in capitulari quodam CAROLI M. id prohibeatur. *T. I. p. 240. c. 18.* In ordine Romano tamen præscribitur: *Interim laves eum de aqua, cum oleo & sale.* Et in celebri apud MENARDUM RATHOLDI codice: *Ad signum ecclesiæ benedicendum. Imprimis intinge ter in aqua, & laves in ea, quæ benedicenda est his verbis:* Benedic &c.

Infinitum foret singula prosequi de ejusmodi benedictionibus, & exorcismis seu adjurationibus creaturarum, quæ per peccatum dæmoni obnoxiæ sunt redditæ, ecclesiæ autem potestas est data, *instaurare omnia in CHRISTO, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.* Primi christiani persuasi de potestate, quam DEUS dæmoni super creaturas permittat, necessitatem agnoverunt eam auctoritate CHRISTI Domini removendi; hinc frequentia signi crucis tam in privato usu fidelium, quam solemni ecclesiæ in omni benedictionum ac exorcismorum genere quarumvis creaturarum, quæ sacris usibus servire debeant imprimis ad pellendum dæmonem. Ad quod inservit exorcismus seu adjuratio legitima, sensu & usu sacro apud christianos contra incantationes, ac imprecationes illicitas apud idolorum cultores, & qui inter christianos etiam diabolicis hic utuntur artibus, a quibus legitimus distinguitur exorcismus etiam ab ULPIANO

nota-

Dig. Lib. L. tit. 13. l. I.

notatus: *Si incantavit, si imprecatus est, si ut vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit.* Impostorum nomine procul dubio christianos indigitat, qui vixit TERTULLIANI ævo, quo vox & usus exorcismi usitatissimus fuit inter christianos, damnatis superstitionibus abrenuntiatione cultus diabolici.

Cat. 19. myst. I. n. 8.

„ Cultus diaboli (inquit S. CYRILLUS „ Hier. abrenuntiationes in baptismo fieri „ solitas explicans) est habita in idolorum de„ lubris supplicatio: quæ ad honorem inani„ matorum simulacrorum fiunt: accendere lu„ cernas, aut suffitus ad fontes vel fluvios „ adolere, quemadmodum nonnulli somniis „ aut dæmonum fraude delusi ad eas aquas ac„ cessere, rati se ibi corporearum infirmita„ tum medelam reperturos, vel alia hujus ge„ neris. Ne igitur te in illis immisceas. Augu„ rium, divinatio, ominationes, aut amuleta, „ aut in laminis inscriptiones, magiæ, aliæve „ malæ artes, quæve illis similia, cultus sunt „ diaboli. Hæc igitur fuge. Si enim illis suc„ cubueris post renuntiationem satanæ, & ag„ gregationem tui ad CHRISTUM, crude„ liorem experiere tyrannum, qui olim for„ tassis te uti familiarem tractabat, duramque „ tibi servitutem remittebat, nunc vero a te ve„ hementer exacerbatus, atque adeo & CHRI„ STO privaberis, & illum experiere subje„ ctus. „ Opus tunc fuit hæc graviter inculcare ob vicinum cultus diabolici periculum, nec hodieque cessat malum apud eos, qui ope dæmonis abutuntur. *Jam nox*, cum sancto CHRYSOSTOMO licet queri, *profunda totum orbem occupat: hanc igitur evertamus, & solvamus; nox non in hæreticis & Græcis tantum, sed etiam in multis, qui nobiscum*

Hom. IV. in ep. ad Cor.

biscum sunt, tam in dogmatibus, quam in vita. Multi enim resurrectioni non credunt, multi genetliaca sententia se muniunt, alii observationibus student, nec non vaticinationibus, auguriis, & symbolis; alii ligaminibus, & incantationibus utuntur. Idem quemadmodum & alii SS. PP. passim amuletorum, & phylacteriorum usum damnant contra præstigias, & investationes alias diabolicas, usumque sacræ crucis opponunt, estque legitimus exorcismorum in ecclesia, ac unice salutaris.

CAPUT III.

De partibus officii divini.

§. LXXII.

Publicum in ecclesia divinum officium concelebratum jugiter fuit, paulatim magis magisque ad uniformitatem revocatum, & pro dignitate fieri curatum. De ritu officii divini.

PLINIUS de usitata christianis DEUM colendi ratione id ex ore quorundam apostatarum acceperat: *Quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque CHRISTO quasi DEO dicere secum invicem.* Usitatum id fuit Romanis dicendi genus solemne carmen precationis LIVIO, & VALERIO MAX. dictum. LUCIANUS in PHILOPATRO narrat, se in religiosum conventum christianorum venientem audisse precationem inci-

L. X. ep. 97.

L. 39.

L. 4.

incipientem a Patre, & in hymno multorum nominum finientem. Non ſatis liquet, an de ea ſolum liturgiæ parte hoc dicat, cui etiam infideles ac non initiati intereſſe poterant, catechumeni item pœnitentium diſtincti gradus, & energumeni, pro quibus ſingulares preces erant dictæ, quæ in conſtitutionibus apoſtolicis referuntur articulatim, & ſaltem in oriente ſeparatim fuerunt factæ, poſtea expulſis his omnibus cum aliis non initiatis, quando præcipua ſacræ liturgiæ pars ordiebatur, ut ſuperius fuit explicatum.

Apol. 2. „ Nos (inquit S. JUSTINUS) poſt hujus„ modi lavationem credentem jam & nobis „ adſcitum, ad fratres, qui dicuntur eo ad„ ducimus, ubi illi congregati ſunt, ad com„ munes preces & ſupplicationes cum pro ſe„ ipſis, tum pro illuminato & aliis ubique „ gentium omnibus animo intento peragen„ das. „

L. VII. c. 8. SOCRATES de conſuetudine hymnos in eccleſia alternis canendi vicibus loquens: *IGNATIUS*, inquit, *Antiochiæ in Syria epiſcopus poſt apoſtolum PETRUM ordine tertius, qui & cum apoſtolis ipſis familiariter verſatus eſt, vidit aliquando angelos hymnis alternatim decantatis ſanctam Trinitatem celebrantes: & canendi rationem, quam in illa viſione animadverterat, eccleſiæ Antiochenſi tradidit.*

De jejun. c. 13. TERTULLIANUS, *Vide*, inquit, *quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum; hoc tu pſallere non facile noſti, niſi quo tem-*

c. 40. *pore cum compluribus cœnas.* Agapas chriſtianorum innuit, quas in apologetico deſcribit cum antecedentibus & ſubſequentibus die noctuque ſervitii divini partibus.

De anima c. 9. *Prout*, alibi ait, *ſcripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur,*

aut

aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur. ARNOBIUS ad christianorum sacra provocans, „ Summum (ait) invocare „ nos DEUM, & ab eo, quod postulamus, „ orare, vel auribus poteris scire, vel ipsius „ vocis sono, qua utimur in precibus, noscitare. (Et paulo post:) Huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus. „ S. HILARIUS, *Dies*, inquit, *in orationibus DEI inchoatur, dies in hymnis DEI clauditur.* Quod de publicis æque ac privatis precibus fidelium pariter, ac eorum conventibus intelligi potest, qui aut status clericalis, aut monastici ratione certas officio divino tribuebant horas, de quibus paulo post dicemus. Idem in psalmum sequentem, *Terrendus est*, inquit, *confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor, & adversus diabolum armaque ejus orationum nostrarum sonitu certandum est, & belli nostri victoria exsultationis voce monstranda est. Audiat orantis populi consistens quis extra ecclesiam vocem: spectet celebres hymnorum sonitus, & inter divinorum quoque sacramentorum officia responsionem devotæ confessionis accipiat.* S. HIERONYMUS: „ Cum „ alii pontifices lampades cereosque proferrent, alii choros psallentium ducerent, Græco, Latino, Syroque sermone psalmi in ordine personabant. „ S. AUGUSTINUS: *Quando non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antistes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce diaconi indicitur.* Quibus brevissime partes divini officii omnes designantur. Quam in rem legi etiam debet carmen 37. S. GRE-

L. I. cont. gentes.

In ps. 64.

Ps. 65.

Epit. Paulæ c. 13.

Ep. 55.

GORII NAZ. ubi definitiones in hanc rem profequitur hymnorum, pfalmodiæ populi ad cultum divinum congregati, templi, menfæ facræ &c.

Quamvis autem olim non uniusmodi fuerint precum formulæ, in principalioribus tamen conveniebant, debueratque certa effe forma cultus publici, etfi major effet fingularum ecclefiarum libertas ad arbitrium epifcopi. *Ne quidquam*, inquit S. IGNATIUS, *videatur vobis rationi confentaneum præter epifcopi judicium: quod enim tale eft, iniquum eft & DEO inimicum. Omnes ad orandum in idem loci convenite: fit una communis precatio . . . omnes velut unus in templum DEI concurrite &c.* GREGORIUS NAZ. JULIANUM APOST. miratum effe dicit ecclefiafticas formas a majoribus traditas, atque in eum ufque diem confervatas: adeoque in animo habuiffe, ut facerdotes ethnici chriftianos imitarentur, haberentque precationum formam, ut populus refpondere poffit. Etfi vero initio fcripta hæc omnia non ftatim effent, conftituta tamen & ordinata rite fuerunt, quomodo de liturgiis diximus, atque S. EPIPHANIUS apoftolorum διάταξιν *conftitutionem* in hunc finem laudat: *Omnis quippe canonicus ordo in ipfo continetur, & nihil fide adulteratum, neque a confeffione, neque ab ecclefiaftica adminiftratione, & canone, & fide.* Quæ fi de conftitutionibus, quas habemus, apoftolicis intelligantur, magnam eis auctoritatem conciliant: cum in illis, utpote extra ecclefiarum diverfum ufum confervatis, integritas magis fit fervata, quam in libris liturgicis ac ritualibus, paffim interpolatis, ut opus fuerit conciliorum ftatutis ad uni-

Ep. ad Magnef. n. 7.

Orat. 3.

Hær. 70.

uniformitatem revocare divinum officium: *Ut vel intra provinciam nostram*, habet concilium Venetense, *sacrorum ordo & psallendi una sit consuetudo, & sicut unam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, unam & officiorum regulam teneamus, ne variata observatione in aliquo devotio nostra discrepare credatur.* Idem Gebundensi, & Epaonensi concilio statuitur, quoad ordinem juxta matricem, ac metropolitanam ecclesiam servandum in liturgia, & in Bracarensi II. etiam in psallendi ordine. Item in Toletano XI. Et antea in Toletano IV. *Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, & Galliam conservetur, unus modus in missarum solemnitatibus, unus in matutinis vespertinisque officiis, nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui una fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui canones decreverunt, & unaquaeque provincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem contineat.*

an. 465. *c.* 15. *can.* 1. *can.* 27. *can.* 1. 2. *can.* 3. *can.* 7.

§. LXXIII.

Litaniarum ac processionum nomen primum generalius ad divinum cultum designandum, deinceps peculiares supplicationes cum religiosis deambulationibus ad iratum placandum numen designavit.

Litaniæ & processiones.

Apud EUSEBIUM non semel in vita CONSTANTINI occurrit nomen λιτῶν, ac λιτανείας, ut proprium eum sensum habeat supplicandi, ac propitium reddendi nu-

men precibus ϰ̀ λιταῖς in tabernaculo ante prælium ; & proxime ante mortem eundem imperatorem diu in oratorio orationes & λιτανείας ad DEUM misisse idem refert. Ex BASILIO colligitur peculiare supplicationis genus eas fuisse, qui de S. GREGORIO Taumaturgo loquens, *Verum*, inquit, *neque litaniæ, quas jam in usu habetis, illius tempore fuerunt.* In liturgiis Græcis litanias preces illas definivit Jo. SCALIGER ubi *Kyrie eleison* sæplus repetitur, existimavitque a diptychis manasse. *Ingeniose*, inquit RENAUDOTIUS, *sed non vere. Diptycha adhuc conservantur in ritu Alexandrino, ut etiam ipsa vox: neque commune quidquam habent cum ista oratione, quam litaniam vocavit hujus liturgiæ interpres. Sacerdos orat pro omnibus, & de omnibus . . .* Orate pro pace, pro papa, pro ecclesia &c. *Populus acclamat*, Kyrie eleyson, *ter ut plurimum, aliquando pluries. Nulla sanctorum, ut in litaniis nostris commemoratio.* Convenit tamen hoc cum litaniis, de quibus in concilio Vasensi II. *Quia tam in sede apostolica, quam etiam per totas orientales atque Italiæ provincias, dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleyson frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad matutinum, & ad missas, & ad vesperam DEO propitio intromittatur.* Et S. BENEDICTUS in sua regula: „ Post hos lectio „ apostoli sequatur ex corde recitanda: & „ versus, & supplicatio litaniæ, id est Kyrie „ eleyson. Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ.

S. GRE-

L. II. c. 14.
L. IV. c. 61.
Ep. 207. ad Neocæsar.
T. I. lit. or. p. 356.
can. 3.
cap. 9.

S. GREGORIUS discrimen indicat in epistola ad JOANNEM Syracusanum inter Latinas has & Græcas litanias: *Kyrie eleyson nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, & a populo respondetur: & totidem vicibus etiam Christe eleyson dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.* Pertinet hoc ad litaniam minorem a majori distinctam, quam idem sanctus pontifex Romæ publica in calamitate instituit dictam septiformem litaniam cum *processione* populi, quam ipsam litaniam vocat: *Litania clericorum exeat ab ecclesia beati JOANNIS Baptistæ: Litania virorum ab ecclesia beati martyris MARCELLI: litania monachorum ab ecclesia martyrum JOANNIS & PAULI: litania ancillarum DEI ab ecclesia beatorum martyrum COSMÆ & DAMIANI: litania feminarum conjugatarum ab ecclesia beati primi martyris STEPHANI: litania viduarum ab ecclesia beati martyris VITALIS: litania pauperum, & infantum ab ecclesia beatæ martyris CÆCILIÆ.* Hoc sensu accipi potest quod S. CHRYSOSTOMUS in homilia antequam exiret in exilium dicit: *Cras una vobiscum proficiscar ad supplicationes* εἰς λιτανεῖον.

L. VIII. ep. 64.

L. XI. ep. 2.

Processionum nomen apud antiquos occurrit, uti in versione Latina canonis XVII. concilii Laodiceni, ubi sic præcipitur: *In processionibus psalmos non connectere;* sed ex Græco textu patet de conventu in ecclesia esse intelligendum: περὶ μὴ δεῖν συνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμοὺς, *quod non oportet connectere psalmos in conventibus.* Ita

frequenter vox procedere ac processio occurrit de processione ad ecclesiam, significanter autem de ipso conventu apud S. LEONEM: *Nostris processionibus, & ordinationibus frequenter interfuit, & toties admissus, quid in omnibus apostolicæ auctoritatis teneremus agnovit.* Ubi de missarum celebratione, sacrisque ordinationibus sermo est. In sacramentario S. GREGORII ad nat. S. MARIÆ V. habetur oratio inscripta *ad processionem*, cum alia antecedat *ad matutinos*, mox alia subsequente *ad missam*. *Nam*, inquit MENARDUS, *processio hic nihil aliud est, quam id, quod supra in purificatione sanctæ MARIÆ V.* collecta *dicitur. Hoc satis indicat oratio ad processionem, quæ non dicitur in ipso incessu seu deambulatione, sed in ipso templo, populo jam in eo collecto & congregato.*

Ep. ad Diosc. Alexand. — *Not.* 471.

Idem MENARDUS, in alia nota, processionis propriæ sic dictæ institutionem S. CHRYSOSTOMO tribuit, de quo SOCRATES & SOZOMENUS referunt, quod ab eo cruces argenteæ excogitatæ sint, quibus lucernæ cereæ imponebantur, atque præcedebant fidelium processionem. Id quod Arianorum invidiam incendit, ut noctu catholicos aggrederentur ac invaderent occisis & vulneratis compluribus, sacraque conculcata cruce. Unde ab imperatoribus interdictum est ad litaniam faciendam intra civitatem noctu vel interdiu profanis coire conventibus. Idem S. CHRYSOSTOMUS processionum supplicationumque in necessitatibus publicis meminit. Et alibi principum etiam dilaudat pietatem, ipsiusque imperatricis: *Cum*, inquit, *imperatrix media nocte in magnam ecclesiam venisset, indeque reliquias martyrum tulisset*, missis-

Not. 577. — *L. VII. c.* 8. — *L. VIII. c.* 8. — *Cod. Theod. L. XVI. tit. V. de hær. leg.* 30. — *hom. cont. ludos. T. VI. p.* 273.

misissetque per medium forum usque ad Drypiam, martyrium distaret ab urbe novem signis seu milliaribus. Eodem tempore christiani sub S. PORPHYRIO humilibus ejusmodi processionibus pluvias e cœlo obtinuerunt, ringentibus gentilibus, ac frustra Marnam idolum eadem religione placare conantibus. Quod nobis solent objicere Novatores processionum ejusmodi usum apud ethnicos obtinuisse. Quasi non etiam latria, & in veteri testamento sacrificia apud gentiles obtinuerint, pariter ac apud Judæos: qui non sine fructu sæpe arcam suam circumtulerunt, quemadmodum postea christiani reliquias sanctorum publicis in calamitatibus, atque in hostium irruptione, arcium obsidione, pestilentia grassante, cum præsentanea haud raro ope, piaque religione ab eo tempore, quo ecclesia pace frui cœpit, frequentata tum inopinatis casibus, cum etiam statis temporibus, quemadmodum AUNACARIUS episcopus Altisiodorensis processiones ordinavit, ut in historia episcoporum Altisiodorensium refertur. Et in statutis ANGILBERTI Centullensis præscribitur ordo illustris in eam rem quoad dies rogationum, quemadmodum in epistola CUTHBERTI abbatis pro vigilia ascensionis Domini cum reliquiis sanctorum, ut consuetudo diei illius poscebat: uti in MABILLONII actis ord. S. B. refertur. Et S. GREGORIUS Turonensis similiter refert: *Accensisque super cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vivis:* Inter epistolas S. BONIFACII duæ habentur PIPINI, ubi ejusmodi processiones ordinantur pro gratiarum actione liberatæ Galliæ. Cujusmodi in necessitatibus solemnes fuerunt, ex quibus ea,

T. 12. b. 8.

c. 89.

T. VI. act. p. 111.

T. III. act. p. 504.

T. IV. de glor. conf. c. 79.

Ep. 62. 96.

quæ quotannis in die MARCI celebratur, in toto occidente est adoptata, pariter ac in diebus rogationum ultra mille annos, ut alias taceam.

§. LXXIV.

Peregrinationes sacræ.

Peregrinationes sacræ tantis exemplis tantisque miraculis divinæ virtutis comprobatæ, etsi ob particulares causas rejectæ nonnunquam videantur, tamen ceu singularis actus liturgicus sunt habendæ.

T. IV. p. 559. *Longum est nunc*, ut apud S. HIERONYMUM in epistola PAULÆ & EUSTOCHII ad MARCELLAM habetur, *ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Jerosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur manum accepisse virtutum, nisi in illis CHRISTUM adorassent locis, de quibus primum evangelium de patibulo coruscaverat.* THEODORETUS in c. 6. 9. historia sua religiosa plura ejusmodi refert exempla peregrinationum ad varia loca sacra a sanctis viris suscepta, ipseque de se testatur, se Hierosolymam peregrinationem suscepisse. Extat antiquissimum itinerarium Burdigalense Hierosolymam, & inde in Italiam Romam, ubi ad limina apostolorum frequentissima omni tempore fuit religionis causa ex orbe universo visitatio; quemadmodum etiam subsequentibus temporibus Compostellam ad S. JACOBUM, & Lorettam ad B. V. MARIÆ domum Nazareticam, quæ sunt primaria peregrina-

Serm. 11. de fine & jejunio.

grina-

grinationum sacrarum loca tantis miraculis corusca, ut quomodocunque S. JACOBI maj. corpus Compostellam sit delatum, qui Hierosolymis primus apostolorum, antequam in orbem terrarum dispergerentur, ut ex actibus apostolorum discimus, fuit neci traditus; quomodocunque etiam domus Nazaretica Lorettam in Italiam pervenerit, de divinis virtutibus dubium nullum esse possit, quas locis illis DEUS operatur. Nec credi potest, DEUM cultum falsum tantis miraculis fore ratihabiturum, nec tantum hominum concursum sine certis & apertis miraculis ex omni loco futurum hactenus fuisse. *Act. XII. 19.*

Visus est olim S. GREGORIUS NISS. hujusmodi peregrinationibus iniquior, cujus prolixa habetur eam in rem epistola. Sed si rationes ejus ponderantur, apparebit eum notare abusus quosdam, tum in opinione hominum, ac si divina gratia ac virtus uni assignata sit loco, tum in ipsa distractione locorum, & periculis animæ; non peregrinationem, quam ipse susceperat, penitus abjicere, ut postea CLAUDIUS Taurinensis, & nostris temporibus Protestantes faciunt irreligiosi contra omnis ætatis sensum, & increduli adversus tot clarissima testimonia signorum & prodigiorum, quibus DEUS loca ejusmodi illustravit. *Monumentum*, ut laudatum prosequar testimonium apud S. HIERONYMUM, *in quo Dominus conditus est, quidam æstimant negligendum. Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, & angelis ejus, qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis CHRISTI stantes contremiscunt, rugiunt, & sero dolent crucifixisse quem timeant.* Quodsi sanctorum meritis, & potenti patro-

Ep. 77. 78. cinio speciatim detrahant, legant S. PAULINI, & S. AUGUSTINI testimonia. Hic cum dirimere non posset litem inter clericos suos BONIFACIUM & SPEM, id unum superesse existimavit, ut ad sepulchrum S. FELICIS Nolam peregrinarentur, cum præsens Mediolani expertus esset tale miraculum. Et S. PAULINUS (Ep. 29. c. 18.) testis tantorum miraculorum fuit, quæ ingentem illam peregrinantium multitudinem Nolam attraxerat. Laudatus mox S. AUGUSTINUS (*De civ. D. L. XXIII c. 8.*) cum tragicam retulisset historiam matris filiis suis mala imprecantis, quæ mox experti sunt, narrat, quomodo illi undique oberrantes, & loca sacra adeuntes hinc inde salutem recuperarint, & quidem PAULUS & PALLADIA S. AUGUSTINO præsente. Quod qua fronte rejicere audeant testimonium ipsi viderint adversarii, aut qua fronte sanctus doctor potuisset suo tempore rem falsam ceu in conspectu totius populi factam de hominibus undique oberrantibus, & manifesta signa divinæ in se vindictæ præseferentibus non narrare solum, verum etiam publico scripto omnium fidei exponere, ac illo quidem opere, quod celeberrimum ipsius opus tantopere adhuc se vivente fuit deprædicatum, scriptum contra infideles ecclesiam criminantes: qui si fallaciæ accusare potuissent sanctum virum, tantæ molis opus tam voluminosum *de civitate DEI* concidisset.

§. LXXV.

Vigiliæ & convivia ad sepulchra martyrum.

Vigiliarum frequens fuit in antiqua ecclesia praxis in festis etiam martyrum, quæ deinceps pleræque (uti etiam convivia ad sepulchra martyrum) sunt abrogatæ.

Noctem

Noctem ad divinum officium ecclesia semper, imprimis exoriens, idoneam quam maxime judicavit: ubi quiescentibus sensibus animus recollectior est, atque ad propositas DEI laudes intentior. *Qua quidem*, inquit S. CLEMENS ALEX. *ratione mihi videntur noctem vocasse prudentem, quoniam anima hinc cessans a sensibus convertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea ergo sacra quoque mysteria noctu fiunt, significantia eam quæ noctu fit animæ a corpore contractionem.* Communiter autem teste etiam PLINIO ante lucem ad sacros conventus convenire sunt soliti, quod suo adhuc tempore S. BASILIUS apud plurimas gentes solemne esse dicit. „De nocte (inquit) consurgit „ apud nos populus ad domum precationis „ & in labore, in afflictatione ac jugibus la- „ crymis confitentes ad psalmodiam transeunt: „ & nunc quidem in duas partes divisi alter- „ nis succinentes psallunt ac simul & medita- „ tionem scripturarum inde corroborant, & „ animum attentum & cor evagationis expers „ sibi ipsi comparant. Postea rursus uni com- „ mittentes, ut prior canat, reliqui succinunt. „ Et sic postea quam in psalmodiæ varietate „ noctem traduxere intermixtis precibus die „ jam illucescente omnes simul velut ex uno „ ore, & uno corde psalmum confessionis Do- „ mino concinunt, propria unusquisque ver- „ ba pœnitentiæ facientes. Cæterum horum „ gratia si nos fugitis, fugietis Ægyptios, fu- „ gietis & utrosque Libyos, Thebæos, Palæsti- „ nos, Arabes, Phœnices, Syros, & eos, qui „ ad Euphratem habitant, ac omnes uno ver- „ bo apud quos vigiliæ precesque & commu- „ nes psalmodiæ in pretio sunt. „ Fuerunt qui sanctum virum ob id criminabantur, quod in

L. IV. strom.

Ep. 207.

sua

sua ecclesia solemnitatem vigiliarum instituerit. Quod de eorum frequentia forte majori intelligendum est, ut de S. AMBROSIO testatur S. AUGUSTINUS, quod hymnorum, psalmorum, & antiphonarum usum ad tædium propellendum ordinari:. Possunt tamen etiam S. BASILII intelligi verba de ejusmodi vigiliis, quales instituisse S. CHRYSOSTOMUM Cpoli memorat PALLADIUS, & ipse sanctus præsul prolixe commendat homilia 26. in acta apostolorum, sed adhuc multo magis παννύχες ϰ̀ διηνεκεῖς ςάσεις *per noctes & perpetuas stationes. In his*, inquit, *angelicorum ordinum stationem imitantes, sine cessatione laudes & hymnos offertis conditori. O mira CHRISTI dona? In supernis exercitus angelorum canit gloriam: in terris homines in ecclesiis choros agentes ad illorum exemplum eandem canunt gloriam, In supernis Seraphim ter sanctum illum hymnum resonant: in terris eundem hominum promit multitudo communiterque tum cœlestium tum terrestrium conventus congregantur: una gratiarum actio, una exsultatio, una gaudentis chorea statio.* Huc etiam pertinet homilia ejus 4. in OZIAM, videnturque παννυχίδες, ut vocabantur apud Græcos & apud Latinos pervigiliæ & pernoctationes ab omni populo Cpoli celebratæ fuisse, cum fœminas a prioribus illis abesse vellet sanctus præsul, quod a concilio Illiberitano fuit cautum, *ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eoquod sæpe sub obtentu orationis latentes scelera committant.* Unde etiam VIGILANTIUS vigilias in honorem martyrum fieri solitas cavillandi occasionem sumsit, causaque forte non postrema fuerit, cur id vigiliarum genus in ecclesia ces-

sarit

L. IX. c. 7.

Hom. I. de verb. Isaj.

Can. 35.

ſarit per integram aut mediam noctem ac apud ſolos fere monachos perſeveraverit: in quorum commendationem DACHERIUS edidit egregium tractatum S. NICETII. Fuerunt pernoctationes iſtæ conjunctæ cum jejunio ut plurimum, licet ſuperius didicerimus ex TERTULLIANI apologetico poſt agapas ſecutas fuiſſe nocturnas laudes. *T. III. ſpicil.* *c. 39.*

Diſtinguendæ autem ſunt agapæ illæ a conviviis ad ſepulchra conventusque feſtos martyrum paratis. *Mortuus eſt*, inquit S. BASILIUS, *ſtrenuus ille BARLAAM, & tamen conventus publicos congregat; conſumtus in ſepulchro eſt, & tamen invitat ad convivium.* Idem in regulis fuſius tractatis carpit nundinationes, quæ in locis, ubi martyres coluntur, fiunt. *Non enim*, inquit, *alius cujusquam rei gratia in martyriis aut locis adjacentibus decet chriſtianos reperiri, quam orandi cauſa, & ut ſanctorum conſtantiam, qui pro pietate ad mortem uſque decertarunt, in memoriam revocantes, ad ſimilem æmulationem incitentur.* S. GREGORIUS NAZ. quatuor conſequenter carminibus abuſum in conviviis ejusmodi charitatis ad ſepulchra martyrum, ac S. PAULINUS ſimiliter ruſticis id exprobrat, quod noctem hilares traducant convivia quædam inſtruentes, quibus ſe honorare martyres putent. Sed adhuc aliquid indulgendum putavit: *Hom. in Barlaam M.* *c. 40.* *Carm. 218. &c.* *Poema 24.*

... Ignoſcenda tamen puto talia parvis
Gaudia, quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Irrepit rudibus: nec tantæ conſcia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula ſanctos
Perfuſis balante mero gaudere ſepulcbris.

Ergo

Ergo probant obiti, quod damnavere magistri?
Mensa PETRI recipit, quod PETRI dogma refutat?
Unus ubique calix Domini, & cibus unus, & una
Mensa, domusque DEI. Divendant vina tabernis,
Sancta precum domus est ecclesia.

Ep. 37. Idem tamen pariter ac S. HIERONYMUS collaudat PAMACHIUM ob instructum pauperibus tale convivium, vestibus etiam ac pecuniæ summa distributa. Quæ fuit pia origo talium conviviorum, in abusum haud secus ac agapæ abductorum, ut S. AMBROSIUS Mediolani ea abrogarit. S. AUGUSTINUS, qui id Mediolani viderat, redux in Africam idem
Ep. 22. suasit AURELIO, primum ad Carthaginensem episcopatum promoto. Ipse autem adhuc presbyter magna contentione juxta concilii Hipponensis an. 393. decretum Hipponis idem ægre evicit, ut rem totam perscribit episto-
Ep. 29. la ad ALYPIUM.

§. LXXVI.

Psalmi, hymni, lectiones, & sermones.

Publicum in ecclesia divinum officium psalmis, hymnis, lectionibus, sermonibusque temperatum jugiter fuit ad orationem pariter & salutarem fidelium instructionem.

Generatim divini officii partes jam dedimus paulo ante, quæ item peculiaria sunt sacræ liturgiæ tanquam sacrificio initio statim explicavimus. Et quoniam primis ecclesiæ temporibus conjuncta hæc fuerunt saltem quoad

quoad præcipuam officii divini partem, de hac adhuc indiscriminatim agimus, paulo post separatim de horis canonicis singularia tractaturi.

Necesse autem fuit pro infirmitate humanæ mentis, quam non tantum mundanæ res & terrenæ cogitationes ab oratione perfecta, sed etiam nimia verborum series atque intensa precatio pronuntiatioque prolixior frequenter avocare solent, ut tædio huic obviaretur. Breviter S. HIERONYMUS de publico quidem monachorum Ægypti ministerio, quod tamen cum communi fidelium congrueret, totam expressit rem: „ Post horam „ nonam in commune concurritur, psalmi „ resonant, scripturæ recitantur ex more, & „ completis orationibus, cunctisque residentibus, quem patrem vocant, incipit disputare. „ Et quidem psalmorum frequens fuit in ecclesia usus. Hos psalmos concilium Tolet. IV. uti hodieque fit doxologia esse conclusos testatur: *In fine omnium psalmorum dicimus, Gloria & honor Patri & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen.* In concilio Vasensi II. de additamento *Sicut erat &c.* ita habetur: *Quia non solum in sede apostolica, sed etiam per totum orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum astutiam, qui DEI Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, post* Gloria Patri &c. Sicut erat in principio *dicitur, etiam & nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus* Altera erat doxologia matutina major quam nunc in missis dicimus, uti jam in constitutionibus apostolicis legitur, quemadmodum etiam propemodum clausula, qua orationes finiri so-

Ep. ad Eust. c. 15.

Can. 12.

Can. 5.

lent

lent per deprecationem ad CHRISTUM, *cum quo tibi & Spiritui sancto gloria, honor, laus, glorificatio, gratiarum actio in sæcula, amen*, ut in iisdem constitutionibus habetur. Vox Hebraica *Alleluja*, quæ Latine significat *laudate Dominum* ad imitationem cœlestium spirituum, ut in apocalypsi canentes JOANNES refert, brevissimus & usitatissimus fuit hymnus. *Quod*, inquit S. AUGUSTINUS, *nobis cantare certo tempore solemniter moris est, secundum ecclesiæ antiquam traditionem. Neque enim & hoc sine sacramento certis diebus cantamus Halleluja, sed omni die cogitamus.*

L. VII. c. 13.

Apol. 19.

In ps. 106.

Hymni, & cantica varia tum ex scripturis veteris & novi testamenti, cum etiam a sanctis patribus compositi similiter resonabant: lectiones ex scripturis intermiscebantur. Atque in vetustissimo Laodiceno concilio hic cautum: *Quod non oportet privatos & vulgares aliquos psalmos dici in ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos canonicos veteris & novi testamenti.* Qui idcirco etiam ordine canone sequenti recensentur. Lectiones tempori ac festivitatibus accommodari solebant, unde antiquis jam temporibus erant libri lectionarii, qualem MABILLONIUS Gallicanum edidit ex MS. mille, ut censet, annorum. Ante lectionem imprimis solita salutatio *Pax vobis*, seu *Dominus vobis* præibat. De qua jam S. CYPRIANUS: *Auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem.*

Can. 59.

Can. 60.

Ep. 33. ad cler. Carthag.

Eratque illius salutationis frequens usus in officio divino etiam inter sermones, quos homilias, allocutiones, tractatus &c. vocabant, atque plures etiam eadem habebantur synaxi a presbyteris & episcopo post lectionem sancti evange-

evangelii: *Post hæc*, ut habetur in constitutionibus apostolicis, *presbyteri exhortentur populum, singuli nimirum non autem omnes, & postremus episcopus, qui similis est rectori navis.* Quod si promtitudine non gaudebant presbyteri, aut episcopus, ut proprios sermones haberent, alia legebantur aut ex scripturis, aut ecclesiæ probatis doctoribus, præsertim medio ævo. Tale habetur homiliarium PAULI diaconi CAROLO M. inscriptum, quod duobus ingentibus voluminibus servatur in bibliotheca Augiæ divitis. Faustæ nonnunquam acclamationes sunt factæ, quod præconibus piis, ac zelosis non tam probabatur, quam lacrymæ, ac gemitus compunctionis indices. Alia hic non addam, quæ aut sacrificio sunt propria, a nobis suo loco exposita, aut ad horas canonicas pertinent, clericis & monachis jam proprias, postquam dispertitum est officium sacrum in ecclesia non solum quoad liturgiam proprie sic dictam, seu actionem sacrificii, verum etiam fidelium unanimem concelebrationem officiorum divinorum.

L. II. c. 57.

§. LXXVII.

Corporis quoque situm religiosum requirit imprimis publicus DEI cultus, ut etiam exterius interiorem animi demissionem, & erectionem ad DEUM indicet.

Corporis situs in officio divino.

Videntur primis ecclesiæ temporibus fuisse, qui nescio quo HERMÆ pastoris exemplo sedere in supplicationibus præsumebant, quos TERTULLIANUS perstringit: „ Item (inquit) quod assignata oratione assidendi mos

„ De orat. „ c. 12.

„ est

„ est quibusdam, non perspicio rationem, nisi „ si HERMAS ille, cujus scriptura pastor in„ scribitur, transacta oratione non super le„ ctum assedisset, verum aliud quid fecisset, „ id quoque ad observationem vindicaremus. „ Utique non. Simpliciter enim & nunc po„ situm est: cum adorassem, & assedissem su„ per lectum, ad ordinem narrationis, non „ ad instar disciplinæ; alioquin nusquam erit „ adorandum, nisi ubi lectus: imo contra scri„ pturam fecerit, si quis in cathedra, aut sub„ sellio sederit. „ Ac quidem genuflexio communissimus, aptissimusque ad divinum cultum est corporis habitus. Refert de S. JACOBO majore EUSEBIUS: *In templum solus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi supplex DEUM orare consueverat. Adeo, ut genua ipsius instar cameli occaluerint, dum assidue DEUM venerans, & pro salute populi vota faciens humi sterneretur.* EUSEBIUS in psalmum 21. huc explicat illud psalmi: *In conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram:* pro quo AQUILA: *In vultum ejus flectent se omnes, qui descendunt in terram.* „ Queis (sunt EUSEBII „ verba) manifeste eorum, qui in ecclesia DEI „ genua flectunt, morem declarat: ibi enim „ genua flectentes, atque frontibus suis terræ „ incumbentes hunc adorandi ritum servant. „

L. II. c. 23.

v. 31. p. 86.

Prostratio hæc totius corporis fuit antiqua ecclesiæ disciplina humillimus publice pœnitentium status. *Conciliatum*, inquit TERTULLIANUS, *& concineratum cum dedecore & honore compositum prosterni in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinia invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem.* Perdurabant statu isto etiam illis diebus, quibus alioquin

De pudic. c. 13.

lioquin ſacra memoria & ſolemnitas ſtationem requirebat.

Dies illos idem TERTULLIANUS deſignat: „ Die dominico jejunium nefas ducimus, vel „ de geniculis adorare. Eadem immunitate „ a die paſchæ in pentecoſten uſque gaude- „ mus. „ Quod quidem conſtanti praxi uſque in hodiernum diem ſervatur in eccleſia, quamquam S. AUGUSTINUS addubitaverit, utrum ubique iſte obtinuerit ſuo ævo mos: *Ut autem ſtantes in illis diebus, & omnibus dominicis oremus, utrum ubique ſervetur ignoro.* Utriusque ſitus ſtandi, & genufleċtendi *myſterium* S. NILUS accommodum deſignat: *Die dominico ſtantes oramus futuri ævi præfigurantes ſtabilitatem; aliis diebus genua flectimus lapſum intuentes humani generis per peccatum. Cum a genuflexione aſſurgimus, a CHRISTO nobis omnibus donatam reſurrectionem indicamus die dominico abſolutam.* Statio frequentiſſimus fuit olim corporis ſitus in ſacris chriſtianis, quæ ne eſſet moleſtior baculos habebant, quibus innitebantur, quos ad evangelii lectionem deponere ſolebant. *Sed &*, ut apud MABILLONIUM habetur ord. Rom. 2do. *baculi omnium deponuntur de manibus.* Qui in nota affert hunc locum ex Eclogæ auctore: *Poſt hæc baculi deponuntur e manibus &c.* Jam notavimus, ſub canone miſſæ omnes ſtare ſolitos inclinatos, qui eſt maxime ad adorandum compoſitus corporis ſitus, quemadmodum & genuflexio aut totius corporis proſtratio, de qua apud monachos uſitata cum aliis in officio divino corporis ſitibus CASSIANUS.

De cor. mil. c. 3.

Ep. 55. ad Januar. c. 17.

L. III. ep. 132.

T. II. Muſ. Ital. p. 46.

Lib. II. c. 7. Inſtit.

Copioſi ſunt ſancti Patres in myſticis excogitandis rationibus, cur olim chriſtiani ad orien-

tem solem orare consueverint, unde in suspicionem etiam sunt adducti, quasi solem adorarent: „ Inde (inquit TERTULLIANUS „ in apologetico) suspicio, quod innotuerit, „ nos ad orientis regionem precari. (Et lib. I. „ ad nationes) Alii plane humanius solem „ christianum DEUM existimant, quod inno„ tuerit ad orientis partem facere nos preca„ tionem. „ Hinc etiam est, ut ad orientalem plagam communem ab antiquissimis temporibus situm habeant ecclesiæ cum altari.

Apollin. Lib. II. ep. 10.

. . . Nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur; sed ara frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.

§. LXXVIII.

Cantus.

Cantus in sacris christianis perpetuus est ab apostolicis temporibus, licet diversa diversis temporibus, & locis illius fuerit ratio.

De ratione canendi alternis διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων a S. IGNATIO instituta jam memini; cujus tempore vivens PLINIUS eodem sumi potest, dum dicit, *christianos carmen CHRISTO quasi DEO dicere secum invicem.* Fallitur vero THEODORETUS dum modum canendi psalmos choris alternis tribuit FLAVIANO & DIODORO celeberrimis medio sæculo quarto Antiochenis presbyteris. PHILO idem institutum Therapeutis tribuit, quos veteres, & non pauci ex recentioribus pro perfectis habuerunt christianis tempore apostolorum, quibus hac inani conjectura Card. BONA institutionem cantus ecclesiastici tribuit. Quidquid vero sit, antiquissimi in ecclesia fuerunt

L. II. c. 19.

De contemplat.

runt

runt ἀναγνῶσται ϰ̀ ψάλται lectores & cantores. „ Hujusmodi enim (inquit BEVEREGIUS) & officia, & nomina ab ipso ecclesiæ „ initio in usu fuisse videntur. Cantus enim „ ecclesiasticos perpetuo celebrari solitos fuisse „ inter omnes constat, qui istis autem rite „ modulandis præpositi sunt, ψάλται & „ ϰανονιϰοὶ ψάλται a synodo Laodicena vo- „ cantur canone XV. „ Monet Ephesios apostolus: *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Variisque aliis in locis hymnorum meminit, uti etiam S. JACOBUS in sua epistola catholica. Apud JUSTINUM memorantur hymni & spiritualia cantica in dialogo cum TRYPHONE, apud TERTULLIANUM in apologetico, & ad uxorem, apud CLEMENTEM ALEX. in pædagogo, ad cujus finem habetur carmen, quod suos secum lectores vult ad CHRISTUM dirigere ad gratias ei reddendas pro doctrina eo in libro tradita ceu a vero nostro pædagogo. Quod teste EUSEBIO certatim tunc fecerunt canticis & odis seu hymnis compositis ad celebrandum CHRISTUM ac honorandum ceu DEUM & Verbum Patris. Testaturque id concilium Antiochenum culpasse in PAULO Antiocheno, quod cantica in honorem CHRISTI sustulerit ceu nova. Et in psalmum 87. *Canticum psalmi, filiis CORE in finem, pro MAHELETH inscriptum:* „Illud autem(inquit)pro MAHELETH SYM- „ MACHUS, per chorum interpretatus est, „ AQUILA vero super choream. Videturque „ mihi hic CHRISTI populum & ecclesiasticam choream adumbrari, in qua mors ser- „ vatoris nostri hymnis celebratur. Quia ve- „

Cod. can. eccl. primit. L. I. c. 10.

Eph. V. 19.

1. Cor. XIV. 26. Col. III. 16 Jac. V. 13. c. 2. L. II. c. 9. L. II. c. 4. & 9.

L. VI. c. 30.

p. 543.

„ ro ortus ejus per hanc choream canitur, ju„ re præcedens psalmus, qui ortum ejus vati„ cinabatur, hæc dixit: Et canentes sicut cho„ ri omnes fontes in te: queis declarantur „ CHRISTI chori in ecclesia canentes, & hym„ nis mysteria ejus celebrantes. „ Idem etiam in conviviis christianis hunc morem laudat: *L. XIII. de præpar. evang.* „ Jure igitur hic apud nos in conviviis odas „ & hymnos in DEI laudem canendi receptus „ mos est: quo in genere honestati ac mode„ stiæ nostri quoque moderatores invigilant at„ que prospiciunt. „ Quæcunque fuerint hæc convivia religioso cultu in DEI laudem adhibiti sunt hymni sive domi, sive in ecclesia; ubi juxta concilium Laodicenum peculiare fuit *Can. 15.* munus; *Non oportere præter canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in ecclesia.*

Quod tamen non ubique obtinuisse colligi *In ps. 65. p. 170.* videtur ex S. HILARIO, qui voces resonantis populi etiam ab extra ecclesiam consistentibus exaudiri posse dicit; „ Audiat (inquit) oran„ tis populi consistens quis extra ecclesiam, „ vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, „ & inter divinorum quoque sacramentorum „ officia responsionem devotæ confessionis ac„ cipiat, necesse est terreri omnem adver„ santem. „ Idem S. CHRYSOSTOMUS testatur de suis, & antiquioribus temporibus: *Hom. 36. in 1. Cor.* *Olim*, inquit, *omnes in unum congregati communi voce cantabant. Quod & nos hodie facimus.* *In ps. 145.* Et alibi: *Fœminæ & viri & senes & juvenes distincti sunt & sexu & ætate, non tamen distincti ratione concentus. Uniuscujusque enim vocem spiritus temperans unam ex omnibus conficit melodiam.* Idem ex *De verb. apost. serm. 10.* S. AUGUSTINO colligi potest: *Cantavimus psalmum exhortantes nos invicem voce una,*

uno

uno corde dicentes : Venite adoremus &c. S. ISIDORUS PELUS. quoad fœminas ab apostolis quidem id etiam permissum, sed ob suas rationes abolendum putat : „ Importunas „ (inquit) in ecclesiis loquacitates Domini a- „ postoli comprimere studentes, ut mulieres „ in ipsis canerent sapienti consilio permise- „ runt. Verum ut omnia divina documenta in „ contrarium versa sunt, hoc quoque com- „ plurimis in dissolutionem ac peccati occa- „ sionem cessit &c. Operæ pretium est igitur, „ si quod DEO gratum est, atque id quod „ ex utilitate publica est, facere volumus, ne „ deinceps in ecclesia canant interdicere.„ Communis ejusmodi concentus etiam extra ecclesiam, deportantibus christianis ceu in triumpho corpus S. BABYLÆ, meminit RUFINUS, quo tantopere JULIANUS APOST. sit exacerbatus, dum canerent illud psalmi 96. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* S. ATHANASIUS testatur in apologia de fuga sua, se unacum populo in extremis angustiis in ecclesia ab Ariana factione ad necem quæsitum a diacono psalmum 136. dicere jussisse, respondente populo inter cantandum ad se converso ad singulos versiculos : *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Idem in celebri ad MARCELLINUM epistola de mysteriis & intelligentia psalmorum agens de r t one cantus. a presbyteris ad demulcendos animos non aures populi fieri soliti, egregie scribit : in quo etiam maxime probat S AUGUSTINUS canendi modum : „ Qui „ tam modico flexu vocis faciebat sonare le- „ ctorem psalmos, ut pronuncianti vicinior „ esset, quam canenti. „ Nihilominus id Donatistæ carpebant : „ Ita, ut Donatistæ „ nos

L. I. ep. 90.

Lib. XI. c. 35.

Confess. Lib. XI. c. 33.

Epist. ad

Januar. c. 18. Ep. 211.

„ nos reprehendant, quod sobrie psallimus. „ Idem in epistola ad FELICITATEM & RUSTICAM etiam inter alia de hac re dat monitum, ut in psalmis ea tantum canant, quæ sunt notata, reliqua submissa voce dicant. Ac testis est, quomodo S. AMBROSIUS in similibus angustiis constitutus ac S. ATHANASIUS, ut mox audivimus, populo perseveranti in oratione per responsoria docuerit canendi rationem, quæ deinceps Mediolani, & in omnibus pene ecclesiis perduraverit ad imitationem ecclesiæ orientalis, ut modo de ecclesia Antiochena & Alexandrina, & superius S. BASILII prolixum locum ex epistola 207 retulimus. Memorandus est etiam psalmus S. AUGUSTINI contra Donatistas, quem in eum finem fecit, ut a fidelibus populis caneretur, ut a schismate averterentur. Et S. EPHREM hymnos composuit teste THEODORETO præcipua christiana dogmata continentes, eadem ac HARMONIUS melodia, qui hæresin ejusmodi cantilenis in vulgus spargere est conatus, exemplo plurium aliorum hæreticorum, uti nuper ostendit Doct. Er. CYPRIANUS de propagatione hæresium per cantilenas exemplis VALENTINI, BARDESANIS, PAULI Samosateni, ARII &c. Nec LUTHERUM silet ac Protestantes, qui uti & alii novatores errores suos & odium erga ecclesiam catholicam solent cantilenis a populo in ecclesiis cani solitis propinare.

Lib. IX. confess.

L. IV. c. 16.

Id autem nobis exprobrant, quod promiscuum populi cantum ecclesiis excluserimus; quod idem tamen etiam in antiqua ecclesia obtinuit, licet praxis, ut hodieque, variarit. Fit autem tantum in iis ecclesiis, ubi major numerus est clericorum, ac eorum, qui canendi sunt periti, modo utique ad finem in-

tentum

tentum ex cantu ecclesiastico accommodatiori. „ Et nos utique (recte monet S. NICETIUS) „ omnes quasi ex uno ore eundemque psalmorum sonum, eandemque vocis modulationem æqualiter proferamus; qui autem æquare se non potest cæteris, melius est ei „ tacere, aut lenta voce psallere, quam clamosa voce omnibus perstrepere. Sic enim & „ ministerii implebit officium, & humiliter „ psallenti fraternitati non erit offendiculum. „ Plura habet de rite instituendo cantu ecclesiastico. Quædam etiam S. ISIDORUS de divinis officiis: *Propter carnales*, inquit, *in ecclesia, non propter spirituales consuetudo est instituta canendi: ut qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur.* Eo tempore imprimis S. GREGORIUS M. hoc egit: *Antiphonarium*, inquit in ejus vita JO. Diaconus, *centonisans cantorum instituit scholam, more sapientissimi SALOMONIS, propter musicæ compunctionem dulcedinis.* Dicit originalem librum in Vaticano suo tempore servatum, lectumque, super quem cantare solitus, cum ob podagræ dolores erectus esse haud posset, monstrari, ac ferulam, qua minitari solitus sit parvulis scholaribus.

De vigil. apud Dacher. T. I. in fol. p. 224.

Ap. eund. Dacher. opusc. peculiari de psalmodiæ dono. p. 221. c. 5.

L. III. n. 6.

Inde hodieque cantus Gregorianus dicitur, cui tantum studium medio ævo impensum, scholis cantorum, uti Romæ ita alibi etiam institutis, Roma peritis cantoribus undique terrarum missis. Veluti S. BEDA cantum didicisse fertur a JOANNE archicantore Romano, quem AGATHO P. ad BENED. BISCOPUM miserit, ut cantum Romanum in monasterio Veremuthensi induceret. WALAFRIDO teste, cum STEPHANUS II. in Galliis moraretur, Galli melius cantandi artem a clericis pontificis, quos secum habebat, didicerunt,

T. III. act. O. S. B. p. 507.

runt, fuitque tunc multis in locis cantus Romanus adoptatus. Eodem tempore REMEDIUS archiepiscopus Rothomagensis Romam misit monachos, ut in cantu ecclesiastico instruerentur, ægre ferens, quod pontifex PAULUS I. Romam revocarit SIMEONEM, sub cujus magisterio inchoassent discere cantum. Quam ob rem se excusat papa epistola ad PIPINUM regem fratrem REMEDII. Sub ANGELRAMO episcopo Metensi eodem tempore celebris evasit schola cantorum Metensis PIPINO, & postea CAROLO cantum Romanum præstantiorem, amœnioremque eo, qui prius in Francia erat usitatus, undique propagantibus, ut refert MABILLONIUS. Et in vita CAROLI M. monachus Engolismensis narrat eundem obtinuisse ab ADRIANO P. duos insignes cantores unacum antiphonariis instructis notis Romanis. In capitulari ejusdem imperatoris Ratisbonæ dato præcipitur in monasteriis & cathedralibus doceri cantus, notæ &c. Insignis calumniæ loco habuit AGOBARDUS, quod ecclesia Lugdunensis esset neglectus in cantu ecclesiastico accusata, quamob rem scripsit de divina psalmodia tractatum, qui præfationis loco esse potest alterius de correctione antiphonarii. Fuit tamen adhuc sæculo undecimo etiam usitatus cantus Ambrosianus in ecclesia Cassinensi a STEPHANO IX. prohibitus, qui fuit antea monachus Cassinensis: ut videre est apud MABILLONIUM.

T. VII. conc. p. 1688.

L. 24. annal. p. 216.

T. II. p. 837.

T. IX. act. p. 583.

§. LXXIX.

Et musica ecclesiastica.

Musica ecclesiastica sine aut cum instrumentis quomodocunque, ita institui modeste & sancte debet, ut ani-

animum demulcendo advocet, & piis ſenſis imbuat, non avertat.

Auctor quæſtionum ad orthodoxos ſub nomine S. JUSTINI M. ſed eo aliquibus ſæculis poſterior, id tamen ſatis conformiter primævæ inſtitutioni eccleſiæ aſſerit, uſum quidem illius eſſe canere hymnos, ſed ſine inanimorum inſtrumentorum ſono. S. CLEMENS ALEX. vetuſtior, inſtrumenta muſices, & profanas cantiones etiam a conviviis bene inſtitutis abeſſe, nec niſi canticis ſpiritualibus locum eſſe vult. Uſum tamen inſtrumentorum non penitus interdicit, permittitque impendi ad canendas divinas laudes. Libro III. c. 11. ejusdem pædagogi iterum abuſum tantum muſices reprehendit, veluti alii etiam illius ætatis auctores uti TERTULLIANUS, & S. CYPRIANUS de ſpectaculis, HIPPOLITUS in oratione de antichriſto; ſed argumentum ipſum prodit quam muſicam damnent neutiquam ſacram atque uſibus eccleſiaſticis aptam, ad pietatis ſenſus animis fidelium inſtillandam: quod, quomodocunque demum, ut vidimus, in concentu ſacro eccleſiæ præſules ſanctiſſimi quique egerunt, nihil morantes eos, qui jam tum vituperarunt: veluti Ariani S. AMBROSIUM criminati ſunt, ut ipſe in oratione contra AUXENTIUM teſtatur, quod populos hymnorum cantu ſeduceret; quia nimirum in antithotum contra errores Arianorum fidem ſanctiſſimæ Trinitatis per cantica ingereret. Sed aliter S. AUGUSTINUS afficiebatur, dum initio converſionis Ambroſianam Mediolani audiret melodiam non tam ſono, quam rebus captus, unde contra hoſtes illi orthodoxæ ſententiæ cantum carpendi anſam ſumebant: „Verumtamen (inquit) cum „ remi-

Quæſt. 107.

Lib. III. Pædag. c. 4.

Lib. IX.

confess. c. 33. „ reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad „ cantus ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipse commoveor, „ non cantu, sed rebus, quæ cantantur cum „ liquida voce, & convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter „ periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem „ irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in ecclesia: „ ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. „ Agit ibi de delectationibus, quas ex sensibus odoratus & auditus percipimus nocue aut innocue etiam in sacra ecclesiastica melodia, ne excessus fiat: Tutius sibi fieri, inquiens, quod de Alexandrino episcopo ATHANASIO sæpe sibi dictum commemorat, qui cum primis temporibus musica excellenti ad DEI laudes concinendas usus esset, sed postea cerneret suorum Alexandrinorum animos per illam in lasciviam solvi, eam sustulit, & cantum, quem vocant, planum revocavit, ac tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam cantanti. *Vid. Socrat. L. II. c. 8.* Notanda autem sunt laudato in loco S. AUGUSTINI verba: „ Quum „ mihi accidit, ut me amplius cantus, quam „ res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me „ peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. „ Non minus gravia in eandem sententiam sunt S. HIERONYMI verba in illud apostoli: *Eph. V. 19.* *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: Audiant*, inquit, *hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia,*

clesia officium est, DEO non voce sed corde cantandum, nec in tragœdiam guttur & fauces dulci medicamine collinienda, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore, in opere, in scientia scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud DEUM cantus est. Et ibidem: *Sic cantet servus CHRISTI, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur, ut spiritus malus, qui erat in SAULE, ejiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de DEI domo scenam fecere populorum.* S. NICETIUS in laudato jam libro de psalmodiæ bono in illud psalmi 46. *Quoniam rex omnis terræ DEUS, psallite sapienter:* „ Id est intelligenter (ait) ut non solum spiritu, hoc est, sono vocis, sed & mente psallamus, & ipsum quod psallimus cogitemus, ne captivata mens fabulis & extraneis cogitationibus laborem habeat infructuosum: sonus etiam vel melodia consentiens sanctæ religioni psallatur, non quæ tragicas difficultates exclamet, sed quæ in vobis veram christianitatem demonstret; non quæ aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat. „ S. AUGUSTINUS quid apud se cantus psalmorum operatus sit, in confessionibus coram DEO gratanter edicit: *Quas tibi, DEUS meus, voces dedi cum legerem psalmos DAVID, cantica fidelia, & sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo catechumenus.* Hæc ex intellectu pia affectio unacum dulci modulamine conjuncto enascuntur.

T. III. Spicil. p. 220.

L. IX. Confess. c. 4.

QUILIELMUS LINDANUS in panoplia evangelica graviter suo tempore querebatur,

L. IV. c. 78.

rebatur, musicos cantu auditorum animos non tam ad pietatis cultum, cœlestiaque excitare desideria, quam avocare, avertere, alienare. Quod seipsum deprehendisse sic refert: *Scio aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum, ita erant omnia syllabarum repetitionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, & incondito boatu, quam cantu, obscurata.* Concinit DURANDUS: „Hodie dolenter refero, in ecclesiis musici, qui cantorum vice funguntur, hominum omnium dissolutissimi sunt, adeo ut adagium populo dederit, musice vivere, hoc est dissolute, & effœminate. „ Hoc e choro dejici optavit LINDANUS &c. Et POLYDORUS VIRGILIUS: *Hodie nihilo plus e republica nostra esse apparet, quando cantores nostri ita in templis constrepunt, ut nihil præter vocem audiatur, & qui intersunt, ejusmodi vocum concentu, quo eorum aures maxime calent, contenti, de vi verborum minime curant. Unde eo ventum est, ut apud vulgus omnis fere divini cultus ratio in istis cantoribus videatur, quos bona pars populi, ut audiat, in sacras ædes velut in theatrum concurrit, eos pretio conducit, eos fovet, eos denique solos domui DEI ornamento esse existimat, tanto molliores, & delicatiores in cantu flexiones, & fictæ voculæ vulgus magis delectant, quam certæ, & planæ: ac ei gratior est sonus, qui tremulo e gutture funditur, quam qui cum gravitate editur.*

De rit. Lib. III. c. 21.

De rer. invent. L. VI. c. 2.

Maxime hic a scopo aberrare contingit in instrumentis musicis, quæ S. CHRYSOSTOMUS Judæis carnalibus indulta esse dicit, quorum in psalmis fit mentio; sed cum canticis & psalmis adhuc tolerabilior est eorum usus, quam

Hom. in Psal. 149.

soli-

solitarius, nisi interludendo forte ad respirandum. *Quae sine anima sunt*, inquit apostolus, *vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem dat tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* Contingere solet verba singula modulis adeo perplexis involvi organis quoque, atque aliis ejusmodi instrumentis, quae nullas habent voces, ita confundi, ut ad astantium aures nihil praeter meros sonos perveniat. Testatur CRESSOLIUS in suo mystagogo de consilio PII IV. ad concilium Trident. referre cogitantis: *Cum etiam temporibus suis animadvertisset, in aedium sacrarum cantu atque symphonia nihil prope aliud esse, nisi quasdam murmurationes delicatas, & frequentamenta inania vocularum, e quibus fructus ad pietatem nullus colligeretur. Tridenti in concilio orbis proponere constituerat de musica e sacris templis ejicienda; jamque de negotio in sermone familiari cum purpuratis patribus, & aliis illustribus hierarchis egerat. Quod ejus consilium cum Joan. PRAENESTINUS rescivisset, qui choro summi pontificis, & musicae praeerat, ut ingenio fuit artificioque nobilis, promte missas ea temperatione composuit, ut detractis illis velut cincinnis, modulisque vocum suavibus, quibus antea sola aures capiebantur, & retineretur symphonia, & verba omnia plane, & liquido intelligerentur. Illas vero cum pontifex audivisset, & videret utilitatem, quae percipi potest e divinis rebus, quae canantur, intellectis, cum suavitate posse conjungi, voluntatem illam abjecit, & putavit*

1. Corinth. XIV.

L. III. c. 27. sect. 4.

tavit non tam esse de musica tollenda cogitandum, quam de adhibenda moderatione. Utinam idem hodie agatur, obtineaturque! Sed de hac re plura singulari opere de cantu & musica ecclesiastica veteri & nova.

CAPUT IV.

De horis canonicis.

§. LXXX.

Origo horarum canonicarum.

Primævus in ecclesia est horarum certarum, quas canonicas vocant, ad divinas laudes publico in conventu usus, licet numerus non statim fuerit determinatus.

Media nocte PAULUS & SILAS orantes DEUM laudasse memorantur *Act.* 16. Ibidemque *c.* 2. hora tertia dicuntur apostoli Spiritum sanctum accepisse. PETRUS autem *Act.* 10. refertur ascendisse in superiora, ut oraret circa horam diei sextam. Idem denique PETRUS & JOANNES ascendebant in templum ad horam orationis nonam, ut habetur *Act.* 3. Hasque ex actibus horas TERTULLIANUS commemorat: *Cum in commentario LUCÆ*, inquit, *& tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati pro ebriis habebantur, & sexta, qua PETRUS ascendit in superiora, & nona qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus, salva plane differentia semper & ubique, & omni tempore orandi, tamen tres istas horas ut*

De jejun. c. 10.

insignio-

insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus divinis? S. CYPRIANUS easdem designans horas adhuc plura mysteria ex evangelica historia designat, & alia etiam addit orationis tempora: „ Quæ (inquit) horarum „ spacia jam pridem spiritualiter determinan- „ tes adoratores DEI statutis, & legitimis ad „ precem temporibus serviebant: & manife- „ sta postmodum res est, sacramentum olim „ fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam „ super discipulos hora tertia descendit Spiri- „ tus sanctus, qui gratiam dominicæ promis- „ sionis implevit. Item PETRUS hora sexta „ in tectum superius ascendens signo pariter „ & voce DEI monentis instructus est, ut om- „ nes ad gratiam salutis admitteret, cum de „ emundandis gentilibus ante dubitaret. Et „ Dominus hora sexta crucifixus ad nonam „ peccata nostra sanguine suo abluit, & ut re- „ dimere & vivificare nos posset, tunc victo- „ riam sua passione perfecit. Sed nobis præ- „ ter horas antiquitus observatas orandi nunc „ & spacia & sacramenta creverunt. Nam & „ mane orandum est, ut resurrectio Domini „ matutina oratione celebretur, quod olim „ Spiritus S. designabat in psalmis dicens: „ *Rex meus & DEUS meus, quoniam ad* „ *te orabo Domine mane, & exaudies vo-* „ *cem meam, mane assistam tibi, & contem-* „ *plabor te.* Recedente item sole ac die ces- „ sante necessario rursum orandum est. Nam „ quia CHRISTUS sol est verus, & dies ve- „ rus est, sole ac die sæculi recedente quando „ oramus & petimus, ut super nos lux denuo „ veniat CHRISTI, precamur adventum lucis „ æternæ gratiam præbiturum. „ Paulo post eo-

Lib. de orat. sub finem.

dem modo de oratione nocturna loquitur. In
L. VIII. c. 34. constitutionibus apostolorum earundem horarum mysteria breviter enarrantur: *Mane gratias agentes, quod illuminaverit nos morte sublata & reddito die. Tertia quod ea hora PILATUS judicium adversus Dominum pronunciavit. Sexta quod ea hora in crucem actus est. Nona, quod tunc omnia mota & tremefacta sunt Domino crucifixo: quia horrerent audaciam impiorum Judaeorum, & contumeliam Domini ferre non possent. Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum diurnis laboribus. Ad galli cantum, quod ea hora annunciat adventum diei ad facienda opera lucis.*

Fatendum tamen est nullis idoneis ex prima illa antiquitate documentis probari, statas has a fidelibus horas aut etiam a clericis publico conventu fuisse servatas. PRUDENTIUS in *Cathemerino* spacia horarum canonicarum communi & privato usui fidelium assignat, cujus primus hymnus est ad galli cantum, secundus matutinus, tertius ante cibum, quartus post cibum, quintus ad incensum lucernae, sextus ante somnum. Et S.
L. III. de virginit. c. 4. AMBROSIUS: *Solemnes orationes cum gratiarum*, inquit, *actione sunt deferendae cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus, sed & in ipso cubili volo psalmos cum oratione dominica frequenti connexas vice.* S. ATHA-
De virginit. T. II. p. 117. NASIUS eodem in argumento, eademque instructione pro virginibus accuratius quidem horas canonicas orationis distinguit, sed tamen etiam communem gratiarum actionem coenae jungit. S. HIERONYMUS similiter ad EUSTOCHIUM scribens virginem, easdem canonicas

nicas precum horas ei præſcribit pariter ac ad DEMETRIADEM & LÆTAM. Alias diſtinguit tria tempora, quibus DEO flectenda ſunt genua: *Tertiam horam, ſextam, nonam*, inquit, *eccleſiaſtica traditio intelligit.* Provocat autem ad notatos ex actibus locos. S. BASILIUS in homilia I. de inſtitutione monachorum accurate horas canonicas pro monachis determinat pariter ac in regulis fuſius tractatis. Cui jungendus eſt S. EPHREM in ſermone de beatitudinibus, CASSIANUS, S. BENEDICTUS,& ſi qui alii pro cœtibus monaſticis horarum harum canonicarum uſum varium adhuc in ſuis primordiis deſignarunt. Unde etiam earum determinatio orta fuiſſe videtur, atque ad communem clericorum uſum inducta non eodem tempore, nec eodem numero ac perfectione. Habetur a SPELMANNO libellus vulgatus de curſuum eccleſiaſticorum origine, quomodo GREGORIUS Turon. de curſibus eccleſiaſticis ſcripſit, ſed liber ejus ad nos non pervenit, a SPELMANNO autem editus incerti eſt auctoris, incertæque auctoritatis. Qui quinque curſuum eccleſiaſticorum diſtinguit genera, Aſiaticum a S. JOANNE, Alexandrinum a S. MARCO, orientalem a S. CHROMATIO, HELIODORO, PAULINO ſeu ATHANASIO, Ambroſianum ſeu Mediolanenſem, & demum Romanum; ſed recte viſus eſt MABILLONIO de curſu Gallicano curſum eccleſiaſticum cum liturgia confundere, quoad primigenios illos ſaltem a temporibus apoſtolicis veluti a S. MARCO.

In cap. 6. Daniel.

c. 37.

L. III. Inſtit.

§. LXXXI.

Ut non uniusmodi fuit horarum canonicarum ſua origine ratio, ita deinceps varias vices, & augmenta

Et progreſſus earundem.

accepit præsertim apud monachos, quæ reformationem ferre non paucis sunt visæ.

CASSIANUS, ne quid dicam de THEODORETO, qui in historia religiosa sparsim singularia in hanc rem habet, libro secundo & tertio institutionum variarum ordinem officii divini horarum canonicarum apud monachos tam orientales quam occidentales recenset. Quoad clericos & canonicos præsertim in occidente varia decreta conciliorum, statuta & capitularia etiam regum Francorum in hanc rem habentur, quæ apud THOMASINUM pleraque a prima origine statarum horarum canonicarum collecta legere potes. Id etiam elaboratum, ut uniformitas haberetur saltem in unaquaque provincia: *Ut vel intra provinciam nostram*, habet concilium Venetense medio sæculo V. *sacrorum ordo, & psallendi una sit consuetudo: & sicut unam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, unam & officiorum regulam teneamus: ne variata observatione in aliquo devotio nostra discrepare credatur.* Melius Græci consuluisse videntur conformitati officii divini, quorum eam in rem in euchologio typus seu typicon est, & alii libri collecti tam ad ordinandam liturgiam, quam reliquas partes horasque officii divini; quæ ibi omnia magis conjuncta manserunt secundum institutum primigenium, quam in occidente, saltem quoad ecclesiasticum cursum extra congregationes monasticas, quæ a prima sua origine varia sunt secuta instituta quoad certas horas canonicas, etiam per turmas omne tempus distribuendo, & consecrando servitio divino, uti primum Acœmetæ in oriente fecerunt, in-

De beneficiis P. I. L. III. c. 75. &c.

Can. 15.

de

de nomen adepti insomnium. Quæ ratio divini officii seu psalmodia perpetua in variis monasteriis utriusque sexus occidentalibus fuit adoptata, primum ut creditur in monasterio Agaunensi, ad cujus formam jam instituit CLODOVÆUS II. medio sæculo VII. in monasterio S. DIONYSII eandem psalmodiam perpetuam. Quoad monasterium Agaunense habetur statutum 60. episcoporum Agauni congregatorum. Unde etiam S. SALABERGA institutum accepit pro monasterio virginum 300. Laonæ, quæ per septem turmas juxta numerum horarum canonicarum perpetuum cursum absolverent.

T. VI. conc. p. 490.

Vid. Mabill. anal. L. I. p. 28.

Per multa vero sæcula in monasticis congregationibus ordo a S. BENEDICTO prolixe in sua regula constitutus est servatus. Qui licet non unus, ut sunt qui putent teste MABILLONIO, sit cum officio Romano antiquo, in multis tamen haud dubie, prout tunc erat, conveniebat, novitatem sancto refugiente patre monachorum, præterquam in iis, quæ monastico instituto suo congruebant. Quoad discrimen vero ipsum officii S. BENEDICTI vetus & novum, & augmenta legi potest sodalis meus venerandus P. MARQUARDUS HERRGOTT in præfatione veteris disciplinæ monasticæ. Ubi de variis mutationibus, præsertim a sæculo decimo, additionibusque, jugibus, & earum causis aperte agit, & cordate. Super inductis successu temporis etiam horis seu officio B. V. M. quin imo integri psalterii, repetitis etiam in die vicibus, recitatione, ut apud PETRUM DAMIANI videre est. Ex ULRICI monachi Cluniacensis usibus Cluniacensibus constat, ibi maxime prolixitatem locum accepisse variis additionibus aut privatæ devotionis, aut variis obligationibus susceptis,

De cursu Gallic. §. 1.

Opusc. 15.

T. IV. spicil. p. 31.

aut demum officii divini partibus liturgicis in ecclesia receptis, cum monasticis copulatis. Alias adhuc in rationes inquirit laudatus P. HERRGOTT. Imprimis autem, quomodo istud intentioni sancti legislatoris congruat, qui omnino in oratorio abbreviandam vult orationem, privatæ devotioni monachorum, quod reliquum est, relinquens. Quia dici nequit orationis assiduitatem iis non imprimis congruere, qui DEI servitio totos se consecrarunt, cum apostolus promiscue fideles hortetur: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* (2. Thessal. V.) Et ad TIMOTHEUM: *Volo viros orare in omni loco.* (1. Tim. II.) Quod de elevatione mentis in DEUM intelligitur, quæ potius mentalis est oratio, ac jugis esse potest. Perperam autem inde concluderetur, totos dies insumendos esse psallendo, orandoque: qui fuit Messalianorum seu Euchitarum error. Leguntur etiam apostoli omnes unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus & MARIA matre JESU, & fratribus ejus. (Act. II.) Et pro PETRO in carcere detento oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad DEUM pro eo. (Act. XII.) Sed apostoli ideo ministerium, quod acceperant, non intermiserunt, verbi divini in omnem terram propagandi. Ac quisque pro suo munere id, quod incumbit, agere debet.

Sed ut ad nos redeamus, aliam quamdam mutationem in officio canonico factam successu temporis NICOLAUS de CLEMANGIS designat in libro de novis celebritatibus non instituendis: *Habuerunt majores nostri*, inquit, *tantam erga sanctos devotionem, quantam nos habemus; sed secundum scientiam fuit zelus eorum, qui noluerunt ita sanctos coli, ut DEUS negligeretur, nec justum putarunt tot sanctorum gesta in ecclesia recenseri, ut non possint in ea legi veteris & novi testa-*

menti

menti ſacra volumina. Dudum agitatum fuit conſilium, & nunc in eo eſt, ut in congregatione SS. VITONI & HIDULPHI breviarium reformetur in eum ſtatum, ut ſingulis annis ſcriptura, ſingulisque hebdomadibus pſalterium abſolvatur. Sed multiplicatione feſtorum, quæ proprios pſalmos habent, jam nihil minus fit. Habent ea proprias ſuas lectiones, unde ex ſcripturis parum legitur, quod tamen præſcribit S. BENEDICTUS. Et in ſtatutis LANFRANCI pro ordine S. BENEDICTI accurata habetur diſtributio ſcripturarum pro lectionibus in circulo anni. PETR. ABAELARDUS *ep.* 6. ad HELLOISSAM ſimiliter pſalterium per hebdomadam abſolvi vult, & ſcripturarum lectiones ita diſtribui, ut integra abſolvatur per annum, ut in regula PARACLETI monaſterio ejusdem ſuæ HELLOISSÆ præſcribit. Non ita pridem cardinalis QUIGNONIUS tale reformandum ſuſcepit breviarium hortatu CLEMENTIS VII. quod in non paucis bibliothecis Galliæ vidi. Ita autem inter alia de ſuo illo inſtituto in præfatione ad pontificem CLEMENTIS ſucceſſorem loquitur: *Ac illud ante omnia viſum nobis eſt in conſuetudinem revocare, ut ſcriptura ſacra maxime omnium toto anno, & omnes pſalmi ſingulis ſeptimanis perlegerentur. Utrumque enim veteribus patribus ſumma ratione placuiſſe videbamus, qui plerosque libros utriusque teſtamenti per anni tempora legendos diſpoſuerant, ut ſingulis ſeptimanis totum pſalterium legeretur, quod ſingulis diebus in primitiva eccleſia perlegi ſolitum eſſe tradit ſpeculator. Sed precantium negligentia factum erat, ut minima pars ſcripturæ ſacræ legeretur, & pſalmorum plerisque omiſſis pauci ſingulis fere diebus repeterentur. Quod eis accidit, cum officii feria-*

lis optime, sanctissimeque a majoribus instituti longitudinem & laborem refugerent. Ad quem vitandum, varia compendia excogitantes, consuetudinem induxerunt, omissis feriis, toto fere anno sanctorum festa celebrandi, etiam in quadragesima. Approbatum id quidem QUIGNONII breviarium a PAULO III. memorat auctor consultationis de reformandis horis canonicis, ac rite instituendis clericorum muneribus, qui paria consilia molitur; abrogatum nihilominus fuit paulo post constitutione PII V. data Romæ an. 1568. *Cujus forte*, sunt verba auctoris illius, *rationes hæ fuerunt: quod ad unum nocturnum ipsius matutinæ contra ritum veteris ecclesiæ contractæ sint; quod quibuslibet festis non conveniat: quod pluribus responsoriis, antiphonis, hymnis, & capitulis careat: quod potius lectioni, ac studio, quam orationi paratum esse videatur: si tamen id sit verum, cum e contrario per hebdomadam omnes psalmi Davidici, qui pulcherrimas totius scripturæ sacræ precationes includunt, ibi repetantur, atque per anni cujuslibet circulum totum fere utriusque testamenti paginæ referantur.* Refert deinceps elogium PAULI III. in commendationem illius breviarii, & alia tota illa consultatione profert momenta, agitatque consilia, non facile effectum sortitura.

Consult. de reform. hor. can. p. 214. ed. auctior.

§. LXXXII.

Ac obligatio saltem pro clericis.

Officii aut horarum canonicarum in ecclesia solemnitas, ad communem divini cultus ordinem pertinens, peculiaris est etiam clericis ad privatam recitationem recte præscripta.

Jam

Jam memini olim officium canonicum cum ſacra liturgia in eccleſia fuiſſe conjunctum, idque, qui noſtra hæc principia theologiæ liturgicæ ordine legerit, ſatis intelliget. Unde etiam ad nocturnas olim fideles omnes conveniebant preces, & ad reliquas conventus ſacri ſtationes concurrebant. In S. CÆSARII vita refertur, eum ita ordinaſſe officium canonicum, ut laici etiam poſſent aſſiſtere: *Ut ſi quis forte ſæcularium vel pœnitentium ſanctum opus exequi ambiret, abſque excuſatione aliqua quotidiano intereſſe poſſet officio.* Et num. ſeq. *Adjecit etiam atque compulit, ut laicorum popularitas pſalmos & hymnos pararet, altaque & modulata voce, inſtar clericorum, alii Græce alii Latine proſas antiphonasque cantarent, ut non haberent ſpacium in eccleſia fabulis occupari.* Applaudit ille populo, & DEO gratias agit ſermone quodam de obtento a ſe fine in pio populorum concurſu: *Unde*, ait, *benedico Dominum meum, & quantas poſſum jugiter gratias ago, qui dignatus eſt implere deſiderium meum. Cum enim vos ego ita pſallere deſiderarem, quomodo in vicinis civitatibus pſallebatur, aliter DEUS præparavit animum veſtrum, ut hoc etiam melius, Domino adjuvante, compleatis.*

n. 10.

Append. S. Aug. 288.

Erat autem varia primum pſalmodiæ ratio in eccleſia apud fideles præſertim, ut aut ab uno, aut pluribus pſalmi canerentur reliquis cum ſilentio audientibus, interdum ab univerſa congregatione conjunctim canerentur, interdum alternatim congregatione in choros diviſa. *Cernisne*, inquit S. GREG. NAZ. *angelorum chorum, qui nunc ſimul, nunc vicibus alternis canunt.* Quocirca S. AMBROSIUS eccleſiam cum mari comparat: *Reſponſoriis,*

Carm. 18. de virtute.

Hexam. L. III. c. 5.

soriis, inquit, *psalmorum cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonans undarum fragor exultat.* Erat hæc communis officii divini ratio concurrentibus consonantibusque cunctis. At paulatim, decrescente pietate populorum, proprium clericis mansit munus præsertim ruri hominibus rudibus variis rebus distentis, & vix ad missam concurrentibus, præter dominicas, & festa. *Invitate*, monet RICULPHUS episcopus Suessionensis suos parochos sæculo nono, *ut si ad alios cursus venire non sufficiunt, saltem missas audire frequentius studeant, & dominicis atque aliis diebus festis vesperas, matutinas, & missas frequentent.* Refert hoc MABILLONIUS, aliaque ex prima ecclesiæ ætate de concursu fidelium ad nocturnas preces, & addit: *Postea refrigescente pietate diebus festis ac dominicis fideles a matutinis abesse religioni duxerunt. Nunc eo devenit pietas, ut qui a missa vel privata non absuerit diebus præceptis, egregie religiosus habeatur. Quod tamen citra offensam dictum sit piorum hominum, qui nostra etiam ætate priscorum christianorum religionem ac mores pro modo imitantur.* Certe si attendamus ad vigilias noctium, atque protractiones precum apud antiquos usque ad sacrificium missæ, patebit, quantum in munere suo defecerint fideles.

De cursu Gall. §. 4. n. 47.

Hinc autem ratio manifesta est, quare saltem matutinum & laudes præscribebantur ante celebrationem missæ dici, quod olim ceu præparatio ad missam fuerint. Et hodieque idcirco etiam certa hora, varia diebus festis & jejunii, statuitur, qua missa celebretur. Vel inde autem patet recitationem breviarii orationem seu elevationem mentis in DEUM esse, de quo miror unquam theologos quæstionem facere potuisse.

Nec

Nec minus paradoxum eſt, quod auctor conſultationis de horis canonicis, prolixitatem horarum canonicarum potiſſimum cauſatus, privatam recitationem breviarii, ſeu precum ac lectionum ſtatis horis in dies a religioſis monachis & clericis perſolvendarum, tollere conetur, tanto ſæculorum curſu, tantaque eccleſiæ auctoritate firmatam. Ut apud laudatum MABILLONIUM de curſu Gallicano, & THOMASINUM teſtimonia collecta videri poſſunt.

§. LXXXIII.

Gravis incumbit obligatio recitandi horas canonicas, non ſolum publice, ſed etiam privatim clericis in majoribus conſtitutis ac beneficiariis, ita, ut alias fructus beneficiorum ſuos nequaquam faciant. Eaq; gravis publice vel privatim.

Gravem obligationem eam intelligimus, qua ſub lethalis peccati pœna hæc divinorum officiorum recitatio a ſacris miniſtris eſt facienda. Semper clericis incubuit obligatio aſſiſtendi officio divino ac ſacræ liturgiæ, cujus pars ſunt horæ canonicæ, etſi a ſacrificio nunc magis quam olim ſejunctæ ſint. Concilium Toletanum I. aperte pronunciat: *Si ad eccleſiam, ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, clericus non habeatur.* Can. 9. Quod in concilio Carthaginenſi IV. expreſſe de vigiliis ſtatuitur: *Clericus, qui absque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur.* Can. 49. Eſt hoc poſterioribus eccleſiæ legibus innumeris ſancitum, ut beneficiarii ſegnes reſtitutionis pœna obſtringantur. Quod ſeverius adhuc olim officii unacum beneficii privatione fiebat,

Can. 14. bat. *Clerici*, habet concilium Aurelianense II. *qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur.* Concilium Veneticum: *Clericus, quem intra muros civitatis suæ manere constiterit, & a matutinis hymnis sine probabili excusatione ægritudinis inventus fuerit defuisse, septem diebus a communione habeatur extraneus: quia ministerium sacrorum eo tempore, quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est a salubri devotione cessare.* Apud MARTINUM Bracarensem similis habetur constitutio: „ Si quis presbyter vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo ecclesia est, & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri. „ Et pœnitentiale EGBERTI Eboracensis: *Si quis clericus aut monachus corporis sanitate consistens vigiliis, & quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.* Duo mox sequentia capitula in eandem sunt sententiam.

Can. 14.

cap. 63.

L. III. c. 5. 6. 7.

Nullus quidem graves pœnas cum veniali tantum culpa consistere posse sibi persuadebit; sed quia de publico solum concursu ad horas canonicas his in canonibus agitur, subtilius quam verius hic fuerunt, qui distinctionem fieri posse existimarent. *Alii enim*, inquit auctor consultationis de horis canonicis, *obligationem recitandi privatim breviarii sub peccati pœna simpliciter, alii nominatim sub peccati lethalis statuunt. Et quidem neque Basileensis, neque Lateranensis de ulla peccati pœna* memi-

c. 4. p. 800. &c.

meminerunt. *Sed PIUS V. Lateranensem explicans, aut potius extendens in constit. an.* 1571. *vult etiam ut ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligatur admisisse.* In concilio nimirum Lateranensi statutum est: Ecclesiasticos beneficiorum fructus suos non facere, eosque quasi male perceptos vel ecclesiarum fabricis, vel pauperibus restituere debere pro parte temporis, qua preces canonicas non recitaverint. Citatus auctor licet obligationem omnino negare non potuerit, nihil tamen non agit, ut eam minuat, & quamlibet facile excusationem admittat constitutionibus ejusmodi, ut ipsi videtur, natis ex sola consuetudine: *Quæ*, inquit, *quoniam visa est laudabilis, potius est approbata, quam injuncta: vel si forte videtur injuncta, nulla tamun reperitur esse lethalis peccati pœna, qualem credimus, apposita, saltem expressa; sine qua declaratione præcisa vix opinor tanti peccati pœnam intelligi debere, præsertim quoties agitur de obligatione tædiosa, difficili, & quotidiana, quæ frequenter, ut fit, non custodita, sæpius in maximum animarum detrimentum verti potest.* *L. c. p.* 103.

Religiosior est MABILLONII sententia opposita temerariæ huic quorumdam, genio aut studiis suis nimium indulgentium, cum dispendio divini honoris ac officii, quod ipsis in statum clericalem assumtis incumbit. „ Censent „ quippe ejusmodi homines novitiam hanc esse obligationem, priscis temporibus ignotam „ nec ulla ecclesiæ universæ lege impositam, „ sed a scholasticis, & a casuum arbitris inductam. Et quidem optandum esset, ut CHRISTI ministrorum voluntas ita sponte sua curreret ad officia pietatis, ut nullo legum sti- „ *De cursu Gall.* §. 6. *n.* 64.

 „ mulo

„ mulo indigeret. Sed tanta est depravatio con„ suetudinum, tanta opinionum vanitas, ut le„ gum adminicula necessaria sint ad revocan„ dos bonos mores, ne penitus intereant, & „ ad retinendam pietatem, ne DEI oblivio tan„ dem animos occupet. Quod sane magnope„ re timendum esset de multis eorum qui di„ vino cultui mancipati, ita rerum sæcularium „ curis ac desideriis abripiuntur, ut nisi ad „ DEUM precandum quadam lege admoneren„ tur, minus de DEO cogitaturi essent, quam „ ipsi sæculares. Itaque ad ecclesiæ religionem „ pertinebat, ut languentem sacrorum mini„ strorum pietatem legibus excitaret, ut saltem „ aliquot horas divinis laudibus insumerent, „ quorum omnis cogitatio in DEUM & de DEO „ esse deberet. Sive ergo ea lex est, sive „ consuetudo, qua ministri sacri ad recitan„ das horas canonicas tenentur, sancta & in„ violabilis esse debet: cum sit quædam inter„ pretatio juris divini, ortaque sit ex ipsa cle„ ricorum conditione, qui toti divino cultui „ sunt mancipati. „ Hinc recte FAGNANUS in cap. Presb. de celebrat. missæ scifcit: *Ratione sacri ordinis clericos teneri ad horas dicendas, de jure divino positivo: jure autem naturali divino, quoad beneficiarios, viventes de patrimonio crucifixi.* Olim quando officium inseparabile fuit a beneficio, clericis indispensabiliter ecclesiæ suæ affixis, aliis opus haud fuit, quam quales attulimus, legibus, clericos ad officium divinum in ecclesia peragendum obstringentibus. Unde nihil concludi potest contra obligationem privatæ recitationis, quam deinceps stringi opus fuit legibus ecclesiæ, quando tot excusationum, dispensationumque in publico conventu hæc absolvendi sunt inventæ causæ. Et quidem re-

gulæ

gulæ monaſticæ, inde a S. BENEDICTO ordiendo, hoc ſemper ſtatuerunt, ut ſive aliis rebus diſtenti, ſive qui in itinere directi ſint, *Non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed ut poſſunt agant ibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere.* S. Bened. Reg. c. 50. Quare mirari ſatis non poſſum, quod de quibusdam Belgii monaſteriis MARTENIUS in altero ſuo itinere litterario refert, ſtudioſos religioſos non a choro tantum, ſed etiam a recitatione breviarii eſſe exemtos. Sed ut ad nos redeamus, videmus etiam circa hanc rem a JUSTINIANO legem gravem ſtringi: Cod. L. I. l. 41. *Ut omnes clerici per ſingulas eccleſias conſtituti, per ſeipſos pſallant nocturna, & matutina, & veſpertina, ne ex ſola eccleſiaſticarum conſumtione clerici appareant; nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici, circa liturgiam Domini DEI.* Tantum hic inculcatur obligatio aliunde jam ex jure naturali & divino incumbens, quatenus eccleſiaſticis conſtitutionibus ad certas determinatur divini officii partes ac horas, a fidelibus autem eum in finem in ſolatium animæ ſuæ res ſuppeditantur. *Nam*, ut ibidem habetur, *quia conſtituerunt vel fundarunt SS. eccleſias pro ſua ſalute, & communis reipublicæ, reliquerunt illis ſubſtantias, ut per eas debeant ſacræ liturgiæ fieri, & ut in illis a miniſtrantibus piis clericis DEUS colatur.* Hinc ab eccleſia ad reſtitutionem obſtricti declarantur, qui huic deſunt muneri.

CAPUT V.
De Feſtis.
§. LXXXIV.

Dies dominicus. Quemadmodum in veteri teſtamento ſabbatum, ita in novo

testamento dies dominica, ac diu quidem in oriente unacum sabbato, divino servitio est constanter consecrata.

De obligatione hujus observantiæ religiosæ jam sumus locuti principia theologiæ moralis pertractantes, haud morantes, quod inter Protestantes disputari solet de moralitate sabbati, aut diei dominicæ, quæ inde ab apostolicis temporibus in resurrectionis CHRISTI memoriam sabbato est substituta, aut simul etiam cum sabbato officio divino dicata. Putat quidem JOANNES DAMASCENUS, & nonnulli alii veteres, & recentiores, ante legem diei septimi observationem non fuisse impositam; sed cum DEUS cerneret Israelitas rebus terrenis immersos, hunc diem constituisse, quem in concentu psalmorum, hymnorum, canticorumque spiritualium transigentes a laboribus suis in Domino quiescerent. Quamobrem etiam THEODORETUS in festis Judæorum carnalium indulta fuisse lætitiæ signa sibi persuadet, ut a cultu idolorum abstraherentur, ubi festa ita hilariter agebantur.

L. IV. de fide orthod.

Q. 5. in Deuteron.

Festa autem christiana spirituali lætitia feriando ab opere servili, vacando vero operi divino sunt impendenda sacris conventibus, qui his diebus celebrati semper fuerunt, præsertim autem die dominica, prima sabbatorum, ut suo loco ostendi. Ut si aliis etiam singulis diebus forte fuerint sacri conventus habiti, hæc tamen stata, & solemnis semper fuerit, quidquid Coccejani dicant de libera observantia sabbati, aut diei dominicæ, aut utriusque simul, ut in oriente observabatur: *Servi operentur quinque diebus*, ut habetur in

Vid. Walch. Religions-streit. T. III. p. 757.

in constitutionibus apostolicis, *sabbato autem, & dominica vacent in ecclesia propter doctrinam pietatis.* Quamvis autem constitutiones istæ apostolorum ipsorum, aut CLEMENTIS eorum discipuli haud sint, in hac tamen ut in aliis quam plurimis rebus primorum ecclesiæ sæculorum praxin continent, & quidem universalem, quoad diem dominicum sabbato substitutum etiam a christianis Judaizantibus, ut observavit clarissimus MONTFAUCON, inde argumentum repetens contra religionem christianam Therapeutarum, quod diem sabbati excluso dominico observaverint, quod a christianis factum nunquam fuit. *Quotquot*, inquit EUSEBIUS in psal. 91. *alia in sabbato peragere sancitum erat, ea nos in dominicam transtulimus, utpote quæ magis idonea & propria ac prima item sit & agmen ducat, & Judaico sabbato pretiosior.* Et dum SOZOMENUS in Ægypto christianos ad vesperas sabbati congregari solitos dicit, id tantum videtur probare, inde celebrari diem dominicum a vesperis illis cœptum esse. Quod etiam in occidente servatum fuit quoad feriandum a laboribus ad vesperam sabbati in reverentiam dominicæ subsequentis, ut testatur S. GREGORIUS Turon. Et ita etiam ratio patet sabbati unacum dominica die celebrandi, quod in plerisque ecclesiis orientis usque ad quintum sæculum, & alicubi etiam, ut laudatus observat auctor, usque ad nostra tempora perduravit. Discimus ex concilio Forojuliensi vergente sæculo octavo, in occidente nonnullos sabbatum feriari consuevisse, quod ibi can. 13. demum a vespera ad campanæ sonitum faciendum præscribitur, non observantia Judaica, sed ut solemnius esset diei dominicæ auspicium, quæ semper religiosissime fuit cultui divino di-

Observat. sur le livre de Philon de la vie contemplative p. 132. & lettr. sur les Therapeutes p. 170.

L. III. de mirac. S. Mart. c. 31.

Hom. de bapt. Christi. cata, ne, ut S. CHRYSOSTOMUS suos auditores monet, inutiles reddant fideles labores totius hebdomadæ, ac anni, DEO sibi unum reservante, sex reliquos nobis concedente. S. *Serm. 66.* CÆSARIUS in quosdam etiam christianos invehitur superstitione Judaica die Jovis feriantes. Ubi etiam christianis indicit: *Omni die dominico ad ecclesiam convenite.* Quoad id autem, quod de die Jovis dicit, patet etiam *Can. 14.* ex concilio Narbonensi an. 589. opus fuisse ecclesiastico canone ad illam tollendam superstitionem. Subsequentibus etiam temporibus religio sabbati, ne quid residui videretur relinqui legis cæremonialis, est abolita, ac interdicta *n. 10.* a NICOLAO P. in respons. ad consult. Bulgarorum. In concilio Tolosano an. 1129. in honorem B.V.M. ecclesiæ frequentatio ad vesperam præscribitur *can.* 16. quæ ad diem etiam sequentem spectavit religio. Semper enim sacer habitus dies dominicus, servitio divino consecratus, ut si quando a pio illo studio remittere viderentur fideles legibus ecclesiasticis, firmatis etiam per leges principum (qualis habetur insignis GUNTRAMNI regis Franco- *T. V. conc. p. 991.* rum) nova sunt religione obstricti. Discimus etiam ex S. PETRO DAMIANI, fuisse, qui putarent eo die animas in purgatorio a pœnis liberas, iterum iis die lunæ solere addici. *Opusc. 33.*

§. LXXXV.

Festa ad natum verbum spectantia.

Mysterium Incarnationis dominicæ summe recolendum præparatione diuturna *Adventus* ad ipsum *Natalis Domini* festum summa celebritate olim in oriente unacum *Epiphania*

nia celebratum, intermedio *Circumcisionis* festo, Calendis Jan. a superstitionibus paganicis repurgatis.

Adventus nomine omne illud temporis spatium intelligimus, quo ad celebrandum, ea qua par est reverentia ac devotione, Incarnati Verbi natalem diem sese præparat ecclesia. Ante annos mille *Adventus* nomen rariuscule reperit MABILLONIUS, tametsi res ipsa erat in usu, scilicet præparatio quædam in ecclesia solemnis ad natalem Domini rite præveniendum. Falso quidam ex homilia quadam S. CHRYSOSTOMI nomen ac rem adventus, non inspecto Græco textu, deprehendisse sunt visi: *Si ingrueret*, inquit, *solemnis epiphaniæ dies: addo etiam si tempus adventus Domini sacri*, καίτοι καιρὸς ἐ τȣ̃το προσόδȣ. *Atqui hoc in tempore accedendi minime situm est.* Ubi τὸ καιρὸς προσόδȣ eucharistiam respicit, ad quam non tempus aliquod solemnioris festi, sed digna præparatio idoneum reddat. Refert laudatus MABILLONIUS ex codice Carnutensi ante annos octingentos exarato fragmentum epistolæ sub S. AUGUSTINI nomine, ubi ordo adventus dominici ab octavo Calendas Octobris, id est, æquinoctio autumnali repetitur: *Pro eo*, ut habent verba, *quod eadem die JOANNES præcursor Domini a majoribus nostris traditur & ab angelo nuntiante conceptus, & HERODIS funesti gladio trucidatus. Dignum namque est, ut ab eadem die usque ad nativitatem CHRISTI prophetarum organa tympanizando resultet ecclesia. Sed quia sunt nonnulli, qui adventum Domini a festivitate beati MARTINI, Turonensis urbis episcopi, videntur insipienter excolere; nos eos non re-*

L. II. de liturg. Gall. n. 3.

Hom. 3. in ep. ad Eph.

Ib. n. 6.

prebendamus, *quia non omnes omnia possunt.*
cap. 10. Multis probant, MARTENIUS de antiq. eccl. disciplina in divinis celebrandis officiis, & citatus MABILLONIUS, solemne olim fuisse in Gallia, Italia, Hispania, Anglia, Germania &c. statum a festo S. MARTINI ad diem natalis Domini jejunium. In breviario Mediolanensi, sæculo decimo quinto vergente edito, adventus incipit a festo S. MARTINI, si in sabbato acciderit, aut si alia die, sabbato festum S. MARTINI sequente. Et in breviario S. CAROLI BORROMÆI an. 1588. sex numerantur
L. c. in adventu Domini dominicæ. MARTENIUS plura affert monumenta, ubi quinque nume-
De missa cap. 4. rantur dominicæ. BERNO abbas Augiæ divitis utrumque admittit, sive quinque sive quatuor connumerentur, utriusque usus mysticas dat rationes. Et in singulari tractatu *de Ad-*
T. IV. anecd. p. 41. *ventu* apud PEZIUM, differentiam sæculo decimo circa hanc rem pluribus expendit. Cum enim accidat, ut festum natalis Domini in diem lunæ incidat, & consequenter vigilia in dominicam, alii dominicam illam unacum officio vigiliarum celebrandam ducebant; alii contendebant dominicam quintam consecrandam esse pervigilio, ut adventus habeat quatuor septimanas plenas. Prioribus se jungit BERNO, inter alia ad consuetudinem Romanam, & Franciæ provocans, ut adeo jam tunc mutatus ordo adventus esse debuerit: qui in concilio Aurelianensi, cui cum pluribus episcopis interfuit BERNO, redactus fuit ad quatuor dominicas, sicut hodie servatur in ecclesia: ut, si in quartam dominicam vigiliæ incidant, celebrentur. Inde etiam a vigilia Natalis Domini incipit ordo Romanus præter morem antiquum distincta missa, quæ prima in natali Domini celebratur, in nocte.

Qua

Qua expleta, ut ibi habetur, *vadunt ad S. ANASTASIAM canere aliam missam de nocte. Dehinc pergunt ad S. PETRUM, ut ibi vigilias celebrent... Unde etiam dupla officia in Romanorum antiphonariis hac nocte describuntur... Alia vero missa, quæ sequitur, signat novam lucem gaudii, qua per incarnati Verbi mysterium perfundimur.* Et ita hodieque tres missæ celebrantur, quæ in sacramentario S.GREGORII comparent. In quarum altera commemoratio S. ANASTASIÆ habetur, cum singulari etiam olim officio, de quo diximus, atque anxium habuit AMALARIUM circa orationes dicendas; responsum autem tulit ab ecclesiasticis Romanis, unam tantum dici: quamvis in sacramentario S. GREGORII duæ habeantur, & hodieque canantur.

Apud Hittorp. p.20.

Præfat. de offic. div.

Congruunt hæc omnia tempori, quo die 25. celebratum fuit natale Domini. Nec tamen conveniunt antiqui vel de ipso die, quo natus sit CHRISTUS. S. CLEMENS ALEX. testatur, eum suo tempore alios ad decimum nonum vel vigesimum diem Aprilis, alios ad vigesimum Maji collocare. Unde conjicitur saltem, in Ægypto necdum tunc festum natalis Domini fuisse celebratum: ubi ad finem sæculi quarti, teste CASSIANO, die sexto Januarii fuit celebratum, sicut in aliis etiam orientalibus ecclesiis, paulatim tamen a more illo descifcentibus. S. CHRYSOSTOMUS rationibus non adeo firmis probare nititur CHRISTUM 25. Decembris natum esse in homilia de nativ. Domini: quando vix decem anni effluxere, quod Antiochiæ illo die distincto ab epiphaniæ festo celebrari cœpit, more ab occidentali ecclesia repetito: atque inde potissimum ex traditione ecclesiæ Roma-

Lib. I. strom.

Coll. X. c. 2.

næ probat verum eum esse natalis Domini diem cum jam quinque ante diebus in panegyrico de S. PHILOGONIO occasionem arripuisset, auditores ad festum illud digne se præparandos adhortandi. Habetur apud JOANNEM Nicæn. S. CYRILLI Hieros. supposititia ad JULIUM P. epistola de inquirendo in tabulis a Judæis post dirutam urbem Romam deportatis, vero natali Domini, respondente JULIO 25. Decembris in illis tabulis designari. Sed nec res hæc firma est, nec tempora congruunt; videturque ex BASILIO Seleuciensi colligi, a JUVENALI episcopo Hierosol. postea hanc divisionem festorum natalis Domini & epiphaniæ factam fuisse: an vero ob majorem commoditatem ob concurrentes duas festivitates baptismi apud Jordanem, & natalis Bethlehemi, an ob persuasionem veri natalis diei 25. Decembris non constat. Forte utrumque ansam præbuit, cum jam passim in oriente distingui duo illa festa cœperint, licet paulo ante S. EPIPHANIUS, moti haud dubie orientali avito insistens, diem natalis sextum Januarii statuat. Uterque tamen GREGORIUS Niss. & Naz. festa illa distinguunt orationibus in diem luminum; qui idem tunc fuit ac epiphania. Ac Nissænus quidem palam dicit, aliquibus post natalem Domini diebus festum illud celebrari, Nazianzenus autem diem luminum a Theophania distinguit; quo nomine tamen olim solebat epiphania designari, uti S. ISIDORUS Pelus. festum Theophaniæ a natali Domini distinguit. Et ita etiam intelligendus esse videtur FULGENTIUS, quando dicit in nativitate pascha denuntiari, quod communiter in die epiphaniæ factum est: cum tamen in Africa dudum natalis Domini secundum morem occidentis 25. Decembris celebratus

Combef. T. 2. auct. p. 298.

Hær. 51. c. 19.

Orat. 8.

L. III. ep. 110.

Serm. II. c. 8.

tus

tus esse videatur: quod festum S. AUGUSTINUS designat *die jejunii natalis Domini*; licet celebri ad JANUARIUM epistola inter festa ab apostolica traditione provenientia non connumeret. Constat vero ex dictis, quomodo ecclesiæ orientales sæculo quarto, & quinto pleræque eundem morem sint secutæ: tantum adhuc Alexandrina est commemoranda, cum CASSIANUS in Ægypto natalem Domini sexto Januarii celebrari dicat. At memoratur a LIBERATO sermo S. CYRILLI dictus die 25. Decembris, quando natalis Domini celebrabatur. Et in actis conciliorum PAULI Emesseni sermo refertur eodem die in natali Domini habitus. Inter conditiones, Armenis Acephalis an. 622. ad ecclesiæ gremium reducendis, propositas, fuit etiam, ne deinceqs festum natalis, & baptismi eodem celebrarent die.

Ep. 236. v. ed. Ep. 55.

c. 8.

T. III. p. 1096.

S. GREGORII NAZ. sub hoc nomine de baptismo CHRISTI habetur oratio in die epiphaniæ. Fuitque, ut suo loco diximus, eo die multis in ecclesiis solemnis collatus baptismus & aquæ consecratæ, domum etiam reportatæ, a corruptione immunes, ut ex S. CHRYSOSTOMO alibi, de baptismo agentes, notavimus. In chronico JOSUE STYL. apud ASEMANNUM de CYRO Edesseno ad an. 498. refertur: *Ritum etiam instituit benedictionis aquæ in nocte epiphaniæ.* Et testis est S. EPIPHANIUS, multis in locis eo die aquam in vinum mutari solitam, ob miraculum in Cana Galileæ ad eum diem relatum, ubi se CHRISTUS primum manifestavit, quemadmodum Magis ab oriente venientibus: unde recte Theophania ἡ τȣ̃ Θεȣ̃ Φανέρωσις id est, DEI apparitio juxta SUIDAM dicitur. Testatur S. AUGUSTINUS istum diem nunquam hæreticos

T. I. bibl. orient. p. 269.

Hær. 51. c. 30.

Serm. 202.

cos Donatistas celebrare voluisse. Unde festum istud posterius in Africa fuisse conjicitur schismate Donatistarum; nec etiam comparet in vetustissimo calendario Romano a BUCHERIO edito. In oriente autem celeberrimum semper fuit cum jejunio in vigiliis, secus ac hodie. Qua de re notabile est, quod THEOPHILUS Alex. in sermone quodam dixit de vigiliis illis in diem dominicum incidentibus: *Quia ergo accidit, ut jejunium sanctorum Theophaniorum in hunc diem incideret, dispensemus, & ad utrumque scienter procedamus, ut & paucos dactylos sumentes &c.*

T. II. conc. p. 1797.

Solebat etiam olim alicubi jejunium observari Calendis Januarii ob superstitiones paganorum. Et forte huc spectat canon 39. Laodicenus: *Quod non oportet cum gentilibus agere, & eorum impietati communicare.* Eo certe pertinet S. ASTERII sermo contra abusum strenarum: ubi, festo nativitatis, & epiphaniæ seu luminum commendato, festum calendarum respuit, quo nos circumcisionem Domini celebramus. S. CHRYSOSTOMI similis est sermo: item S. MAXIMI Taurin. a MABILLONIO in Musæo Ital. *T. I.* editus ordine quintus. Et GELASII P. tractatus de lupercalibus huc etiam referri potest contra ANDRONOMACHUM, has & alias superstitiones paganicas tuentium. Quo pertinet etiam canon I. concilii Altisiodorensis an. 578. & concilii Romani canon 8. an. 744.

T. I. p. 698.

§. LXXXVI.

Ejusque passionem & mortem.

Deinceps luctum assumit ecclesia a septuagesima semper magis magisque per quadragesimam, ac majo-

rem

rem hebdomadam præſertim a cœna Domini in paraſceve, & ſabbato ſancto in memoriam paſſionis, mortis, & ſepulturæ Domini.

Septuageſima ergo, ut habetur in ord. Rom. *ut prædictum eſt, computatur ſecundum titulationem ſacramentarii, & antiphonarii, novem hebdomadibus ante paſcha in ſeptimam ſabbati. Populus DEI in Babylone detentus eſt captivus ſeptuaginta annis: quibus expletis reverſus eſt Hieruſalem. Ideo auctor officii noſtri ſeptuageſimam poſuit in officiis noſtris, ut hoc tempore a deliciis abſtinendo, oſtenderemus in noſtra converſatione, qualiter per omne tempus ſæculi vivere debeant, qui poſt baptiſmum peccatis ſe alienant a cœleſti Hieruſalem. Quapropter* Alleluja *illo tempore non cantatur apud nos, ſed tractus, id eſt, luctus: nec* Gloria in excelſis DEO, *quæ ſunt cantica cœleſtia: & in quibusdam locis dalmaticarum uſus intermittitur.* Videri poteſt præter auctores de officiis divinis, imprimis qui ſub ALCUINI nomine in citata HITTORPII collectione habetur, IVO Carnotenſis in ſermone de ſeptuageſima, & initio quadrageſimæ. Quæve in ſtatutis LANFRANCI habentur pro ordine S. BENEDICTI, congruunt in plerisque cum ritibus vigentibus hodieque iſto toto tempore, quo ad paſſionis, ac reſurrectionis dominicæ myſteria præparamur. *Apud Hittorp. 24. b.*

Fit hoc præſertim a capite quadrageſimæ die cinerum per pœnitentiæ ſuſceptionem. *Feria quarta, id eſt, in capite veniunt ad collectam,* ut habet ordo Romanus; *hac die* Flectamus genua, *pronunciante diacono ſuper populum cum inclinatione capitis.* Igitur hic dies pœ- *Ibid.*

pœnitentiæ est auspicium impositis capiti cineribus.

Quadragesima autem proprie a dominica sequenti orditur, ut habet opus sub nomine ALCUINI : *Quadragesima incipit a sequenti dominica post quinquagesimam, & finitur quarta feria ante pascha Domini.* Et ideo S. LEO de collecta primi sabbati quadragesimæ dicit : *Hodiernam festivitatem sequitur, ut nostis, solemne jejunium, quod animis, corporibusque curandis salubriter institutum devota nobis est observantia celebrandum.* Tempore Micrologi, id est, IVONIS Carnotensis, fideles singulis diebus dominicis quadragesimæ communicabant. Idemque ibidem testatur, jam tunc a dominica passionis usque ad pascha *Gloria Patri*, post responsorium *Venite exultemus* omissum. Quod in statutis Cassinensibus demum die palmarum fieri dicitur, & sequenti die lunæ demum crux tegi, luctus magis magisque commonstrari solet, ac pietatis operibus, jejunioque impensius vacari, ac secessui etiam sacro jam olim, ut ex EUSEBIO conjicitur : „ Quid (inquit) præterea hic attinet commemorare cœtus & virorum, & mulierum degentium studia, & exercitationes, quæ apud nos etiam in usu sunt ; præcipue circa festum dominicæ passionis, quo tempore jejuniis, atque vigiliis, & sacrorum librorum lectioni impensius vacare consuevimus. „ Nisi forte hæc de ultima tantum hebdomada intelligi debere videantur, quam majorem dici jam S. CHRYSOSTOMUS notavit, ob magna mysteria, ac miracula a Domino in illa transacta, commemoratque eam solere fideles transigere majore pietate, jejunia prolongando, & vigilias &c. unde etiam principes ea integra quasvis negotiationes prohibeant,

Serm. 76.

c. 50. 51.

Mab. T. IV. analect. p. 454

L. II. hist. eccl. c. 17.

Hom. in psal. 145.

beant, & forensem clausam velint curiam. Apud AMALARIUM, & alios rerum ecclesiasticarum scriptores etiam vocatur authentica, auspicata solemnitate palmarum, in qua fit processio cum ramis arborum benedictis. Cujus jam S. CYRILLUS HIEROSOL. meminit: *Palma*, inquit, *quæ est in valle, testatur, ramos exhibens his, qui tunc benedicunt.* Ab hac die usque ad sabbatum sanctum campanæ sonus omittebatur olim juxta ritum Cassinensem paulo ante designatum. Hymnum *Gloria, laus & honor &c.* a THEODULPHO Aurelianensi compositum, cum esset in carcere, LUPUS Ferrariensis testatur. *Catech. X.* *Ep. 20.*

Quoad tres postremos dies maxime solemnes in sacramentariis Gelasiano, Gregoriano, ordinibus Romanis, & aliis libris ritualibus variæ referuntur sacræ cæremoniæ incipiendo a die cœnæ Domini, quem natalem calicis vocabant jam PASCHASIUS RATBERTUS, AMALARIUS &c. ob sacramenti eucharistiæ institutionem, communionemque fidelium post factam pœnitentium reconciliationem. Quæ communio sequenti etiam die, & sabbato sancto multis in ecclesiis fiebat, at tantum ex præsanctificatis, licet teste INNOCENTIO, *Traditio ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Ex vita S. UDALRICI Augustani constat, adhuc sæculo decimo morem fuisse fidelibus, iis diebus communionem sumendi. Dudum vero antea in concilio Toletano IV. contrarius maxime mos est proscriptus, ut die parasceves, nec quidem ad ecclesiam accederetur ad agendum divinum officium, clausis januis. In oriente cum præter sabbatum, & dominicam in tota Quadragesima missa præsanctificatorum celebretur, neutiquam tamen in para- *De corp. & sang. c. 15.* *Ep. ad Decent.* *T. VII. act. Bened. p. 426.* *Can. 7.*

parasceve, ubi nec celebrans quidem communicat teste D. de MOLEON in itin. suo lit. *p.* 446. Sequens sabbatum celebre semper fuit, etiam ad pascha revocatum, unde de eo mox plura.

§. LXXXVII.

De paschate.

Celeberrima semper in ecclesia fuit paschalis solemnitas, in memoriam dominicæ resurrectionis sanctissime celebrata; meritoque una eademque die dominica, post lunam decimam quartam pascha Judæorum, fieri per totam ecclesiam curata.

Quemadmodum solemni paschatis festo Judæi exitum suum ex Ægypto celebrabant, qui fuit typus liberationis nostræ e servitute peccati, ita in ecclesia festivitate paschatis, quam S. GREGORIUS NAZ. vocat festivitatem festivitatum, completum redemtionis illius nostræ opus celebratur, ac liberatio nostra in resurrectione CHRISTI, quæ est spes resurrectionis nostræ. *Si enim*, inquit apostolus, *CHRISTUS non surrexit, inanis est spes nostra. Propterea enim*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, Judæorum cum nostro comparans paschate, *nunc comedunt accincti, & calceati, ut, si rogentur dicant: Eramus parati ad iter, & eramus exituri ex Ægypto in terram promissionis. Secundum historiam hoc quidem est typus. Hæc autem veritas. Nos quoque pascha comedimus, nempe CHRISTUM.* Pascha enim nostrum immolatus est CHRISTUS, *inquit. Ergo nos quoque pascha comedimus, legali longe præstantius. Itaque & calceati, & succincti comedamus oportet. Quare? Ut nos quoque simus parati ad exitum, & ad peregrina-*

Hom. 22. in cap. 6. ad Eph.

grinationem hinc futuram. Nemo ex iis, qui hoc pascha comedunt, aspiciat ad Ægyptum sed ad cœlum, ad supernam Jerusalem. . . . Duo autem tacite significat, & oportere egredi ex Ægypto, & manentes quasi in aliena terra manere; Nostra enim, *inquit*, conversatio est in cœlis; *& tota vita semper esse paratos, ut vocati non differant, sed dicant:* Paratum est cor nostrum. *Sed poterat hæc dicere PAULUS qui sibi nihil erat conscius; ego autem non possum dicere, qui multo tempore opus habeo ad pœnitentiam.* Hactenus vidimus, quomodo omnia providentissime ordinante ecclesia, per luctum, & jejunium, passionisque dominicæ mysterium ad sacrum pascha præparentur fideles, præsertim autem proxima illa ante pascha hebdomada. *Porro*, inquit S. EPIPHANIUS, piam sui ævi praxin enarrans, *quadragesimam ante septem dies sancti paschatis, similiter servare solet eadem ecclesia, in jejuniis perseverans, dominicis vero omnino non, neque in ipsa Quadragesima. Cæterum per sex dies ipsius paschatis, omnes populi in siccorum esu perseverant, pane inquam, & sale, & aqua vescentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas, & triplas, & quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomadam usque ad gallicinium dominicæ illucescentis, vigilias autem agunt per sex. Rursus vero communiones perficiunt per easdem sex dies, & totam Quadragesimam a nona usque ad vesperam. In quibusdam vero locis quintam solum illucescentem vigilant in prosabbatum, ac dominicam. In aliis vero locis cultus divinus dispensationis mysterii in quinta fit, hora nona, & sic cessat, permanentibus ipsis in eodem siccorum esu. In aliis rursus locis non fit cultus divinus dispensationis*

De hæres. circa finem.

tionis mysterii, nisi solum illucescente dominica, quando ipsos dimittit circa gallicinium in resurrectionis die, ac festivitate, magna illa paschatis die, velut statutum est. Vides quomodo omnia ad solemnitatem paschatis referantur sive integra Quadragesima, sive ultima magna illa hebdomada, sive vigilia illa consideretur, de qua superius diximus, in paschatis diem illucescens, quam nos hodie solemus sabbato sancto celebrare. Quæ quidem dies, ut optime totus ordo ex sacramentario Gelasiano declarat in divino officio est transacta a meridiei hora, seu, ut ibi vocatur,

p. 77. *octava hora diei mediante procedunt ad ecclesiam, & ingrediuntur in sacrarium, & induunt se vestimentis, sicut mos est. Et incipit clerus letaniam, & procedit sacerdos de sacrario cum ordinibus sacris. Veniunt ante altare stantes inclinato capite usque dum dicent:* Agnus DEI &c. *Deinde surgens sacerdos ab oratione vadit retro altare, sedens in sede sua. Deinde veniens archidiaconus ante altare, accipiens de lumine, quod sexta feria absconsum fuit, faciens crucem super cereum, & inluminans eum: & completur ab ipso benedictio cerei.* Hujus benedictionis, ejusque

Can. 8. mysterii in concilio Toletano IV. fit mentio, etsi necdum ubique usitatæ: *Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hac benedicimus, ut S. resurrectionis CHRISTI mysterium in benedictione sancti lumi-*

T. IV. act. p. 473. *nis suscipiamus.* BERNARDUS monachus apud MABILLONIUM in itinere suo terræ sanctæ refert, quod dum Kyrie eleyson caneretur in ecclesia Hierosolymitana, angelus lampades succenderit circa sepulchrum dominicum, unde clerus, & fidelis populus ad usum illius noctis necessaria lumina succendebant. Ejus-

Ejusdem miraculi fit mentio apud RADULPH.
GLABRUM, & in chronico LEONIS Ostiensis L. 4. c. 6.
apud GUILIELMUM Malmesbur. & alios apud L. 3. c. 3.
DACHERIUM, & MABILLONIUM. Teste L. 4.
AMALARIO sabbato sancto non dicebatur mis- T. 9. & 10
sa, sed in sequentem noctem differebatur. Quod spicil.
S. HIERONYMUS ad traditionem apostolicam T. I. Mus.
refert, ne in vigilia paschatis ante mediam Ital. p. 210
noctem populus dimitteretur. In sacramenta- de div. of-
rio Gelasiano habetur: *Et ingrediuntur ad* fic. c. 16.
missas in vigilia, ut stella in cælo apparuerit. p. 82.

Quodsi ea celebrandi paschatis ratio ubique olim obtinuit, lux affundi queat vexatæ circa quartodecimanos quæstioni, an nimirum luna decima passionis, an resurrectionis CHRISTI memoriam, an in jejunio, an soluto jejunio pascha celebraverint: cum paschæ nomen utroque modo apud veteres sumeretur: fueruntque qui putarent, ut apud TILMONTIUM videre est, qui nonnullos saltem ex quartodecimanis luna decima quarta passionem, postea vero luna decima sexta resurrectionem celebrasse existiment. Sed quæ erat festorum illis temporibus ratio, ut vigiliæ in jejunio transigerentur, quod ipsa solemnitate solvebatur, hocque accidisse hic vix dubitandum est, ut lætitia paschalis in memoriam resurrectionis dominicæ celebraretur in die dominica, quæ inde ab apostolicis temporibus CHRISTI resurrectioni erat dicata. Expresseque S. ANA- *De cyclis.*
TOLIUS sæculi tertii scriptor apud BUCHE- p. 444.
RIUM id in quartodecimanis antiquissimis notat. *Quorum*, inquit, *exemplum sequentes usque hodie omnes Asiæ episcopi, indubitanter omnibus annis, quando XIV. luna adfuisset, & agnus apud Judæos immolaretur, æquinoctio transvadato pascha celebrabant. Non acquiescentes auctoritati quorundam*, *id*

est, *PETRI & PAULI successorum*, *qui omnes ecclesias*, *in quibus spiritualia evangelii semina severunt*, *solemnitatem resurrectionis Domini in die tantum dominica posse celebrari docuerunt.* Erat ergo hæc primaria ratio, cur tantopere ecclesia egerit, ut proxima post lunam decimam quartam dominica pascha in memoriam resurrectionis dominicæ celebraretur.

Tum etiam cura singularis semper fuit ecclesiæ, ut conformiter ubique tanta ageretur solemnitas. Unde in concilio Arelatensi I. mox canone primo de paschate statuitur: *Ut uno die*, *& uno tempore per omnem orbem a nobis observetur*, *& juxta consuetudinem ad omnes tu dirigas.* Nimirum hoc injunctum fuit Romanæ ecclesiæ antistiti, in qua semper id in vigore erat, contendentibus etiam prioribus pontificibus imprimis VICTORE, ut omnes in eandem observantiam convenirent ecclesiæ. Quod postea in concilio Nicæno generali fuit constitutum unanimi patrum auctoritate, CONSTANTINO etiam imperatore in id elaborante sedulo: cum sæpe contingeret tribus differentibus diebus paschæ solemnitatem agi teste EPIPHANIO, non solum privata usurpatione Asiaticorum, verum etiam non satis accurata calculi computatione, aut lunæ observatione. Unde id muneris datum est præsuli Alexandrino, ubi major fuit astronomiæ in Ægypto peritia, & ob sudum cœlum facilior astrorum observatio. Nec tamen postea omnes ecclesiæ decreto illi acquieverunt, nec etiam vel hodieque omnino accuratus habetur calculus, ut nuper JAC. BETTAZIUS singulari opere demonstravit, necessitatem emendandi correctionem Gregorianam calendarii, ne aliquando iterum diversitas in celebratione paschatis, aut aberratio contingat; quam ut

Hær. 70. *c.* 9.

sustolle-

ſuſtolleret, tantopere inde ab antiquiſſimis temporibus ſtudioſiſſime egit eccleſia: voluitque DEUS etiam ſingulari revelatione eis, qui a mundo, hisque ſtudiis DEI amore ſeſe removerunt, regulam tradere, ne ordo ejus feſti turbaretur in eccleſia. *Legimus in epiſtolis Græcorum*, inquit S. BEDA, *quod poſt paſſionem apoſtolorum S. PACHOMIUS abbas in Ægypto, cum monachis ſuis in oratione a Domino rogavit, ut oſtenderet ei, quomodo paſcha deberet celebrare; & miſit Dominus per angelum ſuum ad præfatum ſanctum PACHOMIUM cyclum decennovalem.* *Lib. de argumento lunæ.* BUCHERIUS publicavit fragmentum epiſtolæ S. CYRILLI ALEX. ad S. LEONEM, ubi ſimilis caſus narratur. Agebatur de anno 444. quo nonnulli paſcha 26. Martii celebrandum voluerunt, cum in cyclo THEOPHILI Alexandr. 23. Aprilis aſſignaretur. Conſuluit eam ob rem etiam S. LEO PASCHASINUM: qui in ſua reſponſione pro 23. Aprilis etiam miraculum illud haud infrequens tunc refert, quod fontes baptiſmales divinitus aqua repleti eſſent primum eo die, non 25. Martii, quo Latini paſcha faciendum putarunt. Hac de re PROSPER in ſuo chronico ita habet: *Hoc anno* 444. *paſcha Domini IX. calendas Maji celebratum eſt, nec erratum eſt; quia inde XI. calendarum Majarum dies paſſionis fuit; ob cujus reverentiam natalis urbis Romæ ſine Circenſibus tranſiit.* Religioni ſibi ducebant Latini ultra vigeſimum primum Aprilis differre paſcha. Unde iterum fuit anno 455. mota controverſia, quo cyclus THEOPHILI ad 24. Aprilis paſcha collocabat. Cum Latini anticipandum putarent dominica præcedente die 17. Aprilis, idemque S. LEO dubius ipſum MARCIANUM imperatorem interpellavit. JU-

LIANUM item Coenſem, & S. PROTERIUM Alex. qui calculum THEOPHILI defendebat; tandemque vero ceſſit S. LEO, epiſcopisque occidentalibus 24. Aprilis paſcha indixit, crediturque ad rem accuratius determinandam VICTORIO id negotium commiſiſſe, cujus extat cyclus, a concilio etiam Aurelianenſi IV. approbatus: *Ut ſanctum paſcha ſecundum laterculum VICTORII ab omnibus ſacerdotibus uno tempore celebretur. Quæ feſtivitas annis ſingulis ab epiſcopo epiphaniorum die in eccleſia populis denuntietur.*

Can. 1.

Eſt hic cyclus 532. annorum, qualem etiam DIONYSIUS Exiguus fecit, qui poteſt dici perpetuus in ſeſe rediens. Nititur autem decennovali, quem DIONYSIUS commendat a concilio Nicæno (quod fatetur ſe ſecutum eſſe) conſecratum, uti etiam S. AMBROSIO fuit viſum: *Unde majores noſtri in tractatu concilii Nicæni Ennea-decaeteride, ſi quis diligenter intendat, ſtatuendum putarunt.* Obvenerat an. 387. eadem difficultas de luna decima quarta in dominicam incidente, exiſtimavit autem S. AMBROSIUS differendum juxta cyclum Alexandr. in proximam dominicam diem 25. Aprilis, ne cum Judæis paſcha unquam ageretur. Hoc contra Quartodecimanos propoſitum fuerat pontificibus Romanis priorum ſæculorum, ac poſtea concilio Nicæno, quod decretum in concilio Antiocheno paulo poſt mox canone primo eſt firmatum, excommunicationis lata contra prævaricatores ſententia. Nihilominus adhuc invehitur S. CHRYSOSTOMUS contra quosdam Antiochenorum calculum Judæorum ſequentes. Unde accideret, ut in eadem urbe diverſitas in celebrando paſchate eſſet, cogerenturque alii eo die jejunare, & a ſuo paſtore ſeparari in ſacro conventu.

Apud Bucher. de cyclis. p. 485.
De paſch.
Hom. 3. contra Jud.

Quod

Hoc alterum erat ab ecclesia intentum in figendo paschatis die, ne varietas in tanta solemnitate esset. Unde decretum fuit, ut episcopus Alexandrinus illud mature per orientem, ac etiam pontifici Romano denunciaret, qui idem per occidentem faceret. In conciliis Africanis statutum idem fuerat, ut omnes ab episcopo Carthaginensi tempus designatum acciperent. In concilio Toletano IV. metropolitanis id negotii datum est, ut sese, ac suos suffraganeos certiores facerent, ne ob varietatem tabularum, ac cyclorum diversitas obtingeret. Quale exemplum GREGORIUS TURON. ad annum 595. refert: ubi ad verum diem aquas sacræ piscinæ in Hispania miraculose inundasse memorat. Erant etiam adhuc, qui cum Judæis pascha celebrandum putarent in Irrlandia sæculo VII. ut ex concilio Streneshalensi colligitur (alibique de S. COLUMBANO retulimus) COLMANNO in laudato concilio usum illum acriter defendente.

T. 2. conc. p. 1068. 1073. 1180 T. 4. 1639. Can. 5. Lib. X. hist. Franc.

§. LXXXVIII.

De ascensione Domini, & antecedentibus litaniis.

Ante ascensionis dominicæ festivitatem, ab apostolica traditione acceptam, Rogationum dies a S. MAMERTO publica in calamitate pro sua primum instituti ecclesia, & per Gallias adoptati, mox ubique celebrari in ecclesia cœperunt.

Quamquam integrum illud pentecostes seu 50. dierum a paschate tempus, imprimis autem ipsa paschatis hebdomada cum dominica *Quasi modo* ac pascha etiam *añotinum* anniversarium prioris anni singulari celebritate ageretur in ecclesia,

clesia, inter præcipuas tamen semper fuit habita, & solemniter eo intervallo celebrata festivitas ascensionis dominicæ: cujus mentio fit in apostolicis constitutionibus, eamque inter alias ab apostolis institutas commemorat S. AUGUSTINUS.

Ep. 54. ad Januar.

Eam hodie proxime præcedunt tres rogationum dies, quos a S. MAMERTO esse institutos in ecclesia Viennensi SIDON. APOLLINARIS, & AVITUS Vienn. testantur. Qui mox salutarem morem illum adoptarunt. Extatque SIDONII invitatoria ad solemnitatem istam in ecclesia sua Claromontana institutam, ac homiliæ S. AVITI, post HESYCHIUM successoris S. MAMERTI, ubi inter alia testatur: *Currit quidem tramite vitali non per Gallias tantummodo, sed pene per orbem totum rogationalis observantiæ flumen irriguum, & infectam vitiis terram uberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat.* Et S. CÆSARIUS ARELATENSIS sermone primo de Rogationibus, *In istis*, inquit, *tribus diebus quos regulariter in toto mundo celebrat ecclesia, nullus se a sancto conventu subducat.* Et sermone sequenti: *Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus jejunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non requirit.* In concilio Aurelianensi I. an. 511. statuitur: *Rogationes, id est, litanias ante ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari: ita ut præmissum triduanum jejunium in dominicæ ascensionis festivitate solvatur, per quod triduum servi, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Qui canon iisdem verbis iteratur in concilio Epaonensi *can.* 27. Decreta

L. I. ep. 7.

L. V. ep. 14.

Hom. 2. de Rogat.

Serm. 47.

Serm. 48.

Can. 29.

creta hæc quin saltem a Gallicana ecclesia sint recepta, dubitare non licet. In Hispania tamen non ita cito rogationes adoptatas esse ex silentio S. ISIDORI in libris de divinis officiis constat. Et de LEONE III. testatur ANASTASIUS; *Constituit, ut ante tres dies ascensionis dominicæ litaniæ celebrentur.* In ordine Romano ab HITTORPIO edito ita habetur sub rubro *de litania minore: Tres autem dies rogationum, qui celebrantur ante ascensionem Domini juxta morem Gallicanæ ecclesiæ constituit S. MAMERTUS Viennens. episcopus, ob incursionem scilicet malarum bestiarum, quæ tunc temporis gravissime afficiebant populum Domini. Quæ consuetudo apud nos usq; hodie pro diversis calamitatibus devotissime recolitur.* p. 81.

Proxime præcedit *ordo in litania majore*, in festo scilicet S. MARCI, hodieque post pascha solemni: *Romana consuetudo unum diem, id est, 7. calendas Maji interponit, quem vocat litaniam majorem, non in jejunio. Litania autem Græce, Latine rogatio dicitur, inde & rogationes. Potest enim serena mens. & aliena a voluntate mala, precari DEUM, quamvis manducet sobrie. Hanc autem legimus statutam esse a S. GREGORIO propter imminentem cœlestis iræ mucronem.* Videtur tamen altiorem originem innuere S. GREGORIUS in principio libri II. regesti. „Solemnitas annuæ devotionis nos, fratres charissimi, „admonet, ut litaniam, quæ major ab omnibus „appellatur, sollicitis, ac devotis debeamus, „auxiliante DEO, mentibus celebrare." Singulare est, quod in concilio Lugdunensi an. 566. statuitur: *Ut in prima hebdomada noni mensis, hoc est, ante diem dominicam, quæ prima in ipso mense illuxerit, litaniæ, sicut ante ascensionem Domini sancti patres fieri de-* Can. 6.

creverunt, *deinceps ab omnibus ecclesiis*, *seu parochiis*, *celebrentur*.

§. LXXXIX.

De Pente-coste. Pentecostes dies, quo Spiritus sanctus in apostolos est illapsus, eadem solemnitate, rituque, ac pascha, semper in ecclesia universa est celebratus.

Pentecosten veteres etiam, ut jam notavi, haud infrequenter sumebant *totos quinquaginta dies*, ut ait EPIPHANIUS, *in quibus neque genua flectuntur*, *neque jejunium imperatum est*; quod etiam μεσοπεντηκοστὴ a S. CHRYSOSTOMO dici videtur. Ipsa autem anniversaria solemnitas est dies quinquagesimus seu Pentecoste. „ Hodierni diei (inquit S. AUGU- „ STINUS) solemnitas Domini DEI magni, & „ magnæ gratiæ, quæ superfusa est super nos „ recordationem facit. Ideo enim solemnitas „ celebratur, ne, quod semel factum est, de me- „ moria deleatur. Solemnitas enim ab eo, quod „ solet in anno, nomen accepit: quomodo „ perennitas fluminis dicitur, quia non sicca- „ tur æstate, sed per totum annum fluit: ideo „ perenne, id est per annum; sic & solenne, „ quod solet in anno celebrari. Celebramus „ hodie adventum Spiritus sancti. Dominus e- „ nim Spiritum sanctum de cœlo misit, quem in „ terra promisit. „ Ita ille primum inter sex sermones in die pentecostes habitos, orditur, tertium vero: „ Adventum Spiritus S. anni- „ versaria festivitate celebramus. Huic solem- „ nis congregatio, solemnis lectio, solemnis „ sermo debetur. Illa duo persoluta sunt, quia

Ad fin. op. de haeresibus.

Serm. 267.

Serm. 269.

„ &

& frequentissimi convenistis, & cum lege- „ ritis, audistis. Reddamus & tertium: non „ desit obsequium linguæ nostræ ei, qui & lin- „ guas omnes indoctis donavit, & linguas do- „ ctorum in omnibus gentibus subjugavit, & „ diversas linguas gentium ad unitatem fidei „ congregavit. „ Quamvis autem sermones suos fere in extollenda missi super apostolos Spiritus S. gratia ac virtute consummet, id tamen etiam agit, quod in sermonibus de paschate, præsertim sermone postremo *Ad infantes ante altare de sacramento*, quia pariter ac in paschate sacramenta participabant recens baptizati, ita exorsus: „ Hoc, quod videtis „ *Serm.* in altari DEI, etiam transacta nocte vidistis: „ 272. sed quid esset, quod sibi vellet, quam ma- „ gnæ rei sacramentum contineret, nondum „ audistis. „ Unde constat, noctem pentecostes eadem ac paschatis solemnitate transactam fuisse. Qua de re dubii fuerunt Corbejenses monachi ADRIANUM papam primum interrogantes, qua hora in sabbato pentecostes conveniens sit ad lectionum officium ingredi, responsum tulerunt, hora sexta hoc fieri oportere. Talis hora præscribitur etiam in sabbato sancto in ordine Romano a MABILLONIO vul- *Muf. Ital.* gato. Et tamen apud HITTORPIUM hora o- *T. II. p.* ctava præscribi videtur, qua paulo ante vidi- 103. mus officium sacræ paschalis noctis incœpisse: *p.* 82. *Sabbato in vigiliis pentecostes omnes jejunium faciunt, & omne divinum officium vel ordinem, tam lectiones, quam & baptismum sicut in sabbato sancto vigiliarum paschæ. Tantum hora octava ingrediuntur ad vigilias, vel missarum solemnia, ut hora nona expleta, omnia consummentur.* Sed videtur MARTE- *De ant.* NIO intelligendum præcipue de tempore, quo *eccl. disci-* missarum solemnia sunt celebranda: *Alioquin plin. c.* 28. *p.* 540.

si hora, inquit, *dumtaxat octava lectiones inciperentur*, *intra tam breve temporis spacium lectiones ipsæ*, *orationes*, *litaniæ*, *fontium benedictio*, *baptismus ipse cum missa absolvi non possent*, *ut hora nona omnia consummarentur.* Sed si antiquus ritus spectetur in ecclesia etiam Romana, ut antea ex sacramentario Gelasiano notavi, missæ vigiliarum tardius poni debent, si eodem modo nox pentecostes ac paschatis fuit celebrata: quod in eodem ordine Romano ab HITTORPIO edito notatur. Quoad solemnitatem autem ipsam pentecostes pariter cum solemnitatibus aliis Domini ad traditionem apostolicam ab universa ecclesia susceptam S. AUGUSTINUS revocat: *Sicuti quod Domini passio*, *& resurrectio*, *& ascensio in cœlum*, *& adventus de cœlo Spiritus S. anniversaria solemnitate celebrantur.* Quemadmodum paschatis, ita etiam pentecostes denominationem ac veluti perennationem a Judæis acceperunt apostoli non more Judaico, aut lege cæremoniali celebrandorum. S. CHRYSOSTOMUS illud Actuum XX. 16. expendens: *Proposuerat enim PAULUS transnavigare Ephesum*, *ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim*, *si possibile sibi esset*, *ut diem pentecostes faceret Jerosolymis.* Cum tamen adhuc celebraretur tunc Hierosolymis legale pentecostes festum: „ Vides (inquit) ut ille dicebat, Ne observetis „ dies, & menses, & tempora diem pentecostes „ observaret? Neque vero diem tantum obser„ vabat, sed etiam locum: non enim solum „ pentecostes diem ut ageret festinabat, sed e„ tiam ut eam Jerosolymis celebraret. „ Putat autem eadem œconomia id egisse, qua TIMOTHEUM circumcidit. „ Accepit enim (paulo „ post ait) & TIMOTHEUS circumcisionem,

Ep. 54. n. 1.

T. III. p. 85.

„ ut

ut a Judæis posset admitti, & ingressus illos „ sensim ab hac observatione abduceret. Vides „ qua de causa & pentecosten, & circumcisio- „ nem PAULUS observaret. „ Inquirens ea in homilia, cujus rei gratia legantur acta apostolorum in pentecoste, rationem pulcherrimam reddit, quod post diem illum, & adventum, Spiritus sancti, ejus opera, ac virtute sua miracula ediderint. „ Videtis (inquit) exactam „ demonstrationem allatam, ut constet, qua- „ draginta diebus in terris CHRISTUM esse „ versatum, nec ullum ab apostolis miraculum „ esse patratum? Quomodo enim miracula pa- „ trare potuissent, cum necdum sancti, ac vi- „ vifici Spiritus gratiam accepissent?... Si „ enim tum facere cœperunt apostoli, hoc est, „ post Domini resurrectionem, tum etiam hunc „ legi librum oportebat. Nam quemadmodum „ ea, quæ ad crucem pertinent, in die legimus „ crucis, & in resurrectione item, & in singulis „ festis, quæ in singulis acciderunt, iterum le- „ gimus: sic & miracula apostolica in aposto- „ licorum miraculorum diebus legi. „ *Ib. p. 89.*

§. XC.

Octava pentecostes serius festo SS. Trinitatis est deputata, & proxima feria V. solemnitati corporis CHRISTI, quæ maxima hodie celebritate agitur supra alia Domini festa, quæ inter etiam a multis sæculis festa sacræ crucis, & nonnulla alia habentur. De festis SS. Trinitatis, Corporis Christi &c.

IVO Carnotensis celebris micrologus non solum testis est, Romæ festum SS. Trinitatis non fuisse ad initium sæculi undecimi celebra- *c. 60.*

 tum

tum in dominica proxima post pentecosten; sed etiam improbat, quod singulari die id ageretur, cum singulis dominicis, ac etiam diebus mysterium illud celebretur. Ubi refert decretum ALEXANDRI II. quod sub tertii nomine refertur in decretalibus GREGORII IX. *Præterea festivitas sanctæ Trinitatis, secundum consuetudines diversarum regionum, a quibusdam consuevit in octavis pentecostes, ab aliis in dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem: cum singulis diebus*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, *& cætera similia dicantur in laudem pertinentia Trinitatis.* BERNO abbas Augiensis similiter festum illud improbat, quemadmodum IVO Carnotensis; cum tamen MARTENIUS in sacramentario Carnotensi S. PETRI annorum 700. missam integram repererit de SS. Trinitate, & in aliis adhuc vetustioribus. Qui etiam ex JOANNE Abrincensi in libello de officiis ecclesiasticis docet, quomodo jam olim festum illud sit celebratum: *Proxima dominica cum novem psalmis, & antiphonis, cum novem lectionibus, & responsoriis celebretur in honore sanctæ Trinitatis eadem celsitudine, qua dies ascensionis.* RUPERTUS Tuitiensis, cur proxima post pentecosten celebretur festum istud dominica, hanc optimam reddit rationem, quod apostoli post ascensum Spiritus sancti in mundum universum ierint, prædicaturi mysterii illius fidem.

L. II. tit. 9. de feriis cap. 2.

De missa cap. 3.

Lib. II. de offic. div.

Majori solemnitate celebratur festum Corporis CHRISTI feria post festum S. Trinitatis quinta: cum, ex quo BERENGARIUS eucharistiæ dignitatem deprimeret impio dogmate, reverentiam auxerit ecclesia erga augustissi-

gustissimum sacramentum publica ejusdem expositione extra sacrificium, ac benedictione fidelibus impertienda, circumgestatione item in solemni processione, quæ tum alias, cum maxima hodie solemnitate in festo corporis CHRISTI fiunt. Quod in Leodiensi primum ecclesia institutum est hortante potissimum beata tunc virgine JULIANA. Quare cum postea JACOBUS de Trecis ecclesiæ Leodiensis archidiaconus summus pontifex esset renunciatus, dictus URBANUS IV. pietatem, quam in matre sua Leodiensi ecclesia hausit, in arce ecclesiæ constitutus exercuit, instituto eo festo an. 1264. Quamvis monumenta non doceant eorum temporum, an etiam solemnem in publicis supplicationibus circumgestationem ordinarit. Refert vero GUALVANEUS FLAMMA de rebus gest. VICECOM. ad an. 1336. *JOANNES Vicecomes Novariensis episcopus, & ecclesiæ Mediolanensis conservator, festum de Corpore CHRISTI celebrari ordinavit. Ibi fuit universus clerus, & quædam mirabilis processio religiosorum, qualem Roma sibi ipsi relicta facere non potuisset.* Eodem ineunte sæculo decimo quarto an. 1311. CLEMENS V. in concilio generali Viennensi confirmavit bullam URBANI IV. de solemnitate Corporis CHRISTI assignato pro ea feria quinta post octavam pentecostes. Singulari divina providentia factum fuit, ut cum reverentiam, & adorationem eucharistiæ illi etiam essent repudiaturi, qui realem admittunt præsentiam Lutherani inquam, Zwinglianis, & Calvinistis prorsus negantibus, major & splendidior fieret cultus præsertim in solemnitate Corporis CHRISTI, qua olim præsens CAROLUS V. imperator in comitiis imperii cum principibus, jam quibusdam etiam ex præcipuis electoribus hæresi imbutis,

Apud Murat. T. XII. rer. Ital.

butis, non destitit, quin publica in supplicatione sua, comitando imperatorem, obirent munera, ornarentque processionem.

Hæc de præcipuis festis Domini, ut vocantur, pro his theologiæ liturgicæ principiis: ne quid de aliis non adeo solemnibus, aut recentioribus etiam dicam, e. g. sacræ crucis, a quo tempore inventa illa in honore ac memoria fuit habita, de qua festum tum inventionis, cum exaltationis in vetustissimis reperitur sacramentariis GELASII, GREGORII, Gothico, ac Gallicano, & aliis, quamvis de eorum celebritate non tam multa in antiquis monumentis occurrant, uti etiam si quæ alia sint ejusmodi sacræ lanceæ, transfigurationis &c. festa.

§. XCI.

De festis B. M. V.

Quemadmodum cultus B. V. MARIÆ, ita etiam festa in ejus honorem magis magisque celebriora, frequentioraque fuerunt, posteaquam ejus dignitas ab hæreticis lacessebatur, futurumque erat, ut cultus prorsus negaretur ab hæreticis.

Quamvis, ut suo loco ostendimus, præcipuus semper honor, ac veneratio erga DEIparam virginem haberetur; quoniam tamen templa tantum erigebantur, ac memoriæ sanctis martyribus, ubi aut passi, aut sepulti fuerant, mirum videri non debet, si minus in primitiva ecclesia creber ejusmodi cultus impensus habeatur, quando ignotus fuisse videtur, aut dubius saltem locus mortis, & sepulturæ illius. BARONIUS, licet mortem ipsius Hierosolymis factam, ibique ejus sepulchrum fuisse putet, occul-

Ad an. 48. §. 18. 19.

occultum tamen manſiſſe fateri cogitur, cum neque S. EPIPHANIUS, neque S. HIERONYMUS, aut alius quispiam eorum temporum auctor, quidquam de eo memorent uſque ad JUVENALEM patriarcham, de quo ex EUTHYMIO hiſtorico citat JOANNES DAMASC. hiſtoriam de reperto ſepulchro; quamquam S. LEO P. ad eundem an. 454. ſcribens ad monumenta ſingula veritatis corporis CHRISTI ſepulchrum, crucem, loca ſacra &c. provocans, de ſepulchro B. V. M. nihil dicat, quod tamen debuiſſet celebre tunc fuiſſe, divinitus paulo ante proditum. Jam dixi patres Epheſinos an. 431. reſpicere videri ad ſepulchrum, & locum, urbem nimirum Epheſum, in qua cum JOANNE ſit B. V. MARIA in eccleſia: *In qua theologus JOANNES, & DEI genitrix virgo ſancta MARIA.* In eo concilio habitus eſt ſermo a S. CYRILLO ALEX. (*T. III. conc. p.* 584.) quo ſe congregatos omnes dicit ob DEI genitricem virginem: quod feſtum utique aliquod illius celebratum indicat, in quali etiam feſto S. PROCLUS (*T. III. conc. p.* 9.) celebrem in præſentia ipſius NESTORII habuit de B. V. ſermonem in magna eccleſia Cpolitana, ubi in laudes DEIparæ magnifice excurrit, uti fieri ſolet in celebritatibus & feſtis ſanctorum. At omnium luculentiſſimum eſt laudati CYRILLI teſtimonium in ipſa inſcriptione, & exordio illius ſermonis, ubi feſti ſimul, ob quod congregatio facta fuerit, & in quo loco, habetur mentio, ſic vero inſcribitur: *Ejusdem CYRILLI homilia Epheſi in NESTORIUM habita, quando ſeptem ad ſanctam MARIAM deſcenderunt.* Incipit autem: *Sanctorum cœtum, qui a ſancta, & DEIpara ſemperque virgine MARIA invitati promto animo huc confluxerunt, lætum erectumque*

Ἔνθα ὁ θεολόγος Ἰωάννης, καὶ ἡ θεοτόκος παρθένος ἡ ἁγία Μαρία.

com-

conspicio. Quare licet multa premeret mœstitia, attamen hic sanctorum conspectus lætitiam mihi præbuit. Nunc dulce illud hymnographi DAVIDIS verbum apud nos impletum est: Ecce jam quid bonum, aut quid jucundum, nisi habitare fratres in unum? Salve itaque a nobis sancta mystica Trinitas, quæ nos omnes in hanc MARIÆ DEIparæ ecclesiam convocasti. Salve a nobis DEIpara MARIA, venerandus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile. S. PROCLI homilia ita orditur: *Virginea panegyris, frequensque ac celebris hic conventus, fratres, festa hac luce linguam ad laudem provocat; præsensque solennitas præsenti cœtui utilitatis rationem optimo jure conciliat. Continet enim castimoniæ sanctitatisque materiam, justamque fœminei generis gloriationem.*

T. I. mem. p. 477. b. TILMONTIUS antiquissimum hoc festum B. M. V. esse judicat. Quod statui potest, etsi festum, quod hodie purificationis B. V. nominamus, inter festa B. V. referamus, olim a Græcis *Hypapante* seu occursus Domini nuncupatum. De eo quidem habentur S. METHODII M. qui floruit ad finem sæculi tertii, & S. CYRILLI Hier. homiliæ, quæ tamen supposititiæ jure censentur. Illud primum institutum probat P. TOUTTEUS ex CYRILLO Scithopolitano tempore concilii Chalcedonensis an. 430. celebrati. Nec obest, quod sermo S. PROCLI habitus sit an. 428. aut 429. juxta calculum TILMONTII, qui sermonem illum habitum, seu festum paulo post nativitatem Domini celebratum fuisse conjicit. Congruit enim hoc festo depositionis seu assumtionis B. V. Quod olim celebratum probat MABILLONIUS 18. Januarii ex variis calendariis, missali

In admon. ad homil. de occurs. Domini apud S. Cyr. p. 360.

missali Gothico, ipsoque GREGORIO Turonensi, qui festivitatem B. V. mediante mense undecimo celebratam esse dicit, juxta morem a Martio in Galliis annum auspicandi. Quo demum tempore a MAURITIO imperatore in mensem Augustum translatum vult FLORENTINUS juxta NICEPHORUM: cum tamen in sacramentario Gelasiano jam ad 15. Augusti missa de assumtione B. V. habeatur. Quo die hodieque celebratur, pia multorum sæculorum persuasione de B. V. resurrectione, ac unacum corpore post triduum mortis, seu ut alii volunt, post dies 40. in cœlum assumtione. HILDEBERTUS sermone 59. in assumtione B. V. multis probare nititur, beatam Virginem & animæ beatitudinem, & glorificationem corporis esse adeptam. Eamque etiam ecclesiæ mentem ex officio solemni, præsertim autem oratione festi alia, quam sit hodie, probat: *Hodierna*, inquit, *clamat oratio: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c.* S. JO. DAMASCENUS ex antiqua traditione, & ex DIONYSIO, quem Areopagitam vocant, rei seriem jam antea enarrarat. Indeque videtur nomen festi assumtionis esse, quod olim vocabatur *dormitio*, *pausatio* κοίμησις. Item μετάστασις, *transitus*, quod antiqua phrasi magis notione respondet voci assumtionis, uti expresse apud GELASIUM explicatur, qui librum rejecit: *Qui appellatur transitus, id est, assumtio B. MARIÆ.* Adhuc sæculo VII. tamen a SERGIO I. dormitio vocatur.

De lit. Gall. L. II. p. 118.

L. XVII. c. 28.

p. 527.

Orat. 2. de dormit. Deiparæ.

T. IV. conc. p. 1264.

Is pontifex festum annunciationis, & nativitatis conjungit, quæ videntur in Hispania celebrari cœpta, uti de festo annunciationis ex concilio Toletano X. quod sæculo VII. habitum fuit, constat: quando octo diebus ante nativi-

Can. 1.

Can. 1. tivitatem Domini fuit celebratum, quo die adhuc in ecclesia Toletana, & alibi in honorem B. V. festum celebratur sub nomine exspectationis partus B. V. & nihilominus in ecclesia etiam Toletana festum annuntiationis 25. Martii solemniter agitur, quamvis olim maxima celebritate agi id voluerit: *Ante octavum diem quo natus est Dominus*, ut habetur citato in concilio, *genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & praclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas; ita festivitatem matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod est festum matris, nisi Incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet esse solemne, sicut est ejusdem nativitas Verbi.* In oriente autem celebratum id festum in Martio constat ex concilio Trullano Quini-sexto, quod illud recoli permittit, & incruento sacrificio gaudere jubet, quamcunque tandem in diem incidat. Ex apologia ABBONIS Floriacensis discimus, perversam fuisse quorumdam persuasionem, mundum consummandum, quando festum annunciationis in diem parasceves incidit, quam eventus frustravit an. 992.

Apud Pithaeum cod. can. p. 401.

L. II. de festis.

Falso THOMASINUS putavit, festum nativitatis B. V. sæculo demum nono institutum esse, ac primum a FULBERTO commemoratum (cujus tres habentur in eo die habiti sermones) habetur in contrarium SERGII I. auctoritas, sacramentarium GELASII, & GREGORII M. præter alia a MARTENIO allata. Ne quid dicam de S. ILDEPHONSO, cujus dubius est liber de virginitate: cui tamen festi conceptionis B. V. institutio tribuitur in ejus vita, favitque S. ANSELMUS, ut constat ex concilio Londinensi an. 1328. Adversatus est autem S. BERNARDUS cum in ecclesia Lugdu-

De antiq. eccl. disc. p. 34.

Vid. ep. 174.

Lugdunensi institueretur, maxime quod inconsulto Romano pontifice instituissent canonici Lugdunenses: cum revera Romæ nedum tempore S. THOMÆ AQUIN. celebraretur, dudum antea solemne in oriente, uti constat ex constitutione MANUELIS COMNENI circa annum 1150. a THEODORO BALSAMO relata in Nomocanone PHOTII. Integro antea sæculo in concilio Moguntino an. 1049. ejus institutio in occidente habetur. *Tit. VII. c. 1.*

In laudata constitutione MANUELIS apparet etiam festum præsentationis B. V. quod in occidente ante annum 1372. quo Avinione celebrari cœptum, non reperit THOMASINUS.

In vetustioribus sacramentorum libris notavit MARTENIUS consignatum natale S. MARIÆ ad martyres, seu dedicatio ecclesiæ B. M. ad martyres. Quod festum instituisse dicitur BONIFACIUS IV. converso Romæ Pantheo in ecclesiam B. MARIÆ, & omnium martyrum, deinceps in festum omnium Sanctorum extensum. *c. 32.*

Idem festum visitationis B V. ab URBANO VI. institutum memorat, & a BONIFACIO IX. promulgatum, atque a concilio Basileensi sess. 43. decreto 33. confirmatum. Causa institutionis hujus solemnitatis repeti debet ex occasione urgentis schismatis, ad quod componendum URBANUS DEI genitricis opem propensius implorandam esse censuit an. 1389. *c. 33.*

Eodem sæculo celebre evasit festum præsentationis B. V. agente potissimum CAROLO V. rege Francorum, cujus eam in rem extat epistola ad doctores Navarrensis collegii Parisiensis a LAUNOJO in historia ejus collegii relata. *L. I. c. 10.*

Peculiares fuerunt causæ instituendorum, aut ampliandorum successu temporis festorum

quorumdam B. V. redemtionis captivorum, nominis B.M.V. ſolemnis commemorationis B.V. de monte Carmelo, ac ſacri roſarii: quorum illuſtris eſt memoria ob confraternitates fidelium noſtris temporibus ampliſſimas. Feſtum ad nives eſt dedicatio celeberrimæ eccleſiæ Romanæ S. MARIÆ majoris, quæ ſub LIBERIO facta dicitur in libro pontificum juxta macellum LIBIÆ ſeu LIVIÆ, unde & baſilica LIVIÆ primitus appellata ſub SIXTO III. novum nacta ſplendorem.

§. XCII.

De feſtis Sanctorum.

Quoniam temporibus perſecutionum celebrior fuit martyrum triumphus, eorum certatim ſunt feſta celebrata, aliis deinceps inſtitutis angelorum, ac ſanctorum tam ſingulariter, quam etiam generaliter ſanctorum apoſtolorum, martyrum, & omnium ſanctorum.

Serm. 8. de MM.

Rememoranda ſunt, quæ in hanc rem obſervavimus de cultu ſanctorum agentes, qui præcipue in anniverſaria celebritate feſtorum agebatur ſemper publicis eccleſiæ conventibus, pio cultu impio idolorum ſubſtituto. „ Pro „ Pandiis enim (ut cum THEODORETO lo„ quar) Diaſiisque, ac Dionyſiis, & aliis veſtris „ PETRI & PAULI, & THOMÆ, & SERGII, „ & MARCELLI, & LEONTII, & PANTE„ LEEMONIS, & ANTONINI, & MAURITII, „ aliorumque martyrum ſolemnitates peragun„ tur, & pro illa veteri pompa, turpique re„ rum, ac verborum obſcœnitate, modeſtæ „ cele-

celebrantur festivitates, non ebrietatem, & „ jocos, risusque exhibentes, sed divina can- „ tica, sacrorumque sermonum auditionem, & „ preces laudabilibus lacrymis ornatas. „ Quantum in hoc pium studium fidelium, ac devotio exarserit, primigenia ecclesiæ monumenta nos edocent. Sic ecclesia Smyrnensis apud EUSEBIUM de sacris reliquiis, ubi decebat, reconditis facta mentione: *Quo etiam*, pergit, *in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet DEUS natalem ipsius martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare.* Frequenter autem id factum fuisse ex actis S. PIONII apud Bollandum intelligitur, qui die ejusmodi solemnitatis captus est. Acta S. SATURNINI ordiuntur de usu celebrandi martyrum festa vigiliis, hymnis, precibus, oblationeque sacrorum mysteriorum. S. CYPRIANUS epistola hanc rem clero suo apprime commendat: *Eorum dies, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* S. GREGORIUS Taumaturgus a cognomine Nissæno in ejus vita ob id impense laudatur: „ Apud omnes „ ubique populos sanciens, ut nomine eorum, „ qui pro fide certassent, dies festi, atque so- „ lemnes conventus celebrarentur: cumque a- „ lius in alium locum corpora martyrum de- „ duxisset, per anniversarii circuli ambitum „ congregati lætabantur, in honorem martyrum „ ferias agentes. „ Refertur apud BOLLANDUM, fideles Gothos ad fratres in Cappadocia historiam vitæ, & martyrii S. SABÆ perscripsisse, ut in die, quo coronatus est, sacrificium offerretur, victoriaque in notitiam aliorum perlata, tota catholica, & apostolica ecclesia gloriam Domino redderet, qui tales sibi servos elegerit. Notabantur tum acta, cum dies

L. IV. c. 15.

Ad 1. Febr. p. 42.

Apud Ruinart. p. 130.

Ep. 37.

Ad 12. Apríl. p. 966.

authenticis in tabulis, ac calendariis, quorum antiquissima habentur a BUCHERIO, & aliis edita, sacramentaria item, præsertim ecclesiæ Romanæ: quorum antiquissimumLEONINUM, a BLANCHINIO primum, MURATORIO nuperrime editum, nulla nisi martyrum festa haber, SILVESTRUM si excipias; cui tamen, ut bene advertit MURATORIUS, quod sub ethnicis imperatoribus vixisset, antequam CONSTANTINUS M. Roma potiretur, veterum confessorum merita non defuisse veri admodum simile est. Fortassis etiam non de festivitate, sed tantum de depositione annua illius videatur ibi missa celebrata.

De reb. liturg. p. 34.

p. 38.

Id tamen observatu dignissimum in laudato LEONINO sacramentario, quod habetur ad ultimum Septembris: *Pridie calendas Octobris Natale Basilicæ Angeli in Salaria.* Nec obstat, quod apud ANASTASIUM habetur, GELASII I. Papæ temporibus inventam esse ecclesiam sancti Angeli in monte Gargano.

p. 41.

„ Præterquam (inquit laudatus MURATO„ RIUS) quod verba illa in tribus ANASTASII „ MStis non leguntur, ex iis certe argumen„ tari non licet, quin basilica aliqua Romæ „ fuerit longe antea constructa in sancti ange„ li honorem. ANASTASIO ipso teste SYM„ MACHUS Romanus pontifex circiter an„ num CHRISTI 499. ad archangelum MI„ CHAELEM basilicam ampliavit, & gradus „ fecit, & introduxit aquam. Viden hanc „ basilicam antea fuisse ædificatam & a SYM„ MACHO dumtaxat fuisse ampliatam: Er„ go cave, ne interpreteris ADONEM in „ martyrologio tradentem, peracta apparitione „ archangeli in Gargano, non multo post a „ BONIFACIO papa (qui alius esse nequit nisi „ secundus) constructam fuisse Romæ eccle-

„ siam

siam sancti MICHAELIS in summitate Circi: „
quasi prima sacra ædes ea fuerit in urbe titu- „
lo sancti MICHAELIS insignita. Ante BONI- „
FACIUM II. uti ostendimus, una saltem „
basilica ejusdem angeli a Romanis colebatur. „
Quæ in LEONINO sacramentario memora- „
tur, sita fuit in via Salaria, ejusque nata- „
lis dies in honore erat. „ Patet hinc cultus angelorum per annua festa in ecclesia antiquus usus: cum in honorem S. MICHAELIS pariter in sacramentario Gelasiano habeatur missa.

De confessoribus jam dixi serius fuisse festa frequentata; quamvis legamus nonnunquam statim ab ipsorum obitu, aut non ita multo post, anniversarios fuisse celebratos dies, uti de fratre suo PETRO GREGORIUS Niss. testatur in epistola ad FLAVIANUM; & de S. GAUDENTIO constat, quantum devotionis ad ornandum antecessoris S. PHILASTRII festum contulerit. Etsi mirum videatur, quod S. JOSEPHI e. g. tardius fuerit festum celebratum, forte non inepta sit TILEMONTII ratio, factum id esse, quod ad vetus adhuc olim retulerint testamentum, pariter ac S. JOANNEM Baptistam illustrem martyrem, cujus postea festum maxima fuit transactum celebritate, vigiliis, & tribus etiam aliquando missis, ut in natali Domini.

Apud Sur. 18. Jul. p. 212.

T. I. mem. p. 79.

Causa etiam serius inducti festi fuerit, quod locus sepulturæ, & sacræ reliquiæ non haberentur: cum nec protomartyris S. STEPHANI memoretur festum, antequam sacræ reperirentur reliquiæ, quæ templorum extruendorum, festorumque instruendorum erant olim præsentaneæ causæ. Nec apostolorum solemnitates, nisi quorum habebantur memoriæ, & sacra lipsana adeo celebria olim memorantur. Huc referri potest festum sanctorum, quorum reliquiæ

habentur, quamvis tardius primum a S. HUGONE Cluniacensi in ecclesia Epternacensi an. 1059. cum consensu congregationis institutum.

Apostolorum omnium saltem sæculo quinto *commemoratio apostolicæ passionis* tempore paschali 3. Idus Maji celebrabatur, uti constat ex THEODOSIO. Quod autem OTHOLONIUS monachus S. EMERANI dicit in sermone de festo apostolorum, & evangelistarum tum universim, cum singillatim serius est. Paulo ante diximus de festo in honorem B. V. & martyrum omnium, postea institutum est in honorem sanctorum omnium ad calendas Novembris a GREGORIO IV. de quo SIGEBERTUS ad an. 835. *Tunc monente GREGORIO papa, & omnibus episcopis assentientibus, LUDOVICUS imperator statuit, ut in Gallia, & Germania festivitas omnium sanctorum in calendis Novembribus celebraretur. Ut primus in martyrologio suo ADON retulit.*

Cod. Theod. 15. tit. 5. l. 5.

§. XCIII.

Festa præcipua ferianda.

Quamvis jugiter vacandum sit divino officio, fuerunt tamen in ecclesia certi conventus, sacri dies, ac determinata festa præcipua quædam, pauciora, aut plura, cum tempore multis etiam restringere visa.

Tantum diebus festis ad ecclesiam venire, semper fuit improbatum. *Dicite mihi vos*, inquit ORIGENES, *qui tantummodo festis diebus ad ecclesiam convenitis, cæteri dies non sunt festi? Non sunt dies Domini? Judæorum est dies festos, & raros observare solemnes.*

Hom. X. in Gen.

nes. Et ideo ad eos dicit DEUS: Quia neomenias veſtras, & ſabbata, & diem magnum non ſuſtineo; jejunium, & ferias, & dies feſtos veſtros odit anima mea. *Odit ergo DEUS eos, qui unum diem putant feſtum diem eſſe Domini. Chriſtiani omni die carnes agni comedunt, id eſt, carnes verbi DEI quotidie ſumunt.* Auctor conſtitutionum apoſtolicarum monitum in hac re optimum dat: *Singulis diebus congregemini, mane, & veſpere, & orantes in ædibus dominicis, mane quidem dicentes pſalmum ſexageſimum ſecundum, veſpere autem centeſimum quadrageſimum. Præcipue autem die ſabbati, & die, qua Dominus reſurrexit, hoc eſt, dominica ſtudioſius ad eccleſiam occurrite.* Fuerunt hi duo, ut paulo ante vidimus, ſtati per hebdomadam in oriente feſti dies; alibi vero præcipuas per annum ſolemnitates idem auctor recenſet. *Dies feſtos obſervate, fratres; ac primum quidem diem Domini natalem; qui a vobis celebretur vigeſima quarta noni menſis. Poſt hunc diem dies epiphaniæ ſit vobis maxime honorabilis; in quo Dominus nobis divinitatem ſuam patefecit; is autem agatur ſexta decimi menſis. Poſt quos dies ſervandum vobis eſt jejunium Quadrageſimæ, continens recordationem converſationis dominicæ, & legis latæ: celebretur vero jejunium hoc inter jejunium paſchæ; incipiatque a ſecunda die, ac deſinat in paraſceven: poſt quos dies finito jejunio, incipite ſanctam paſchæ hebdomadam.* Multa ex his duobus locis conjiciet ſagax lector ad veteris diſciplinæ rationem, exercitiaque pietatis tum quotidiana tum ſingularia quorumdam dierum per hebdomadam, ac annum. Legendus eſt inter alios SOZOMENUS, ubi varias olim apud varias gentes, populosque

L. II. c. 59.

L. V. c. 13.

christianos sacrorum conventuum dies pluribus vel paucioribus aut singulis etiam per hebdomadam ac annum diebus enumerat.

Nec enim contenti tantum erant convenire præcipuis festis ad solemne officium, erant etiam stationes per hebdomadam, quales S. EPIPHANIUS præter diem dominicum feriam quartam, & sextam designat in fine operis de hæresibus, in quibus etiam usque ad nonam jejunium servabatur. Et tales stationes singulis Quadragesimæ diebus habitas fuisse in præcipuis saltem festis vel inde patet, quod quotidie nonnunquam sermones sint habiti, velluti Antiochiæ a S. CHRYSOSTOMO. Refertque de seipso S.BASILIUS, se populum ad concionem vocasse diebus etiam non festis. Quod idem ex sermone 8. S. CÆSARII colligitur.

Hom. 3. in Hexam. At hæc liberiora erant, queriturque non semel S. CHRYSOSTOMUS, quod multi tam infrequenter ad conventum publicum accedant, ac notat christianos in homilia de baptismo CHRISTI, qui vix una, & altera vice per annum in ecclesiam veniant, sub prætextu necessitatum vitæ. Homilia prima de pentecoste aliam demit excusationem de paucitate festorum apud Judæos, quibus ad templum convenire debebant dispersi per totam Judææ regionem; cum christiani in singulis urbibus facile ad ecclesiam venire possint, singulis diebus festa sua agere, ac vivere in sancto gaudio, cum præsens vita ob ingentia bona nobis collata unus veluti sit festus, ut in homilia decima quinta in epistolam primam ad Corinthios egregie exponit. Et hom. 5. in I. ad TIM. *Nihil plus habet*, ait, *mysterium in paschate celebratum, eo quod nunc celebratur: unum, & idem est, eadem Spiritus gratia: semper pascha est. Illud nostis, qui initiati*

tiati estis. Et in parasceve, & in sabbato, & in die dominico, & in die martyrum idem sacrificium consummatur.

Præcipua tamen præcipue etiam agi vult festa, imprimis concursu illo festorum mysteriorum dominicorum, quæ se mutuo consequentia perpetuum reddant festum. „ In ecclesia „ Domini festivitas (inquit) dum festivitati succedit, ad sese mutuo nos transmittunt. Nu- „ per itaque festum crucis celebravimus, pas- „ sionis, resurrectionis, ac deinde Domini „ nostri JESU CHRISTI in cœlos ascensus; „ hodie tandem ad ipsum culmen bonorum „ provecti sumus, ad ipsam metropolim festo- „ rum evasimus. „ Et S. PAULINUS egregio in hanc rem carmine festorum dominicorum colligata mysteria explicat: *Hom. 2. de pentec.*

Ut veneranda dies cunctis qua virgine natus, *Carm. 9. de S. Felice.*
Pro cunctis hominem sumsit DEUS; utque deinde
Qua puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi: seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente JOANNE,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas:
Sive dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum DEUS egit opus, cum flumine verso
Permutavit aquas prædulcis nectare vini.
Quid paschale epulum? Num certe jugiter omni
Pasiba die cunctis ecclesia prædicat oris,
Contestans Domini mortem cruce, de cruce vitam
Cunctorum: tamen hoc magna pietatis in omnes
Grande sacramentum præscripto mense quotannis
Totus ubique pari famulatu mundus adorat,

Æternum celebrans redivivum corpore regem.
Hoc solemne dies sequitur : septem numeramus
Hebdomadas , & lux populis festiva recurrit,
Qua sanctus quondam cælo demissus ab alto
Spiritus ignito divisit lumine linguas ,
Unus & ipse DEUS diversa per ora cucurrit,
Omnigenasque uno sonuit tunc ore loquelas.

Vides hic omnia mysteriorum CHRISTI festa , quorum semper præcipua fuit veneratio, ac necessitas fidelibus imposita non conveniendi solum, sed etiam communionem sumendi, ut suo loco ostendimus, nunc idem paucis quoad concursum ad officium divinum , & quidem in matrice ecclesia prosecuturi : *Ut cives*, quemadmodum habet concilium Epaonense , *superiorum natalium nocte pascha ac nativitatis Domini solemnitate , episcopos , nec interest in quibus civitatibus positos accipiendæ benedictionis desiderio noverint expetendos.* Concilium Aurelianense I. & IV. & Ludgunense an. 547 idem statuunt, concilium vero Claromontanum an. 535. id singulariter de clericis , ut in festis solemnibus in metropoli officium divinum faciant , decernit. Festa præcipua semper tria saltem nominantur , natale Domini, pascha, & pentecoste : *Si quis etiam extra parochias , in quibus legitimus est , ordinariusque conventus , oratorium in agro habere voluerit , reliquis festivitatibus , ut ibi missas teneat , propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha vero , natale Domini , epiphania , ascensionem Domini , pentecosten , & natalem S. JOANNIS Baptistæ , vel si qui maximi dies in festivitatibus habeantur , nonnisi in civitatibus , aut parochiis teneant.* In aliis monumentis addi solet assumtionis , & alia B. V. festa , PETRI & PAULI , & aliorum non raro apostolorum , subse-

Can. 35.
Can. 16.
Can. 3.
Can. 5.
Can. 15.
Can. 21.

ſubſequentes etiam dies præcipuorum feſtorum aliquando integra hebdomade paſchæ e.g. & in nativitate feſta proxima SS.STEPHANI,JOANNIS &c. Singulares etiam patroni regionum LAURENTII Romanæ, & in imperio Romano, VINCENTII in Hiſpania, MARTINI in Galliis &c. Apud S. ISIDORUM de officiis eccleſiaſticis videri poſſunt præcipua feſta ſæculo ſexto, & ſeptimo in Hiſpania celebrata. Et MABILLONIUS de eadem re quoad Gallias agit ſtudioſe de liturgia Gallic. Ubi eadem fere comparent, ac in ſtatutis S.BONIFACIO attributis, nonnullis additis, uti ſemper magis magisque contigit uſu ſucceſſuque temporum. In concilio Mog. an.813. multa etiam recenſentur. ÆGIL abbas Fuldenſis ad CAROLUM M. multa ſanę refert in Allemannia tunc celebrata, quæ in antiquis nuſpiam apparent. HETTO epiſcopus Baſileenſis in ſuo capitulari alia diſtinguit, quæ devotioni populi ſint libera, alia ſat multa, quibus omnino feriari fideles debebant.

cap. 19. &c.

L. II. n. 7. & ſeqq.

T. VI. conc. p. 1890.

Can. 34.

T. V. act. O. S. B. p. 247.

JOANNES archiepiſcopus Rothomagenſis in tractatu ſuo de officiis eccleſiaſticis perſpexit multiplicationem feſtorum faſtidium ac alia incommoda ferre. Noſtra ætate ſpacio unius ſæculi ad hunc uſque diem mutationes paſſim variis in regnis, & diœceſibus, reſtrictionesque feriarum ſunt factæ, etiam a Romano pontifice BENEDICTO XIV. nuper defuncto, ſed ſua peculiari in eccleſia, ac provincia. Nec defuerunt tamen in utramque partem ſtudia etiam in Italia, ac Romanis purpuratis, quorum ſylloges ſcriptorum, ſpectantium ad feſtorum præcepti diminutionem in Italia, prodierunt. Imprimis autem cardinalis QUIRINIUS ægre tulit factam antiquæ in hac re religionis mutationem, numerumque inter alia dierum feſto-

T. VI. ſpicil. p. 691. Act. conc. Rothom. p. 237.

festorum, qui nostra ætate ex præcepto observatur, stabilitum ivit auctoritate omnium summorum pontificum inde ab annis 225. nominatim a CLEMENTIS VII. tempore ad BENEDICTUM XIV.

§. XCIV.

Religiose que transigenda.

Religiosa diei dominicæ, ac festorum observatio in sancta lætitia, cultu divino publico præsertim, exercitiisque pietatis jugibus est facienda.

A primæva ecclesia die solis seu dominica conventus sacer omnium ad cultum divinum publicum fuit celebratus : *Solis die omnium*, inquit JUSTINUS, *qui in urbibus, vel in agris degunt, in eundem locum conventus fit.* S. BARNABAS in sua epistola magnam cordis puritatem afferendam præscribit ad sanctificationem diei octavæ seu dominicæ, in qua a mortuis est resuscitatus CHRISTUS : concelebrabat etiam primæva jam ecclesia, ac religiose venerabatur eo in die principium conditi mundi, ac Spiritus sancti adventum, quare ab EUSEBIO vocatur τρεῖς ἀρχὰς ἔχουσα *trium veluti principiorum sacrosanctæ Trinitatis symbolum.* Et quamquam aliis etiam per hebdomadam diebus sacri conventus haberentur præsertim sabbato in oriente, ut diximus, feriatio tamen diei dominicæ propria erat : *Quod non oportet*, statuit concilium Laodicenum, *christianos judaizare, & in sabbato otiari, sed ipsos eo die operari ; diem autem dominicum præferentes otiari, si modo possint, ut christianos.* ORIGENES libro VIII. contra CELSUM testimonium præbet christianis, quomodo, secus ac gentiles sua festa in hono-

Apol. 2.

Can. 29.

honorem deorum, diem dominicum, parasceve, pascha, & pentecosten sancte transegerint continuis precibus, ac incruento sacrificio, quamvis pro perfecto christiano singuli dies sint dominici. Segnes vero in hac re alibi carpit: „ Vereor (inquit) ne adhuc in tristitia, & gemitu ecclesia filios pariat. An non „ est ei tristitia, & gemitus, cum vos non „ convenitis ad audiendum DEI verbum, & „ vix festis diebus ad ecclesiam proceditis? „ Et hoc non tam desiderio verbi, quam studio solemnitatis, & publicæ quodammodo „ remissionis obtentu. Qua nempe remissione „ ab operibus vacatur, ac hilariter etiam inter „ hymnos, & cantica vivitur, quæ est læta festorum facies, quam primi præsertim illi christiani spiritualiter medias etiam inter persecutiones exerebant. „ Cujus rei illustre exemplum præbet S. DIONYSIUS Alex. in epistola paschali ad suum populum, ut apud Eusebium habetur: dum christiani, toto mundo persecutionem usque ad mortem intentante, nihilominus læte transigebant festa gaudentes in Domino: eratque quilibet passionis locus, campi, deserta, naves, carceres apta festo diei loca. Illi autem ampliore gaudio festa transegisse sunt habiti, qui perfectionem martyrii consecuti admissi sunt ad divinum in cœlis convivium. De S. GREGORIO Taumat. Nissænus refert, eum percursitando terras undique festa celebranda instituisse, læta etiam cum conviviis, & publicis tripudiis. Ut hac ratione homines agrestes hujusmodi delectationibus in cultu idolorum enutritos allectaret, ratus fore, ut cum tempore, pietate, & fide populorum crescente, facile avocarentur ab his exterioribus sensibilibusque deliciis ad spirituale, ac sanctum gaudium, quale nimirum christianos

Hom. X. in Gen.

L. VII. c. 11.

stianos in suis festis decet, ad lætandum in Domino. Quam sapientem œconomiam vehementer deprædicat S. GREGORIUS Niss.; NAZIANZENUS vero in sancta matre sua NONNA dilaudat moderationem, quæ, licet gravibus conflictata malis, occurrente tamen quavis solemnitate luctus omne indicium abjecerit lætitiæ assumto habitu. Huc nos ducit sane mysteriorum consideratio, ac ingentium donorum recordatio, quorum causa sunt instituta festa. *Christianorum solemnia*, inquit S. PROCLUS, *divina sunt, & admirabilia, vereque fontes, ac thesauri salutis. Nam prima nostra celebritas DEI ad homines adventum prædicat: quæ vero hanc sequitur, aquarum sanctificationem, ac baptismatis fontem graphice exprimit. Tertia mortis interitum ac trophæum crucis resurrectionisque donum, ac quo patribus est parta libertas, læto, sanctoque nuntio indicat. Quarta primitiarum nostrarum in cœlos ascensum, earumque a dextris consessum clamat. Quinta Spiritus sancti descensum, ac sexcentos gratiarum imbres ceu tubæ præconio alte tonat: hæc solemnia sunt, quæ fecit Dominus: exultemus, & lætemur in eis.* S. CHRYSOSTOMUS Quadragesimæ luctum ad nos purificandos orando, plorando, vigilando &c. nequaquam ob pascha, aut crucem institutum idcirco dicit, quod hæc potius lætitiæ, quam tristitiæ, nobis causa sint. Dies autem passionis dominicæ cur in luctu transigat ecclesia, egregie edisserit HELPERICUS Grandfeldensis in epistola, quæ inter alia componit tractatum de officiis divinis sub nomine ALCUINI vulgatum, qua discrimen inquirit, cur in die mortis dominicæ luctum præseferat ecclesia, in die autem mortis martyrum gaudium in eorum solemnitatibus: quod nimirum æqua-

Orat. 19.

Hom. in nat. Dom.

Hom. 3. *cont. Judæos.*

æqualem cum Patre gloriam habens Filius DEI voluntarie mortem pro nobis ſufferens nullum gloriæ augmentum accipere potuerit, ſicuti martyres; unde eorum obitus dies etiam natalis vocetur, & jure in gaudio de eorum adepta gloria & corona martyrii a nobis tranſigatur. Dudum vero antea S. ASTERIUS lætitiæ cauſam ex noſtri parte explicat: „ Eccleſia „ *Orat. in*
(inquit) martyrum ſatellitio, haud ſecus, at- „ *SS. MM.*
que civitas armatorum manu, protegitur; „ coguntúrque celebres populi totius conventus, ac ſolemnitatum jucunditatem percipimus, ac iis recreamur. Qui humanæ vitæ adverſis caſibus, ac calamitatibus vexantur, velut ad aſylum quoddam, ac perfugium ad ter beatorum requiem, ac ſolatia, feſtine accedunt. Precum illos, ac orationum interceſſores adhibemus propter excellentem, qua pollent, fiduciam. In præſidiis levantur paupertatis incommoda; curantur morbi, ac principum minæ ſedantur: omniumque ſæculi turbinum, ac tempeſtatum tranquilli portus, ſacra martyrum delubra exiſtunt . . . Ecce enim per univerſum orbem impletus eſt CHRISTI athletarum circulus, nec eſt locus ullus, quo non eorum memoria habeatur, annique tempora omnia, terræ donis, ac frugibus potiora pugilum geſta celebraturis, ac feſta agentibus conferunt. „ S. EPHREM ſermonem inſignem habuit de diebus feſtis, & dignitate myſteriorum in feſto quodam Domini, ubi rationem celebrandorum feſtorum omnem ediſſerit, tam quoad conventum ſacrum in eccleſia nocte, mane, & meridie, quam etiam exercitia pietatis, abjecto gentilium more, in lætitiæ, & celebritatis ſignum frondibus coronandi portas. Idem agit in ſermone de cruce Domini habito in paſchate, ubi damnatis

ludis,

ludis, ac vitæ licentia, obſervationem mandatorum DEI, pſalmorum, ac hymnorum ſpiritualium cantum, quibus dies tranſigatur, præſcribit. Quo etiam referri poteſt ſermo de pſalmis; item SYNESII ſermo in pſalmum
p. 130. LXXV. de pietate, ſobrietateque tranſigendorum feſtorum: *Ut*, inter alia ait, *DEO dignum te celebratorem præbeas, ne a ſobria jejunii menſa ad ebriam, & vinolentam te te conferas: quin potius craterem ſobria mixtura plenum DEO immortali offeras.*

Præcipua olim feſta non ſolum præeunte jejunio, ſed etiam pervigiliis, ut paulo ante vidimus, fuerunt transacta, paſcha præſertim,
Hom. I. & pentecoſte. *Tunc enim*, inquit S. MAXIMUS de paſchate loquens in homilia de pentecoſte, *ſicut modo fecimus, jejunavimus ſabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctanter inſtitimus.* TALESIUS epiſcopus Andegavenſis medio ſæculo quinto de differentia inter vigilias paſchatis, natalis Domini, &
T. IV. epiphaniæ S. SOPHRONIUM Auguſtodunen-
conc. p. ſem interrogandum duxit, qui unacum S.
1048. LUPO reſpondit inter alia: „ Quæ vigiliæ (e„ piphaniæ) vel maxime, aut perpete nocte, „ aut certe in matutinum vergente, curandæ „ ſunt; paſchalis autem vigilia a veſpere raro „ in matutinum uſque perducitur. Notat etiam „ diſcrimen vigiliarum natalis præſertim Do„ mini, & paſchatis in lectionibus. „ S. LEO vigilias ejusmodi ſabbato quatuor temporum
De jejun. memorat: *Sabbato autem apud beatum PE-*
decimi *TRUM apoſtolum pariter vigilemus.* Quæ ni-
menſ. mirum in proximam vergebant dominicam, unde hodieque in Quadrageſima, ubi ſingulæ feriæ proprium habent officium, idem tamen eſt eo ſabbato quatuor temporum, & proxima dominica. In feſto etiam S. JUSTI Lugduni

SIDO-

SIDONIUS Apoll. vigilias commemorat, & FORTUNATUS Pictavienſis in vita S. BALDONIVIÆ Pictavis in feſto S. HILARII, convenientibus vicinis monaſteriis, & uſque ad mediam noctem vigilias concelebrantibus: *De media nocte*, inquit, *quisque abbas cum ſuis fratribus ad ſuum revertitur monaſterium curſum celebrare.* Unde etiam mos eſt communis eccleſiæ, feſta a veſperis vigiliæ celebrare ad veſperas diei, uti de dominicis pariter ac feſtis aliis præſcribitur in concilio Forojulienſi vergente ſæculo VIII. & in Rothomagenſi circa eadem tempora a WIGBODO, & a LEONE IV. ubi tam generalis, quam etiam ſingularis obſervantia feſtorum articulatim explicatur. Quam ſedulo vero olim fideles concurrerint ad omnes partes divini officii diximus ſuperius; imprimisque notandum, quod ſæculo VIII. in concilio Cloveshovienſi ſtatuitur: *Ut dies dominicus divino tantum ſit cultui dedicatus:* adduntque patres, *Sed & hoc quoque decernitur, quod eo die, ſive per alias feſtivitates majores, populus per ſacerdotes DEI ad eccleſiam ſæpius invitatus ad audiendum verbum DEI conveniat: miſſarumque ſacramentis, ac doctrinæ ſermonibus frequentius adſit.* Eodem exeunte ſæculo concilium Forojulienſe, quod inſtar omnium ſit, omnia complectitur: *Diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, ut liberius ad eccleſiam ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis ſanctorum communicare, eloquiis divinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat chriſtianus.*

L. V. ep. 12.

Can. 13. Can. 15. T. VIII. conc. p. 34.

Can. 14.

Can. 11.

§. XCV.

Non superstitiose.

Religiosam tenens dierum festorum observantiam ecclesia a licentia & superstitione alienam, ea omnia semper removenda duxit, quæ cultus divini sanctitati adversarentur.

Caute hic procedendum fuit ecclesiæ superstitionem inter Judæorum, ac licentiam paganorum. Superstitiose Judæi in otio suos festos transigentes in evangelio a CHRISTO redarguuntur, & passim a sanctis patribus, quos inter imprimis legendus est S. AUGUSTINUS tum alibi, cum imprimis copiose in psalmum nonagesimum primum modum feriandi christiano ritu alienum a superstitione Judæorum præscribit. Eundemque videtur notare laudatus a me mox canon Laodicenus excluso sabbato dominicum otiandum, id est, a labore abstinendum jubens, *si modo possint, ut christiani. Quodsi inventi fuerint Judaizantes, sint anathema apud CHRISTUM.* Aliter nobis longe PHILO describit religiosam sabbati observantiam apud Therapeutas, quod a negotiis abstracti sacris studiis, ac conventibus in suis synagogis transegerint. S. IRENÆUS opera servilia in lege vetita dicit, quod soleant avaritiæ servire, neutiquam vero prohiberi opera spiritualia, quæque charitati proximi deserviant. Legi vero imprimis meretur S. GREGORIUS Niss. in ecclesiasten commentans: ubi id ponens, quod licitum in uno die, in altera illicitum esse nequeat, spiritualiter intelligendum vult præceptum de abstinentia a labore in sabbato, quatenus nimirum in tota sua amplitudine sumeretur, etiam in functioni-

Lib. quod non omnis probus sit justus. p. 876.

L. III. c. 16.

p. 439. & 440.

bus

bus animalibus videndi, ſentiendi, nutriendi &c. Quouſque quidem non deliraſſe poterant Judæi; ſed tamen carnaliter ſecundum litteram ſumentes præceptum illud, otio indulgebant, ac mollitiei, ut inter alios etiam S. GAUDENTIUS notat, ac chriſtianum feriandi deſignat modum a conſueto, & temporali abſtinendo labore, occupando vero ſe operibus pietatis cum DEO. Exemplo id S. GREGORIUS M. aliquo illuſtrat balnei, quod vetitum ſit voluptatis, non neceſſitatis cauſa. Rationemque adjungit, cur a corporali, & terreſtri abſtineatur labore, ut tempus ſuppetat orationi ad eluendas aliorum dierum negligentias. In concilio Aurelianenſi III. & Vernenſi an. 755. ſuperſtitio inter chriſtianos proſcribitur, & recta præſcribitur obſervantia: *Quia perſuaſum eſt populis*, habet concilium Vernenſe, *de die dominico agi cum caballis, ſeu bubus, & vehiculis, itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparari, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exerceri (quæ res ad Judaicam magis, quam ad chriſtianam obſervationem pertinere probatur) id ſtatuimus, ut die dominico, quod antea fieri licuit, liceat. De opera tamen rurali, aratro, aut vineæ ſectione, excuſſione, vel ſepe, cenſuimus abſtinendum, quo facilius ad eccleſiam venientes orationis gratia vacent.* In pœnitentiali THEODORI Cantuarienſis ejusmodi habetur dominicæ uſitata feriatio mediis talibus in operibus, in quibus prudentiæ, ac religioni eſſe debet locus ad uſum ab abuſu diſcriminandum, ex fine imprimis dierum feſtorum, ut divino ſervitio tempus ſuppetat: qua ratione in capitularibus regum Francorum & frequenter in conciliis medii ævi, firmatur ab operibus ſervilibus, & contentioſis in die-

Serm. 11.

L. XIII. *ep.* 23.

Can. 28.

Can. 14.

Cap. 7.

T. I. p. 239.

bus festis cessatio, quæ longe magis in posteriorum temporum decretis ecclesiasticis, usibusque attendebatur, quam prioribus. Notandus hic imprimis est canon 16. concilii Arelatensis an. 813. & duo priores Erfordensis an. 932. ubi cumulantur sacræ & forenses feriæ more veteri, ac jure etiam civili, sed apud christianos ad pietatem non licentiam revocato usu. In actis episcoporum Tullensium apud MARTENIUM habetur, campanæ sono tempus cessationis a labore fuisse designatum, accidisseque nonnunquam, ut, qui laborem ultra tempus prosequerentur, divinam mox experti sint pœnam. Narratque GREGORIUS TURON. in urbe Lemovicensi cœlesti igne fuisse consumtos, qui contemta religione diei dominicæ operibus servilibus vacabant. Simile exemplum refert S. EUCHERIUS, cum ecclesia in honorem MM. ædificaretur, gentiles autem tempore conventus sacri die dominica laborem prosequerentur, apparuisse martyres cuidam operariorum, qui abreptus flagris graviter sit exceptus. Patetque vel ex canone laudato Laodiceno etiam feriam a laboribus fuisse primis illis temporibus die dominico: imo festis etiam sanctorum, veluti S. GAUDENTIUS abstinendo a laboribus festum S. PHILASTRII transigendum præscripsit. Sed pauciora eam in rem habentur primorum præsertim temporum statuta.

T. III. anecd. p. 1075.

Hist. Franc. L. X.

Vid. Chifflet Paulin. illustr. p. 91.

Sur. 18. Jul. p. 212.

Fuit tunc cum gravioribus abusibus, & excessibus, qui ex gentilismo in festa gliscere poterant, conflictandum. Qualis ab EUSEBIO notatur spectaculorum, ac ludorum etiam in dominica die frequentatio, antequam nimirum THEODOSIUS Junior die dominico an. 425. omnem theatrorum, & Circensium voluptatem, jam antea a THEODOSIO M. interdictam, per

uni-

universas urbes abrogavit, notissima illa lege, *Dominico*, quam BARNABAS BRISSONIUS singulari libro commentario de spectaculis, & feriis illustravit. THEODOSII vero M. anno 387. in eandem rem data lex habetur in codice nomine THEODOSIORUM inscripto. In chronico JOSUE ad annum 502. mensemque Majum refertur, spectaculis edicto imperatoris ANASTASII prohibitis, mox præter omnem spem annonæ pretium esse imminutum. Semper ecclesiæ præsules ingemuerunt sub imperatoribus etiam christianis, has tamdiu esse toleratas gentilismi reliquias, etiam in christianis solemnitatibus dominicæ, festorum Domini, & sanctorum martyrum: publicisque in sermonibus contra has, & similes libidines, & licentias in festis præcipue, ad hodiernum usque diem nimium frequentatas, passim invehuntur. Contra quas utinam semper pastores S. CHRYSOSTOMI zelum sumerent, qui in excessus dierum festorum frequenter excurrit.

L. XV. tit. 5. l. 2.

Vid. T. II. conc. p. 1085.

CAPUT VI.

De statis jejunii diebus.

§. XCVI.

Gratum est DEO officium, jejunium, seu abstinentia, ac inedia ad certum tempus a cibo, aut etiam a certa cibi potusque specie, aliaque mortificationum genera.

Varia abstinentiæ ac jejunii genera.

Non solum enim, inquit S. ATHANASIUS, *par est nos pietatem colere, sed etiam corpore placere DEO, videlicet per jejunium, per* *fre-*

T. I. p. 106.

frequentem orationem, per chameuniam, per opera manuum ad eleemosynam erogandam. Ubi quidem alia simul etiam complectitur pia opera, sed jejunium potissimum est, quod etiam semper in cœtu veræ religionis inter publica pietatis exercitia est connumeratum; quamvis pro virium, & etiam piæ voluntatis ratione major hic varietas libertasque semper fuerit, in austerioribus præsertim jejuniis, quæ idcirco ὑπερθέσεις, superpositiones appellabant, præsertim usitata ultima ante pascha hebdomada, quam majorem dicimus, qua modo unum, modo duos, tres, aut quatuor, imo etiam quinque dies sine cibo transegerunt, uti testatur S. IRENÆUS apud EUSEBIUM: commendabaturque maxime continuatum feriæ sextæ, & sabbati sancti jejunium, ut videre est constit. apost. libertatem autem hic relictam fuisse ex S. DIONYSII ad BASILIDEM epistola discimus: „Eos autem (inquit) qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam „usque vigiliam fortiter abstinent, ut generosos, & laborum tolerantes suscipimus; „iis autem, qui interea, ut moti sunt, vel „ut potuerunt, quiescunt, non valde molesti sumus: quandoquidem nec sex jejuniorum dies, æquali aut simili tolerantia, omnes perferunt: sed alii quidem vel omnes „transmittunt, jejuni permanentes, alii duos, „alii tres, alii quatuor, alii nullum, & iis „quidem, qui in illis transmittendis valde „laboraverunt, deinde defessi sunt, & propemodum deficiunt, ignoscendum est, quod „celerius gustent: si autem non modo transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam „in delicatis, opiparisque conviviis, consumtis quatuor præcedentibus diebus, ad duos, „eosque solos extremos dies cum venerint,

L. V. c. 18.

T. I. conc. p. 834. &c.

„illis

illis a se cibo non gustato transmissis, para- „ sceve, & sabbato, magnum quid, & egre- „ gium se facere existimant, si ad auroram „ usque permanserint non existimo eos ex æ- „ quo certamen subiisse cum iis, qui se pluri- „ bus diebus prius exercuerunt. „ In concilio Illiberitano præscribuntur superpositiones jejuniorum singulis mensibus paucis exceptis: *Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti, propter quorumdam infirmitatem.* Can. 23. Haud dubie indulgentia ob nimium calidis illis in terris æstatis fervorem est facta a jejunio toto die producto. Quo etiam pertinet alter canon: *Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones celebremus.* Can. 26. Nescio, an huc pertineat vigilia a feria sexta in sabbatum, quam toto anni tempore per orientem observatam dicit CASSIANUS. L. V. Instit. c. 9. Alias vero vel usque ad vesperam, vel usque ad nonam saltem communiter protrahebantur jejunia, carpitque psychicos seu catholicos TERTULLIANUS in MONTANI castris, quod ad nonam tantum traducant: De jejun. c. 10. quæ nimirum erant ordinariæ stationes feria IV. & VI. Ignotaque diu fuit collatiuncula nostra, qualis primum occurrit medio sæculo IX. BERTHARIO abbate Cassinensi apud MABILLONIUM monachis data ob labores tempore vindemiæ. Ap. T. I. annal. p. 704. Et conventus Aquisgranensis an. 817. potum saltem, si tantus fuerit labor, etiam in Quadragesima, sed post cœnam vespertinam indulget, c. 32. minime vero tempore jejunii ecclesiastici usque ad sæculum duodecimum, & ultra quibusdam saltem in locis. Sæculo certe undecimo apud Micrologum tempus jejunii adhuc modo ad nonam, modo ad vesperam usque protractum C. 49.

legitur. Dumque ita Latini se gererent, Græcis collatiunculam talem ex fructibus, & herbis HUMBERTUS cardinalis vitio dedit. Quin sæculo XIII. idem adhuc usus jam ex S. THOMA ab aliis est notatus.

Quoad selectum ciborum in constitutionibus apostolicis habetur: *In diebus ergo pascha incipientes a feria secunda usque ad parasceven, & sabbatum, & per sex dies, solo utentes pane, sale, oleribus, & aqua potu &c.* Ejusdem abstinentiæ EPIPHANIUS meminit dictæ *Xerophagia*, de qua TERTULLIANUS: *Xerophagiam observamus siccantes cibum ab omni carne, & jurulentia, & acidioribus quibuscunque panis, ne quid vinositatis edamus, vel potemus.* Sed meliori auctoritate concilium Laodicænum: *Non oportet in Quadragesima postrema septimana quinta feria jejunium solvere, & totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes.* S. EPIPHANIUS inter varia religiosa instituta varietatem hic notat: „ Sunt præterea aliæ præeminentes vitæ con„ versationes, quæ in eadem sancta catholica „ ecclesia servantur, eorum, inquam, qui ab „ omnibus carnibus abstinent, quadrupedibus„ que, & volatilibus, ac piscibus, ovo item, „ & caseo, & alia diversa vitæ instituta. Nam „ unusquisque secundum proprium laborem ac„ cipiat mercedem. Et quidam sane abstinent „ ab omnibus his, alii vero a quadrupedibus „ solum, volatilibus vero, & reliquis vescuntur. „ Alii vero a volucribus abstinent, utuntur au„ tem ovis & piscibus. Alii vero ovis vescuntur, „ alii piscibus solis. Alii etiam a piscibus absti„ nent, caseo vero vescuntur. Alii autem neque „ caseum sumunt. Jam vero alii etiam a pane ab„ stinent, alii etiam ab arborum fructibus duris, „ ac nucibus, & a coctis. Multi vero etiam humi

„ dor-

L. V. c. 15.

Ad fin. op. de hæres.

L. I. adversus psychic.

Ad fin. op. de hæres.

dormiunt. „ Quæ hic referuntur instituta religiosorum, erant haud raro apud fideles pro vario pietatis studio exercitia jejuniorum. In fragmento, quod ex GRATIANO subnexum est regesto S.GREGORII M. ad S.AUGUSTINUM Angliæ apostolum de Quadragesimæ jejunio videtur requiri non tantum a carne abstinentia, sed etiam quidquid de carne est, uti lac, caseum, & ova; nec pisces facile indulgentur. BASILIUS Antiochenus presbyter apud PHOTIUM JOANNI Scythopolit. inter alia etiam objicit, quod volatilium usum in Quadragesima permiserit: de eorum usu apud monachos dixi alibi, tantum nunc addere libet statutum Aquisgranense an. 817. quo solummodo in præcipuis festis, nativitatis, & paschatis diebus quatuor indulgentur *c.* 8. canone vero 22. multo amplior intestinorum usus conceditur: quamvis in statutis Cluniacensibus PETRI Ven. *c.* 10. diebus Veneris, nisi in natali Domini, prohibeantur: quæ coquere solebant cum leguminibus, quod indultum alias fuisse ex libro XIII. chronici RADULPHI discimus. *Cod. 103.*

Semper fuit in ecclesia observatum ejusmodi abstinentiæ genus, præsertim a carnibus, & a vino, sed ob Manichæos cautione opus fuit, ne ob superstitionem fieret, quam inter alios S.CYRILLUS Hier. catechesi quarta exceptionem facit. Quos postea apostolici imitabantur, quamvis alia jejunia ceu inutilia habebant, nihil tamen, quod per generationem prodibat, comedebant, ut ex Cuervini ad S. Bernard. epistola patet.

Præter abstinentiam autem a carnibus olim etiam continentiam a conjugibus requirebant, idque pari legis obligatione facit Rhabanus MAURUS: *Diebus quadragesimis certis, sive legitimorum jejuniorum temporibus, tam ab edacitate carnium, quam a commixtione cor-* *L. cont. Judæos. c. 58.*

 porum,

porum, qui non abstinuerit, non pollutionem solum, sed etiam crimen incurrit. RATHERIUS Veronensis in suo synodico abstinentiam a carne similiter cum continentia conjungit, atque in quatuor adventus hebdomadibus requirit. S. AUGUSTINUS in suis sermonibus, quos in Quadragesima habuit, & S. CÆSARIUS in appendice S. AUGUSTINI idem monent. Præsertim autem veteres sancti patres imprimis S. CHRYSOSTOMUS a vitiis abstinentiam inculcarunt, ex quibus breve S. BASILII epiphonema tantum adducere liceat: *Carnes non edis, sed comedis fratrem. A vino abstines, sed ab injuriis tibi non temperas. Exspectas vesperam, ut cibum capias, sed diem totum consumis apud tribunalia.*

Serm. 142.

Hom. I. de jejun.

§. XCVII.

Imprimis Quadragesimæ.

Apostolica inde ab institutione inviolabilis semper fuit jejunii quadragesimalis lex, sancte in universa ecclesia, quam varia licet custodita videatur observantia.

Ex Protestantibus sunt, qui apostolicam originem jejunii quadragesimalis vindicarint. Quos inter ANONYMUS quidam ad finem superioris sæculi dissertationem de jejunio ante pascha celebrando edidit in duas partes distinctam: quarum prior historice de ejus observatione agit, altera in originem illius inquirit, ex veteri, & novo testamento MOYSIS, ELIÆ, ipsiusque CHRISTI Domini exemplo. Argumentum autem imprimis instruit ex controversia de paschate, sæculo post natum CHRISTUM secundo mota, in qua ad apostolicam traditionem ab utraque parte passim fuit provocatum

innexa

innexa altera quæstione de jejunio paſcha præeunte, atque tunc ſolvendo. BEVEREGIUS codicis canonum eccleſiæ primitivæ vindicati, ac illuſtrati librum tertium hoc argumento orditur contra DALLÆUM, qui tum ſingulari libro de jejuniis, & Quadrageſima, cum etiam agens contra canones apoſtolicos demonſtrare conatus eſt, primitivæ eccleſiæ incognita prorſus, vel ſaltem non religioſe obſervata eſſe jejunia, canone apoſtolorum LXIX. his verbis expreſſa: *Si quis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor, ſanctam paſchæ Quadrageſimam non jejunat, vel quartam, vel paraſceven, deponatur, præterquam, ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur. Si ſit vero laicus, ſegregetur.* Recurrit laudatus BEVEREGIUS ad concilii Laodiceni antiquiſſimi plures canones, ubi Quadrageſimæ obſervantia variis modis determinatur, ac præſupponitur, quemadmodum etiam in concilio Nicæno ex totius chriſtiani orbis compoſito præſulibus, qui tempus celebrandæ annuæ ſynodi definiunt ante Quadrageſimam, & circiter tempus autumni. „ Ex his autem verbis (inquit BEVEREGIUS) vel cæcus videat, „ Quadrageſimam iſtis diebus æque cognitam „ fuiſſe atque ipſum autumni tempus, ut cui „ hic opponitur. Omnes ſaltem patres, qui huic „ ſynodo intererant, in hoc primæ anniverſariæ ſynodi conſtituendo tempore non potuiſſent convenire, niſi Quadrageſimam in ſuis „ cujusque provinciis quotannis celebratam „ fuiſſe probe noſſent. Illi autem ex omnibus „ propemodum tunc dierum cognitis terræ provinciis in hanc ſynodum congregati ſunt.„ Teſtis ejus rei nobis luculentus eſt S. BASILIUS, ubique terrarum jejunium iſtud inviolabiliter fuiſſe ſervatum: *Quo, inquit, per univerſum terra-*

Can. 45. 50. 51. 52. 59.

L. c. n. 3.

Hom. 2. *de jejun.*

terrarum orbem undique denunciatur jejunii præconium. Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non audiatur jejunii edictum, quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat a numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum ordines recensentur. Unde quidem si unquam alias aurea rite applicatur S. AUGUSTINI regula, quod ubique servatur, nec institutum legitur, apostolicæ esse traditioni deputandum. Fuitque id agnitum a doctoribus illius, & mox subsequentis ætatis EUSEBIO, S. EPIPHANIO, THEOPHILO ALEX. SS. HIERONYMO, LEONE, PETRO CHRYSOLOGO: quorum posteriorum imprimis notabilia sunt testimonia, cum S. CHRYSOLOGUS divinam agnoscat auctoritatem: *Quod*, inquit, *Quadragesimam jejunamus, non est humana inventio, auctoritas est divina.* Et S. LEO vult: *Ut apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* S. HIERONYMUS utrumque & observantiam universalem, legem, & traditionem apostolicam conjungit: „Nos (inquit) unam „Quadragesimam secundum traditionem apo„stolorum, toto nobis orbe congruo, je„junamus. Illi (Montanistæ) tres in anno „faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint „salvatores. Non quod & per totum annum, „excepta pentecoste, jejunare non liceat; sed „quod aliud sit necessitate, aliud voluntate „munus offerre.„ Fuit aliquando etiam apud catholicos, estque hodie apud nonnullos religiosos ordines usus trium Quadragesimarum, & pœnitentibus medio ævo, ut probat MORINUS.

Serm. 12.

Serm. 6. de Quadrag.

Ep. 27. ad Marcellam.

NUS, imposita lex, sed alia Quadragesimæ fuit inviolabilis semper cunctis fidelibus. S. GREGORIUS NAZ. non dubitat CELEUSIUM jejunium quadragesimale supersedentem divinæ legis violatæ arcessere. Auctor constitutionum apostolicarum præcise hanc legem ponit: *Servandum vobis est jejunium Quadragesimæ.* Notandum vero, quod de illius distinctione subdit a jejunio paschæ: *Celebretur vero jejunium hoc ante jejunium paschæ; incipiatque a secunda die, ac desinat in parasceven: post quos dies finito jejunio incipite sanctam paschæ hebdomadam, cuncti vero per eam jejunantes cum timore, & tremore orantes in iis diebus pro pereuntibus.* Parasceve non feria tantum sexta, sed integra major est hebdomada a dominica palmarum, ut aperte ANASTASIUS Sinaita dicit: „ Quadragesima finitur ad festum palmarum, magnam enim „ hebdomadam jejunamus propter Domini passionem, & pascha, non propter Quadragesimam. „ Qua in re diversitas orientem inter & occidentem non solum fuit, sed etiam in ipso oriente a SOCRATE notata, sed perperam, uti hactenus saltem editiones vulgatæ habent, tribus tantum hebdomadibus Romanæ ecclesiæ assignatis, præter unam veterem editionem, & codicem Lyrensem MS. quem citat P. J. GARETTI e congr. S. MAURI editor operum S. CASSIODORI, historiæque tripartitæ, qui lectionem illam restituit, in marginem missa illa de tribus hebdomadibus, cum ex ipso CASSIODORO constet, integram Romæ servatam esse Quadragesimam. In concilio Aureliano IV. præscribitur uniformis observantia: *Ut Quadragesima ab omnibus ecclesiis æqualiter teneatur; neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante pascha quilibet*

Ep. 74. *L. V. 6. 13.* *Quæst. 64.* *Lib. V. histor.* *p. 323.* *Explic. tit. psal. XL.* *Can. 2. an. 541.*

sacerdos

sacerdos præsumat indicere. Sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam, nisi tantum die dominico, prandeat, quod sic fieri specialiter patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquam transgressor disciplinæ a sacerdotibus censeatur. Videntur nonnulli notari moris orientalis æmuli, ubi anticipatio ejusmodi facta fuit ad complendum dierum quadraginta numerum demtis dominicis, & sabbatis. Qua de re legendus
p. 27. est CASSIANUS collatione XXI. ubi THEONAS totam hanc rem accurate discutit. „Quod „ dicitis (inter alia ait) diverso more, id est „ sex, vel septem hebdomadibus per nonnullas provincias Quadragesimam celebrari, „ una ratio, idemque jejuniorum modus, di„ versa hebdomadarum observatione conclu„ ditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum ob„ servantiam præfixerunt, qui putant die quo„ que sabbati jejunandum. „ In novissima S. JOANNIS DAMASCENI editione habetur fragmentum ejus epistolæ de octo hebdomadis jejunii quadragesimalis, quod Græcorum *Triodium* HERACLIO imperatori tribuit institutum, cumque non omnes id servarent, pax periclitabatur, & unitas. Uti etiam postea inter alia Græci hoc Latinis exprobabant. S. GREGORIUS M. libenter abusum, in dominica Quadragesimæ sese cibo, & potu replendi usque ad mediam noctem, sustulisset, nisi timore majoris mali esset prohibitus, uti ex fragmento Regesto addito patet. Latina ecclesia quadragesimale jejunium orditur a die cinerum, demtisque dominicis, anni decimas illas, quas laudatus THEONAS apud CASSIANUM in Quadragesima observat, tantum persolvitur jejunium triginta sex dierum. *A præsenti*
Hom. 18. *enim die*, inquit S. BONIFACIUS, *usque in pa-*

scha

ſcba dies quadraginta, & duo fiunt, quorum triginta ſex jejunamus, & ſex dominicis cum lætitia uſi ſumus victum noſtrum. Mirum vero eſt, quod Lugdunenſes canonici interrogantes ALCUINUM, an ſabbato etiam reſurrectionem antecedente jejunium quadrageſimale continuandum ſit, quod faciendum non ſit, in reſponſis tulerint. Ad ALCUINUM ſcribens CAROLUS M. diem cœnæ Domini ob magna myſteria excipit a jejunio. Imo teſte WALAFRIDO tempore S. GREGORII mos fuit alicubi, ſingulas ferias quintas Quadrageſimæ a jejunio ceſſandi. Alias vero medio ævo tam ſtricta fuit lex, ut qui uno die non jejunaſſet, in pœnam quadraginta dies jejunare teneretur, ut ex ABONIS ſermone de cœna Domini diſcimus. Jejunium autem Quadrageſimæ uſque ad veſperam protrahebatur adhuc tempore S. BERNARDI, ut ex ſermone ejus 3. in Quadrag. palam eſt.

Ep. 70.

De orig. rer. eccl. c. 20.

§. XCVIII.

A prima pariter eccleſiæ origine variis per hebdomadam, & annum diebus diverſo eccleſiarum more fuerunt obſervata jejunia.

Et aliorum per annum temporum.

In citato a nobis canone apoſtolorum eadem lege conſtringitur jejunium quadrageſimale, quartæque, & ſextæ feriæ, cujus etiam jejunii lex in conſtitutionibus apoſtolicis a CHRISTO repetitur: *CHRISTUS ergo in quarta feria, & in paraſceve juſſit nos jejunare.* Quo S. EPIPHANIUS reſpiciens. „Quodſi (inquit) „ ex apoſtolorum conſtitutione repetenda no- „ bis auctoritas eſt, cur illis quartæ, ſextæ- „

L. V. c. 15.

Hær. 75. n. 6.

„ que

„ que feriæ jejunium perpetua lege sancitur? „ Traditionem simul, ac mysterium ejus rei S. PETRUS ALEX. declarat: *Non reprehendet nos quisquam quartam, & sextam feriam observantes, in quibus nos jejunare, secundum traditionem præceptum est: quartam quidem propter initum a Judæis consilium de proditione Domini: sextam autem, quod ipse pro nobis passus sit.* Et laudatus S. EPIPHANIUS, qui alibi inter hæreticas opiniones AERII refert neglectum hujus jejunii: „ Item quarta, „ sextaque feria jejunium ad horam usque no„ nam indictum, propterea quod quarta feria „ comprehensus est Dominus, & sexta in cru„ cem sublatus. Ideo per illos dies jejunandum „ esse decreverunt apostoli, ut impleatur il„ lud, quod scriptum est: *Cum sublatus fue„ rit ab illis sponsus, tum jejunabunt.* Ne„ que vero, ut ei gratificemur, qui nostra cau„ sa passus est, instituta sunt jejunia; expiandis „ nostris sceleribus imputentur. Porro istius„ modi jejunium toto anno in ecclesia catho„ lica diligenter observatur: quarta, ut dixi, „ sextaque feria ad horam usque nonam: ex„ ceptis quinquaginta pentecostes diebus, qui„ bus neque genua flectuntur, neque jejunium „ indicitur. „ Jejunium hoc in oriente ita sacrosanctum fuit, ut sæculo nono inter canones ecclesiasticos NICEPHORI patriarchæ Cpolitani nono fideles prohibeantur communionem accipere de manu sacerdotis, quamvis alioquin orthodoxus sit, qui hoc jejunium non servet. In occidente inter ordinationes S. PERPETUI Turonensis habetur etiam jejunium horumce dierum a pentecoste usque ad medium Februarii, quod tamen a festo S. JOANNIS BAPT. usque ad finem Augusti relaxatum fuit, & a nativitate Domini usque ad festum S. HI-

T. II. conc. p. 967.

Exposit. fid. cath. c. 22. Hær. 75. n. 2.

LARII

LARII, a festo autem S. MARTINI usque ad nativitatem Domini, feria insuper secunda fuit jejunio isti addita, in concilio Matisconensi sabbatum præterea: *Ut a feria S. MARTINI usque ad natale Domini secunda, quarta, & sexta sabbati jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine servari.* Singulare hoc fuit jejunium sabbati per annum in occidente, cum in oriente unum tantum ante pascha servaretur, alias canone apostolico, & aliis prohibitum: quod etiam TERTULLIANUS indicat: *Quamquam vos etiam sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam &c.* Can. 9. Can. 66. De jejun. adv. psych. c. 14.

Ratio autem diei festi est, ut superius prodidimus, nec quidem in Quadragesima posthabita; unde nec tunc missa præsanctificatorum, diebus jejunii propria, celebrababatur juxta concilium Trullanum: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato, & dominica, & festo annunciationis die, fiat sanctum præsanctificatorum mysterium.* In ecclesia Mediolanensi idem mos fuit teste S. AMBROSIO: *Quadragesima totis, præter sabbatum, & dominicam, jejunatur diebus.* SOCRATE vero teste Romæ omne jejunabatur sabbatum. Cujus rationem, ac mysterium S. INNOCENTIUS I. P. exponit: „Sabbatum vero jejunandum esse, „ ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem „ dominicum ob venerabilem resurrectionem „ Domini nostri JESU CHRISTI non solum in „ pascha celebramus, verum etiam per sin„ gulos circulos hebdomadarum ipsius diei „ imaginem frequentamus, ac feria sexta pro„ pter passionem Domini jejunamus, sabbatum „ prætermittere non debemus, quod inter tri- „ Can. 52. De Elia & jejunio. L. V. c. 21.

„ ſtitiam, atque lætitiam temporis illius vi„ detur incluſum. „ ZONARAS canonibus S. PETRI Alexandrini jungit decimum quintum, ubi in Alexandrina eccleſia, præter morem orientis, ſabbati etiam jejunium præſcribitur. Erat ergo in hac re non uniusmodi, nec in oriente, nec in occidente, praxis.
Ep. 36. Quam rem copioſe diſcutit celebri ad CASULANUM epiſtola S. AUGUSTINUS, cui ille tractatum quemdam Roma allatum miſerat, ubi, qui jejunium iſtud poſthabeant, injurioſe perſtringuntur. Ibidem etiam jejunii feriæ quartæ, & ſextæ myſterium explanat pariter ac ſabbati, remque univerſam ita concludit: *Cum Romam venio, jejuno ſabbato; cum hic ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.*

Ita conſulit congruenter quod ſibi ipſi S. AMBROSIUS reſponderat Mediolani, quum matrem ſuam MONICAM anxiam res illa habebat, ſimiliter ac S. HIERONYMUS LUCINÆ idem quærenti. CASSIANNS rationem ejus rei non ſatis fundatam tangens de jejunante eo die S. PETRO, cum ſequenti die SIMONEM magum eſſet dejecturus, non probat. Concilium vero Trullanum eundem morem eccleſiæ Romanæ improbat; prohibetque ſabbato jejunare etiam in Quadrageſima. Fuit ea inter alias incuſatio a MICH. CÆRULARIO facta contra Latinos. Nunquam vero occidentales orientalibus ob contrarium morem litem intendebant; nec NICOLAUS I. in reſponſ. ad conſulta Bulgarorum aliquid præſcribit etiam quoad abſtinentiam a carnibus, quæ a GREGORIO VII. in concilio Romano ſtatuta eſt loco jejunii extra Quadrageſimam, & quatuor tempora.

Ep. 28. *L. III. inſtit. c.* 10. *Can.* 55. *&* 89. *Grat. de conſecr. diſt.* 15. *c.* 31.

Jeju-

Jejunium ſtatum in occidente diebus tribus Rogationum jam ſuperius indicavi ex prima earum inſtitutione, decretoque concilii Agathenſis, Cloveshovienſis &c. licet dies inter paſcha, & pentecoſten agerentur, ſoluti olim in univerſa eccleſia lege jejuniorum, uti hodie, mutato more, ſervatur. Præſcribitur tamen adhuc jejunium in monitione WIGBODI ad presbyteros, & in homilia LEONIS IV. & ex BERNONE Augienſi patet, adhuc ſæculo undecimo eundem fuiſſe morem. In quibus omnibus monumentis jejunium illud cum aliis ſtatis per annum jejuniis præſcribitur, in vigiliis apoſtolorum, quatuor temporibus. HILDEBERTUS ſaltem carnis abſtinentiam notat ſerm. I. de Rogationibus ita concludens: *Agamus igitur hos dies & nos juxta patrum inſtituta cum reverentia, & devotione in carnis abſtinentia, & cordis humilitate, ut ſpiritualium luporum tentamenta vincere, & ſalutare DEI, quod præſtolamur, invenire valeamus.*

C. 29. T. VIII. conc. p. 36. c. 6. de miſſa.

Idem ſermonem I. de adventu eadem monitione de abſtinentia a carne concludit. Fuitque olim id tempus per plures, aut pauciores hebdomadas, vel dies, ut jam obſervavimus, jejunio, ac abſtinentia traductum, hodie ſaltem tribus quatuor temporum diebus.

Origo jejunii quatuor temporum, antiqui ſane in occidente, in quo plures S. LEONIS ſunt habiti ſermones, certa non habetur; nec dubium eſt, quin in quibusdam ſaltem temporibus primitivæ ſit inde ab apoſtolicis temporibus inſtitutionis. Apud PHILASTRIUM mentio fit quatuor per annum jejuniorum; ſed non omnia quadrant: *Per annum quatuor jejunia in eccleſia celebrantur: in natali primum deinde in paſcha, tertium in epiphania, quartum*

Hær. 97.

tum in pentecoste. Nam in natali salvatoris Domini jejunandum est: deinde in pascha Quadragesima, atque in ascensione itidem in cœlum, post pascha die quadragesimo, inde usque ad pentecosten diebus decem. S. ISIDORUS de variis agit jejuniorum temporibus, Quadragesimæ, pentecostes, septimi mensis, calendarum Novembrium, calendarum Januariarum &c. quæ pleraque congruunt; sed non omnia, cum nec medio ævo omnium fuerint fixa tempora, uti constat ex concilio Triburiensi prope Moguntiam an. 1036. de jejunio Martii, & ex concilio Constant. a. 1094. de jejunio Martii, & pentecostes: ubi statutum est, ut tribus diebus agantur. Anno vero sequenti in concilio Placentino tempora, quæ hodieque servantur, sunt fixa. Quam rem etiam IVO Carnotensis in suo micrologo commemorat. Quoad orientem COTELERIUS ANASTASII Cæsareensis opus edidit de jejunio gloriosæ virginis MARIÆ ante assumtionis festum præter jejunia ante nativitatem Domini, & pascha. Patetque jejunium illud in toto oriente fuisse celebratum.

L. I. de off. eccl. c. 36. & seqq.

T. III. mon. Gr. p. 436.

CAPUT VII.

De cura pro mortuis.

§. XCIX.

De oratione pro mortuis.

Ecclesia jugem pro defunctis in orationibus, aliisque exercitiis pietatis memoriam habens, illis prodesse semper fuit persuasa.

Ut nihil dicam de veteri testamento, ubi imprimis luculentum habetur in libris Machabæorum

bæorum exemplum; quos etsi Protestantes, qui hoc solatium defunctis negant (post Petrobrussianos, quos inter alios ex scriptura veteris, & novi testamenti PETRUS Venerab. refutavit) pro canonicis non agnoscant, fidem tamen historicam subvertere nequeunt. Habemus precum pro mortuis constantem usum in ecclesia christiana a primæva ætate usque ad hodiernum diem occidentali, & orientali, etsi schismate discissa, & de loco igneque purgatorio opinione aliquatenus diversa, ut ex actis concilii Florentini patet imprimis MARCI Ephesini orationibus ibi habitis; quoad rem ipsam tamen consentit, juvari supplicationibus viventium mortuos. Quod se tenere ecclesia semper opere ipso monstravit. *Consuetudo orandi*, fatetur TH. MILESIUS Anglus, *& offerendi pro fidelibus, licet nullo sacræ scripturæ expresso testimonio nitatur, tamen jam inde ab apostolorum temporibus in ecclesia viguisse verisimillimum videtur.* Refert etiam tritum TERTULLIANI locum: *Enimvero pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Memorabilis vero est, quam alibi refert historiam ejus rei TERTULLIANUS: *Scio fœminam quamdam vernaculam ecclesiæ forma, & ætate integra functam, post unicum, & breve matrimonium cum in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur: ad primum orationis halitum, manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace, situi suo reddidisse.* Haud absimile exemplum apud BOLLANDUM, & in vitis patrum legitur de matre SIM. STYLITÆ quæ ad columnam filii cum exspirasset, ad e-

T. XXII. Bibl. PP. p. 1068.

Vid. P. Lequien dissert. V. Damascenica.

Not. in catech. 23. S. Cyrilli Hierosol.

De monogamia. c. 10.

Lib. de anima.

Ad 5. Jan. p. 266. §. 11. L. I. p. 172.

jusdem orationem se movit, & risit. Patet autem hinc tum publicam presbyterorum, cum privatam orationem DEUM miraculo comprobasse, indicioque manifesto. Tale sibi indicium petere solitum S. MACARIUM Ægyptiacum ex JOANNE DAMASCENO, vitis patrum &c. discimus.

Orat. de defunctis. L. VI. c. 3. Boll. ad 15. Jan. p. 1011. 1012. Epist. ad clerum & plebem.

Id autem ad rei demonstrationem eo amplius valet, quod publica in liturgia solemnis semper fuerit hæc in ecclesia memoria, nisi qui ea sese indignos præbuissent; quod ingentis pœnæ loco fuit, uti ex S. CYPRIANO constat de concilio episcoporum, quod dicit jam pridem habitum, ne quis de clericis, & DEI ministris tutorem, vel curatorem constituat, ac, si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. *Neque enim*, inquit, *apud altare DEI meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros voluit avocare.* Flebile etiam exemplum refertur in vitis patrum de monacho non integræ vitæ, quem ad sepulturam cum hymnis, & precibus, pompaque funebri deferri S. PACHOMIUS cohibuit, eoquod indigno potius cruciatus augerentur. Quare auctor constitutionum apostolicarum de hac pro defunctis oratione, *Porro*, inquit, *hæc de piis dicimus. Nam de impiis, licet omnia mundi bona pauperibus dederis, nihil juvabis impium. Cui enim superstiti inimicum erat Numen, manifestum est, quod etiam defuncto sit infensum.* Unde etiam judicium ferri potest, quid de vulgari sacerdotis idololatræ, refrigerium ex oratione S. MACARII capientis, ac multo magis de TRAJANI liberatione habendum sit.

L. I. c. 39.

L. VIII. c. 41.

Vid. P. Lequien l. c.

Id vero, quod de CONSTANTINO christiano, & pio principe vita functo refert EUSEBIUS,

SEBIUS, melius ſe habet, & fidelium, eccleſiæque in cura pro mortuis ſtudium, ac ſanctam contentionem demonſtrat. „ Miniſtri „ DEI (inquit) cum turbis, & tota fidelium plebe in medium prodiere, & divini cultus cæremonias precationibus peregerunt. Ac beatus quidem princeps alto in ſuggeſtu jacens laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum ſacerdotibus DEI non ſine gemitu, ac lacrymis pro imperatoris anima preces offerebant DEO, gratiſſimum pio principi officium exhibentes. „ Vides hic omnia pia in defunctum officia, gratiſſimum vero preces: quod ſæpe imprimis S. CHRYSOSTOMUS monet, non lacrymis, & luctu, ſed precibus, ſupplicationibus, oblationibus, & eleemoſynis proſequendos eſſe mortuos. *Quia*, ut inquit LEIDARDUS archiepiſcopus Lugdun. ſæculo VIII. *& qui mortuus eſt, non eget infructuoſo luctu, ſed fructuoſo ſuffragio.* Etiam ſermones, quos in laudem defunctorum habebant, ejusmodi precibus fuerunt referti, uti ex orationibus funebribus, quas S. AMBROSIUS in THEODOSIUM, VALENTINIANUM, & GRATIANUM imperatores dixit, item in fratrem ſuum SATYRUM, & S. GREGORIUS NAZ. in fratrem CÆSARIUM, conſtat. Concurrebant preces fidelium, ad quas voce diaconi in publica liturgia monebantur: *Pro fratribus*, ut habetur in antiquiſſima conſtitutionis apoſt. liturgia, *qui in CHRISTO requieverunt, oremus; ut hominum amans DEUS, qui animam defuncti ſuſcipit, ei remittat omne peccatum voluntarium, ac non voluntarium, & propitius, clemensque factus collocet eum in regione piorum, quieſcentium in ſinu ABRAHAMI, ISAACI, & JACOBI, cum omnibus, qui a ſæculo placuerunt DEO, at-*

L. IV. de vita Conſt. c. 71.

Hom. 21. in acta 41. in 1. Cor. T. XIV. Bibl. PP. p. 234.

L. VIII. c. 41.

que ejus voluntatem fecerunt, unde aufugit dolor, tristitia, & gemitus. Sequitur dein prolixa episcopi celebrantis liturgiam oratio, atque in omnibus liturgiis habetur defunctorum commemoratio, ut suo loco ostendi, attulique inter alia S. CYRILLI HIER. verba, qui in explicatione liturgiæ simplicium quorumdam forte addubitationem tollit, & orationis pro defunctis virtutem præsertim in sacrificio familiari exemplo demonstrat, moxque plura dicemus de sacrificio pro mortuis, nunc tantum de precibus agentes, ad quas populus etiam voce, ut dixi, diaconi monebatur: „ Non frustra (inquit S. CHRYSOSTOMUS) „ clamat diaconus *Pro iis, qui illorum memoriam faciunt.* Non diaconus hanc emittit vocem, sed spiritus: non sanctus dico, sed „ donum ejus. „ Et alibi originem hujus operis pietatis, ac curæ pro mortuis declarans, „ Non frustra (inquit) hæc ab apostolis sunt „ legibus constituta, ut in venerandis, inquam, „ ac horrificis mysteriis memoria eorum fiat, „ qui decesserunt. Noverant hinc multum „ ad illos lucri accedere, multum utilitatis. „ Eo enim tempore, quo universus populus „ stat manibus passis, ac cœtus sacerdotalis, „ & illud horrorem incutiens sacrificium: quomodo DEUM non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide „ decesserunt. „

Cat. 23. *Hom.* 21. *in acta.* *Hom.* 3. *in epist. ad Philip.*

Consuluit hac de re S. PAULINUS S. AUGUSTINUM, non quod de virtute precum dubitaret, qui fatetur universalem in ecclesia esse hunc morem, quique animam fratris sui defuncti DELPHINI, & AMANDI precibus juvandam plurimum existimavit, ac obnixe commendavit: *Ut illius*, scribit ad DELPHINUM, *fratris nostri, animam vel de minimo sanctitatis tuæ digi-*

Ep. 35. 36.

to distillans refrigerii gutta aspergat. Et ad AMANDUM: *Refrigeret animam ejus stillicicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum, ita procul dubio etiam ros indulgentiæ ejus inferna penetrabit, ut roscido pietatis ejus lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigeremur.* Eadem etiam ejus fides ex epistola ad PAMACHIUM elucescit, sed explicationem S. PAULI desiderabat cum hac fide congruentem, ubi unicuique, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum, reddendum dicit: cui S. AUGUSTINUS, *n. 22.* pariter ac DULCITIO quæstione secunda, respondet integro de cura pro mortuis opere, ubi rem pluribus probat, ac sic concludit: „Quia „ non discernimus qui sint, oportet ea pro re- „ generatis omnibus facere, ut nullus eorum „ prætermittatur, ad quos hæc beneficia pos- „ sint, & debeant pervenire. „ Sic ergo pro omnibus orat ecclesia, qui spem resurrectionis habent in CHRISTO, sanguine ipsius redemti propitiatorio pro vivis, & defunctis: *Certissime credens*, ut ait FLORUS presbyter Lugdunens. *quia sanguis ejus pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum non solum ad salutem viventium, sed etiam ad absolutionem valeat defunctorum.* Id vero singulariter visum est etiam IVONI Carn. „Quia incertus „ est status animarum, non videtur otiosum, si „ pro his intercedimus, qui jam requie per- „ fruuntur, ut eorum requies augeatur, & pro „ his, qui locis purgatoriis deputati sunt, ut „ fidelium orationibus indulgentiam conse- „ quantur. „ Idem sensisse ALCUINUM ex epistola ejus ad ÆDILBERTUM episcopum „ patet. Et ut HILDEBERTUS sermone 4. in dedicatione dicit, ut hi, qui in purgatorio

De explicat. missæ. T. IX. collat. ampl. Martenii. p. 628.

Ep. 74. ad Mathildem Angliæ reginam.

poliuntur, plenam consequantur absolutionem, vel pœnæ mitigationem.

§. C.

Cum sacrificio incruento.

Imprimis vero incruentum altaris sacrificium jugiter ab ecclesia, nisi illo indigni essent habiti, pro defunctis est oblatum.

Ex constitutionibus apostolicis constat jam antiquissimis ecclesiæ temporibus, quemadmodum in honorem sanctorum anniversarii dies festi, ita statos fuisse dies complures in defunctorum commemorationem mysticis rationibus designatos: „ Quod spectat ad mortuos, celebretur dies tertius, in psalmis, „ lectionibus, & precibus ob eum, qui tertia „ die resurrexit; itemque dies nonus in recordationem superstitum, & defunctorum; „ atque etiam dies quadragesimus juxta veterem typum, MOSEM enim ita luxit populus, denique anniversarius dies, pro „ memoria ipsius. „ Agebantur hæc publica in liturgia non sine sacrificio, ut ex TERTULLIANO discimus: *Et offert annuis diebus dormitionis ejus. Nam hac nisi fecerit, fere repudiavit, quantum in ipso est.* Refert S. AMBROSIUS in oratione funebri THEODOSII, filium ejus HONORIUM consuetis diebus die septimo, & quadragesimo justa hæc parenti persolvisse. Et in oratione de obitu VALENTINIANI ad hoc hortatur: *Date manibus sancta mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu.* PAULINUS in vita S. AMBROSII die sepulturæ etiam dominico id ei præstitum fuisse commemorat. Alias vero pro sua pietate sacerdotes a sacrificiis frequen-

L. VIII. c. 42.

De monog. c. 10.

quenter offerendis non cessasse ex S. GREGORIO Naz. colligimus ita parentes de se filio loquentes inducens:

Qui & senectutem reddidit suis laboribus levem
Nostram, & nunc prosequitur nos sacrificiis.

Carm. 18. in laud. suorum parentũ.

S. GREGORIUS Niss. apud JO. DAMASCENUM primævum ecclesiæ hunc morem collaudat: „ Nihil (inquit) inconsulte, nihil- „ que perperam a CHRISTI præconibus, & „ discipulis traditum fuit, & in omnibus DEI „ ecclesiis invaluit: sed res utilis est, & DEO „ placens, ut in divina, splendidissimaque „ mysteriorum celebratione eorum, qui in re- „ cta fide obierunt, memoriam agamus. „ In concilio Cabilonensi II. can. 39. statuitur: *Ut in omnibus missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in missarum solemnibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur sancta ecclesia tenet, ut in missarum solemnitatibus, & in aliis precibus, Domino spiritus quiescentium commendet, dicente beato AUGUSTINO: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christiana, & catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi.*

De iis, qui in fide dormierunt.

S. EPHREM hoc unicum a fratribus moriturus flagitat: „ Comitamini me in „ „ ora-

In testamento.

„ oratione, in psalmis, & in oblationibus. „ Et quando diem trigesimum implevero, mei „ memoriam, fratres, facite: mortui enim „ vivorum oblationibus juvantur. „ Nec contentus in eo articulo, ex veteri, & novo testamento rem comprobat, præsertim autem quoad sacrificium ex noto Machabæorum exemplo, argumento a minori ad majus: quomodo S. CHRYSOSTOMUS exemplo JOBI usus est pro filiis suis sacrificantis. „ Si autem „ (inquit S. EPHREM) MATHATIÆ filii, qui „ festa, & commemorationes in mysterio dumtaxat, res nostras præfigurante, celebrant, „ sicut in scripturis legistis, per oblationes ta„ men eos a reatibus mundarunt, qui in bello „ ceciderant, licet operibus suis ethnici, suis„ que moribus mali fuissent, quanto magis sa„ cerdotes filii DEI per sanctas suas oblationes, „ & per linguarum suarum precationes debita „ mortuorum condonabunt. „ Similiter S. ARSENIUS unum hoc a fratribus poposcit pietatis opus: *Nemo*, inquit, *super me faciat charitatem, nisi in sola oblatione.* Idem in vita S. BEDÆ legitur. Videtur ARSENIUS luctum sui causa a fratribus cohibere voluisse, quomodo sæpe S. CHRYSOSTOMUM fideles monuisse memini; adhuc vero indigitanda est trigesima prima in MATTHÆUM homilia, ubi morem commemorat presbyteros advocandi, ut pro mortuis sacrificium offerant. S. AUGUSTINUS vix non piaculum duxit flevisse se matrem suam exigua parte horæ, quæ moritura id etiam tantum flagitabat: *Tantum vos rogo, ut ad altare DEI memineritis mei.* Refert ibi S. AUGUSTINUS, *Sacrificium pretii nostri jam juxta sepulchrum posito prius quam deponeretur, sicut fieri solet, oblatum esse pro defuncta*, rogatque lectores suos, *ut ad*

Hom. 41. *in* 1. *Cor.*
Ib.

Vit. PP. Lib. III. c. 163.

hom. 31 in Matth.

Lib. IX. conf. c. 12.

ad altare meminerint patris PATRICII, & matris MONICÆ. Et POSSIDIUS defuncto S. AUGUSTINO idem præstitum narrat: *Pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium DEO oblatum est, & sepultus est.* Apud eundem S. AUGUSTINUM habetur testimonium EVODII de die tertio: *Nam per triduum hymnis Dominum collaudavimus super sepulchrum ejus, & redemtionis sacramenta tertio die obtulimus.* Ipsius vero S. AUGUSTINI luculentum est in epistola 27. ad AURELIUM testimonium. Nec est omittendus hic notabilis locus ejus Enchiridii: *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt; quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.* *Vit. S. August. c. 13.* C. 110.

Ex toto contextu patet, non de damnatione ad æternum supplicium id intelligi debere. Fuitque id canonibus ecclesiasticis constitutum, ut non solum oblatione, sed etiam sepultura cum psalmorum cantu privarentur, qui eo se beneficio indignos præbuerunt: quale exemplum mox ex S. CYPRIANO commemoravi; fuitque in concilio Bracarensi an. 563. statutum, ne non tantum, qui seipsos occiderunt, verum etiam qui pro suis sceleribus fuerunt occisi, catechumenis item sine redemtione baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Idem in aliis canonibus, & pœnitentiali THEODORI Cantuar. prohibetur. In epistola GREGORII II. ad S. BONIFACIUM præscribitur sacrificium offerendum pro iis tan- *Can. 16. 17.* *Can. 63.* *c. 3.*

tum,

tum, qui christianam vitam duxerint, non pro impiis, licet christianis. S. Theod. STUDITA, licet pro homine, qui seipsum occidit, orare permittat, non tamen sacrificium offerre. S. ANASTASIUS Sinaita distinguit levia, & gravia peccata. Quam in rem jam superius alia attuli documenta: tantum hic annectenda est S. GREGORII M. auctoritas: *Si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ prosint, qui hic vivendo, ut eos etiam post mortem bona adjuvent, meruerunt.*

Ep. 143.

Quæst. 22.

L. IV. Dialog. c. 57.

Tribuitur eidem S. GREGORIO Trigentena missarum pro mortuis, forte quod triginta diebus missas celebrari fecerit pro religioso, cujus corpus in fimum projici jussit, quod post mortem ejus tres apud eum inventi sunt aurei. BERNO monachis suis Augiensibus talem numerum missarum præscripsit pro singulis ex eis defunctis, cujus eam in rem apud BEZIUM habetur epistola quinta. In typico IRENE quadraginta præscribuntur. Imprimis vero testamentum SUGERII abbatis apud DUCHENIUM memorabile est, quo anniversarium instituit cum officio defunctorum, sacrificio singulorum sacerdotum &c. Notabilis imprimis hic est canon 10. concilii Celichytensis an. 816. ubi præter alia pietatis opera orationes, & eleemosynas condictas legimus pro defuncto episcopo: ut unusquisque antistes, & abbas sexcentos psalmos, seu ut alii codices habent, *psalterios*, & centum viginti missas celebrare faciat, statuitur. Jam superius memini missarum magni aliquando numeri pro defunctis aut clericorum inter se, aut monachorum mutuis pactis, & confœderatione inter se initis; quam in rem extat S. BONIFACII epistola ad OPTATUM,

L. IV. dial. c. 55.

T. V. anecd. c. 70.

T. IV. p. 549.

TUM, & ADLHERUM abbates. Item DODONIS abbatis Hornbacensis ad LULLUM archiepiscopum Moguntinum, qua eum rogat, se, ac suos in communionem precum recipere, amicorum, item episcoporum, item suffraganeorum, abbatum, & cleri suæ diœceseos, vicissim nomina expetens omnium amicorum tam vivorum, quam defunctorum, ut similiter pro eis preces apud suos fiant. Similes confœderationes memorat MABILLONIUS inter monachos S. DIONYSII, & S. REMIGII sub LUDOVICO Pio; sub CAROLO M. jam antea inter monachos Augiæ divitis, & S. GALLI. Idem epistolam PETRI Vener. edidit de ejusmodi confœderatione inter Carthusienses, & Cluniacenses monachos. Ubi præter missam conventualem a singulis sacerdotibus missa dicenda præscribitur. Habetur in archivo nostro S. BLASII (præter cæteras ultra sexaginta) S. HUGONIS Cluniacensis authographum similis confœderationis congregationem inter Cluniacensem, & S. BLASII, ut alias innumeras taceam ad præsentem usque diem pie servatas. *In analect. p. 160*

Nomina olim sollicite scribebantur, & legebantur ad primam post lectionem martyrologii, ac regulæ S. BENEDICTI, ubi adhuc commemoratio fit omnium fratrum familiarium ordinis nostri, atque benefactorum nostrorum. Quod etiam fieri petebant: veluti THEODETRUDIS factis quibusdam donationibus monasterio S. DIONYSII sub CLOTARIO. BERCHARIUS episcopus Cenomanensis &c. ubi etiam in concilio mutuo se episcopi ad duodecim missas post mortem legendas obstrinxerunt. Nomina olim etiam in canone legebantur ex diptychis, uti videri potest apud BALUZIUM: *Quorum, quarumque nomina bis in dipticiis conscripta esse noscuntur*, ut habetur, *T. III. Miscell. p. 154.*

betur in *secreta* missæ pro defunctis fratribus & sororibus ibidem relatæ. In typico IRENE imperatricis nomina religiosarum, pro quibus quadraginta consequentibus diebus a sacerdotibus sacrificium fuit offerendum, similiter in diptychis jubentur inscribi. Fuitque in occidente apud cœtus monasticos communis, & diuturnus ejusmodi diptychorum sub necrologii nomine usus. Convenire etiam solebant ad dies anniversarios sacerdotes, quam in rem in capitularibus HINCMARI præscribitur sobria, & frugalis mensa.

Mentio porro injicienda est commemorationis annuæ pro defunctis, quæ etiamnum hodie prima post festum omnium sanctorum die solemnis habetur, uti instituta est primum a S. ODILONE abbate Cluniacensi, uti videre est apud MABILLONIUM in observationibus ad vitam ejusdem sancti. Ex laudato paulo ante sermone HILDEBERTI discimus, idcirco eo die jejunium fuisse in ecclesia: *Post politionem autem*, inquit, *sustolluntur, suisque aptantur locis per manum artificis, disponuntur permansuri sacris ædificiis. Sane tria hæc singulis annis repræsentat ecclesia; in vigilia omnium sanctorum separationem; in solemnitate eorumdem positionem; in memoria mortuorum politionem. Dies enim jejuniorum, dies afflictionis est.* S. BERNARDUS in vita S. MALACHIÆ refert, quantum spei repositum habuerit *in illa die, qua mortuis tanta a vivis beneficia impenduntur.* In eadem vita habetur, eundem sanctum, cum in die obitus sororis pro ea sacrificium obtulisset, divinitus edoctum esse, locum apud DEUM suas habuisse preces.

T. VI. act. p. 584. 585.

p. 650.

c. 31.

c. 5.

§. CI.

§. CI.

Pie ac religiose curatum est, quantum fieri potuit, christianorum funus; non tamen in ecclesiis facile, sed in cœmeteriis ad id destinatis, consecratisque, inde etiam coercitis indignis. Sepultura christiana.

Ex epistola ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis apud EUSEBIUM discimus dolorem animi gravissimum, quod sibi per inimicos martyres sepelire non licuerit. Sed existimari potest hoc singulare studium, & devotio erga martyres. Nihilominus jure naturali debitum hoc officium alias etiam christiani sedulo curarunt, etiam non recusato periculo; quale DIONYSIUS ALEX. refert tempore diræ pestis Alexandriæ: „ Plurimi (inquit) ex fratribus „ nostris curam omnem propriæ salutis abji- „ cientes, sibique mutuo adhærescentes, dum „ ægros secure, atque audacter invisunt, eis- „ que assidue ministrant, & curationem adhi- „ bent, in CHRISTO unacum illis mortui „ sunt... Adeo ut genus hoc mortis ob pie- „ tatem, fideique constantiam, nequaquam in- „ ferius martyrio censeatur. Hi ergo sanctorum „ corpora sæpius manibus, gremioque exci- „ pientes, oculos illis & ora claudentes, baju- „ lantes eadem humeris suis, componentes, „ adhærescentes illis, complectentes, lavacro, „ & vestimentis ornantes, paulo post eadem of- „ ficia ab aliis consecuti sunt, cum superstites „ semper eorum, qui præcesserant, vestigiis „ insisterent. „ Testis est TERTULLIANUS, stipem in hanc rem, simul, ac pro pauperibus menstrua die fuisse collatam: *Inde*, inquit, *non*

L. V. c. 1.

Apud Euseb. L. VII. c. 22.

Apol. c. 39.

epulis, *nec potaculis*, *nec ingratis voratrinis dispensatur*, *sed egenis alendis*, *humandisque*. Erat hoc singulare munus copiatorum, laborantium, lecticariorum, fossariorum in canone ecclesiastico alicubi constitutorum.

Quivis conjiciet, persecutionum temporibus parum licuisse christianis religiose hoc perfungi, si in cryptis occulte etiam conderentur. Dum tamen fieri potuit, cum hymnis etiam, ac psalmodia funus est curatum. *In funeribus mortuorum*, dicit auctor constitutionum apostolicarum, *cum psalmis deducite eos*, *si fuerint fideles in Domino: Pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum ejus* &c. Etiam inter monachos, cum eorum esset maxima simplicitas vivendi, hoc fuit pie præstitum. *Si frater dormierit*, habetur in regula S. PACHOMII, *omnis eum fraternitas prosequatur. Nemo maneat absque majoris imperio*, *nec psallat*, *nisi ei jussum fuerit.* Ex paulo ante allato, tristi tamen exemplo, de eodem S. PACHOMIO elucescit, quantum studuerint religioni, devotionique consulere. Et in vita S. ANTONII refert S. ATHANASIUS, quod is in humando S. PAULO eremita, solus licet, hymnos quoque, & psalmos de christiana traditione cantaret. Ubi pariter refertur, quam ægre tulerit morem Ægyptiorum servandi in domibus insepulta cadavera defunctorum, aromatibus nimirum condita: pro more etiam haud dubie alibi apud christianos usitato in singulare venerationis signum, cum tantopere videamus S. EPHREM cavisse, ne is sibi deferretur honos. „ Ne (ait) cum unguentis me condiatis, nihil enim honor iste mihi prodest: neque cum thure, & aromatibus me humetis, inutilis quippe mihi gloria est. Thura in sanctuario adolete: meum

L. VI. c. 30.

Cod. reg. n. 127.

Testam. T. I. Bibl. orient. p. 143.

„ autem

autem funus oratione curate. DEO adoramenta offerte; me vero psalmis prosequemini." Id nimirum in salutem animæ profuturum postulabat, procul omni funebri pompa, qualis apud gentiles in usu erat cum plangentium etiam choro, quod adhuc sæculo sexto in concilio Toletano fuit cautum: *Religiosorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo, psallentium vocibus debere ad sepulchra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet, vel pectoribus se proximos, aut familias cædere, omnino prohibemus. Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum.* *An.* 589. *can.* 22.


Hac religione inducti olim expetebant penes martyrum tumulos sepeliri: quam etiam quæstionem S. PAULINUS movit S. AUGUSTINO: *Utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur*, quæ sunt S. AUGUSTINI verba, dum eidem respondet, quoad alteram etiam quæstionem paulo antea tactam, de cura pro mortuis. Pium hoc studium in abusum degeneravit, ut jam S. GREGORIUS NAZ. singulari carmine deploravit. *Carm.* 137 Serius etiam in usum ecclesiarum receptum fuit, ut fidelium cadavera intra templorum ambitum sepelirentur, præterquam martyrum, aliorumque, quos ecclesia publico cultu veneratur. Cæterorum autem fidelium in publicis cœmeteriis, aut summum in atriis templi condita sunt corpora. Quod primum ipsi imperatores summo sibi ducebant honori.

Hodie cum esse soleant templis contigua cœmeteria, & consecrari solita, non promiscue omnibus sepulturæ loco deserviunt, arcentur-

que non infideles solum, sed etiam christiano more non obeuntes: *Primo*, juxta rituale Romanum jussu PAULI V. editum, *negatur ecclesiastica sepultura paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & horum fautoribus, apostatis a christiana fide, schismaticis, & publicis excommunicatis majore excommunicatione, interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto eo durante. II. Iis, qui seipsos occiderunt ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania hoc acciderit) nisi ante mortem signa dederint pœnitentiæ. III. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum signa dederint pœnitentiæ. IV. Manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt. V. Iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint sacramenta confessionis, & communionis in pascha, & absque ullo signo contritionis obierint. VI. Infantibus mortuis absque baptismo. Ubi vero in prædictis casibus dubium occurrerit, ordinarius consulatur.*



INDEX



INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

D.

S. Dio-

Idolo-

K.

L.

Lingua

N.

O.

Oleum

Proces-


Test.

dos

T.

V.

FINIS.



ERRATA.

Pag. 2.	In marg. pro	*Vid. P.*,	leg. Vid. PETRUS.
10.	Lin. 20.	*obligationes*,	leg. oblationes.
14.	16.	*adducendum*,	leg. ad dicendum.
19.	8.	*conſenſus*,	leg. confeſſus.
20.	8.	*Domini cum*,	leg. Dominicum.
111.	8.	*dlaconus*,	leg. diaconus.
137.	12.	*Neoticarum*,	leg. neotericarum.
163.	11.	*martyres*,	leg. matres.
195.	34.	*Parienſi*,	leg. Pariſienſi.
210.	17.	*JUTTINUS*,	leg. JUSTINUS.
216.	5.	*columbis*,	leg. columnis.
217.	17.	*crufixo*,	leg. crucifixo.
346.	14.	*canicarum*,	leg. canonicarum.



